SACRAE DECADES QUINQUEPARTITAE. CONCIONES QUADRAGESIMALES ATQUE PASCHALES, NUMERO...

Maurice Hylaret




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
9/1H
53

Cl. Rom. Soc. Ies. Catl. ms:

SACRARVM

DECADVM QVINQVE-PARTITARVM, TOMVS SECVN-dus:

in quo ea continentur sacræ conciones, quæ à media Quadragesima ad octauas Paschales vsque populo in suggestu ex Euangeliis quotidianis proponi solent.

Authore F. M. Hylaret Franciscano Engolismensi, sacræ Theologiæ Doctore Parisiensi, necnon almæ Prouinciæ Turoniæ ex prouinciali, ac Aurelianensi Ecclesiaste ordinario.

Omnia Cathedræ D. Petri, in qua nunc sedet SS. D. N. Sixtus quintus ex Franciscano ordine assumptus: examini & iudicio submissa sunto.

IN VIRTVTE  ET FORTVNA.

LVGDVNI,

APVD HÆREDES GVLIELMI ROVILLII, SVB SCVTO VENETO.

Iussu superiorum.

M. D. XCI.



EXTRAICT DES ACTES ET REGIstres de la Seneschaucee & siege presidial de Lyon.

Sur les remõstrãces faictes par le Procureur du Roy, de ce que cy deuãt des le moys d'Auril dernier, & huict moys sont passez, le Conseil auroit pourueu à ce qu'il fust permis à tous marchãs Libraires, faire Imprimer liures seruans à la pieté & deuotion & à l'edificatiõ du peuple en la religiõ Catholique, Apostolique & Romaine, sans s'arrester aux priuileges, que pour le regard desdits liures les Libraires de Paris ou d'ailleurs pouuoiẽt auoir, chose qui estoit faicte pour subuenir à la necessité du tẽps. Et que despuis iceluy temps les Libraires de ceste ville en ont faict peu de deuoir, qui est cause, que le peuple est priué des fruictz & vtilitez qui prouuiennent de la lecture desdits liures, & souffre beaucoup pour n'en pouuoir recouurer d'aucune part. A ceste raison qu'il pleust audit Cõseil de noueau inciter lesdits Libraires faire Imprimer lesdits liures. Entre autres enioidre aux heritiers feu S. Guillaume Rouille & S. Iean Baptiste Buysson faire Imprimer tous liures semblables, necessaires pour l'enseignement du peuple en la foy, comme les predications de Frere Maurice Hylaret cy deuant Imprimees à Paris, fort requises & demandees par les predicateurs. Bullioud.

Le Conseil en ayant esgard à ladicte requeste dudit Procureur du Roy, la necessité du tẽps & en cõsequence des ordõnances cy deuant faictes, A permis ausdits hoirs Rouille & Buysson Imprimer ou faire Imprimer lesdittes predicatiõs dudit Hylaret & autres liures de deuotion, seruans à l'instruction du peuple en la foy & religiõ Catholique, Apostolique & Romaine, sans s'arrester quant à present aux priuileges particuliers que aucuns Libraires, Imprimeurs de Paris ou ailleurs pourroiẽt auoir, & ce par prouision & iusques autrement en aye esté ordonné. Faict au Conseil le septiesme iour de Ianuier mil cinq cens quatre vingts & vnze. Signé Austrein, du Burein, Allard, Langloys, Grolier, Rolin, Broquin.

Lectori beneuolo S.

Quia huius diei quàm fecit Dominus, periodus ieiunia Quadragesimalia, in partes secat æquales: hodierna mediæ Quadragesimæ concio nostras in duos tomos partietur sacras Quinquepartitas decades: & secundo per Tertiæ decadis sermonem quartum: exordium dabit.

FERIA



FERIA QVINTA POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMAE.

De ſocru Petri febricitante. Lucæ 4. Matth. 8. & Marc. 3.

Surgens Ieſus de Synagoga intrauit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. Et ſtans ſuper illam imperauit febri.



VOD à domino dictum eſt: *Meſſis multa* Hoc in præſenti Euangelio, breui quidem, attamen ſententiis refertiſſimo comperio. Multa ſiquidem occurrunt circa iſtud dicenda, adnotatione digniſſima vt ſtatim patefaciemus.

Primùm omnium Petrum habuiſſe vxorem, hic locus apertè commonſtrat, & Theoph. in Matth. cap. 8. ad verbum. *Vidit ſocrum Petri decumbentem*, obſeruat. Diſce hìc (inquit.) Quod nuptiæ non à virtute prohibentur. *Theoph. in Matt.*

Princeps enim apoſtolorum ſocrum habuit. In ſcriptura ſacra (ait Heſſelius in Matth. 8.) de ſolo Petro inter apoſtolos legitur quòd coniugatus fuerit. Iam de cœlibatu ſacerdotum agam⁹. Nupſerat Petrus ante apoſtolatum. In apoſtolatu autem domino magna cum fiducia dicit. *Ecce nos reliquimus omnia*, Proculdubio etiã vxorem. Nam occaſione inde ſumpta dominus dixit. Matth. 19. *Omnis qui reliquerit patrem vel matrem, vel vxorem, &c.* Reliquit ſic vt illi non cohabitaret, ab eius abſtineret congreſſu, cœlibem profeſſus vitam & caſtimoniam. Quò ad thorum dicunt *Heſſel. in Matt. 8.* *Mat. 19.*

Theologi à coniuge propter Christum seiunctus fuit D. Apostolus. Olim coniugati ad sacerdotia propter paucitatem assumebantur. Nunquam verò sacerdotes, ne apud Græcos quidem, noui mariti facti sunt, vel vxores duxerunt: Licet apud Græcos antea coniugati ad sacerdotium deinde promoueãtur, legitimisque vtantur vxoribus suis: quibusdam in locis, non vbique in tota passim Græcia: vt ex D. Epiphanio doctore Græco statim audies.

Tertul. de Monogam.

Tertullianus lib. de Monogamia sic dicit. Petrum solum inuenio maritum per socrum. Monogamum præsumo per ecclesiam, quæ super illum ædificata, omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura.

Clemens Alex. lib. 7. strom.

Clemens Alex. lib. 7. stromatum. Aiunt certè B. Petrum cùm vidisset vxorem suam duci ad mortem, validè exortando & cõsolando proprio nomine eam compellentem dixisse. Heus tu. Memento domini. Audis sancti apostoli coniugem Christi martyrem fuisse. Petronellam filiam ex legitimis suscepit nuptiis, & casto matrimonio. D. Petrus, quæ catalogo sanctorum ascripta est, & in virginitate perseuerauit.

D. Hier. ad Eustoch. de Custod. virg.

D. Hier. to. 7. epistolarum ad Eustochium de Custodia virginitatis declarat Paulum fuisse virginem. Neque enim (ait) audiendi sunt qui eum vxorem habuisse confingunt: cùm de continentia disserens & suadens, perpetuam castitatem intulerit: *Volo omnes esse sicut meipsum* & infrà. *Dico autem innuptis & viduis. Bonum est illis si sic permaneant sicut & ego.* 1. Cor. 7.

1. Cor. 7.
Suidas.

Suidas in dictione Αβελ αβελινος Αδαμ ὑιὸς παρθενος ϗ δικαιος ὑπηρχε virgo & iustus fuit.

Aug. de mirabil. sac. scrip. lib. 1. c. 3.
Mat. 23.

Habetur inter opera D. Aug. to. 3. lib. 1. de mirabil. sac. scrip. cap. 3. Abel iustitiæ primatum tenuit authore Christo Matth. 23. *A sanguine Abel iusti.* Tota autem iustitia hæc est. Virginitas, Sacerdotium & martyrium. Quæ triplex iustitia in Abel fuit. Primò. Qui & munera Deo placita obtulit, prosapiam generis in sæculo non reliquit, & martyrij palmam sanguinis effusione promeruit. Cuique primo in hominibus post delictum gestare figuram conceditur saluatoris, qui virgo & caput & sacerdos & martyr esse videtur. Audis primum sacerdotem legis naturæ (de quo in Canone missæ, *munera pueri tui iusti Abel*) virginem fuisse. Accipe & alterum sacerdotem *Dei altissimi Melchisedech.* de quo Suidas.

Gen. 14.
Suidas.

Obiit vir iustus & virgo, ἐτελεύτησε ϗ παρθένος. Oportet ergo vt ad prototypum (vt sic dicam) & primorum exemplar conformentur sacerdotes Euangelici: qui sunt secundum ordinem

nem Melchisedech. Canon apost. 27. In nuptis qui ad clerum prouecti sunt, præcipimus vt si voluerint vxores accipiāt sed lectores Cantoresque tantummodo. Nota quod sacris ordinibus initiati nec vxores ducere, nec cum antea ductis licitè concubere poterant: Si enim vt *1. Corint.* 7. dicitur, abstinendum est ad tempus, ex vtriusque partis consensu vt vacetur orationi: Si pro panibus propositionis edendis Dauid debuit esse mundus, maximè à mulieribus inquit Abimelech sacerdos. *1. Reg.* 21. & *Exod.* 19. ait Moyses, *Estote parati in diem tertiam & ne appropinquetis vxoribus vestris*; Vt scilicet hoc modo filij Israël præpararentur ad receptionem legis, Quantomagis in sacerdote Christiano & Euangelico cœlibatum non temporarium sed perpetuum obseruare conuenit, cùm Euangelicos sacerdotes ad orationes faciendas, ad mysteria sacrosancta percipienda, panem vitæ edendum, ad legis interpretationem & explicationem populo denunciandam frequentes esse oporteat, & tam sanctis mysteriis quotidiè addictos ex officio? Quomodo rei vxoriæ vacarent? D. Augu. tom. 7. lib. vnico de gratia & libero arbitrio cap. 4. Ex hoc. *Vellem omnes homines esse sicut meipsum. 1. Cor.* 7. Vtique ipse scilicet Paulus ab omni concubitu abstinebat. Ergo etiam vxoris quam vtique non habuit. Si obiicias de Coniugio Aaron & sacerdotum veteris legis, Respondeo ex D. Ambrosio in 1. Tim. 3. *Diaconos vnius vxoris viri*, filios benè regentes, Qui si filios benè gubernauerint poterunt digni fieri sacerdotio: Iam de cætero se ab vsu fœminæ cohibentes. Veteribus idcirco cōcessum est Leuitis aut Sacerdotibus vxores ad vsum habere, quia per multum tempus otio vacabant à ministerio aut sacerdotio. Multitudo enim erat sacerdotum & magna copia Leuitarum, & vnusquisque certo tempore seruiebat diuinis cæremoniis, secundum institutum Dauid. Hic enim 24. Classes constituit Sacerdotum, vt vicibus deseruirent. Vnde Abia octauam classem habuit: Cuius vice Zacharius fungebatur sacerdotio, sicut continetur in Paralipomenon *volumine*: ita vt tempore quo non illos contingebat deseruire altari, domorum suarum agerent curam. At vero vbi tempus imminebat ministerij, purificati aliquantis diebus accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem omnes altaris ministros à cōuentu fœminarum abstinere debent: quia necesse est quotidie præsto esse in ecclesia. Omni enim hebdomada offerendum

Canon. apostol. 27.

1. Cor. 7.

1 Reg. 21. Exod. 19.

Augu. de gratia & lib. arb.

1. Cor. 7.

Ambr. in 3. capit. 1. Tim.

dum est. Non desunt qui quotidiè baptizentur. Veteribus ideo concessum est, quia multo tempore in templo non videbantur. Si plebëis hominibus causa orationis ad tempus abstinendum vt vacent orationi, Quanto magis Leuitis aut sacerdotibus quos die noctúque pro plebe sibi cõmissa oportet orare? Mundiores ergo esse debent cæteris quia actores Dei sunt. Hæc ibi. Ergo ante tẽpora B. Amb. his qui in coniugio ad sacerdotium assumebantur, cum eorum & vxorum suarum consensu ac voluntate, latina ecclesia legem talem inuexit, vt sacerdotio deinceps coniugati thoro abstinerent. Et Gregor. Turonen. hist. Franc. libr. 1. §. 44. Apud Aruernos post Stremonium episcopum, primus episcopus Vrbicus fuit, ex Senatoribus conuersus, vxorem habens: Quæ iuxta consuetudinem ecclesiasticã, remota à consortio sacerdotis religiosè viuebat. Vacabãt enim ambo orationi, eleemosynis, atque operibus bonis. Cúmque hæc agerent liuor inimici qui semper est emulus sanctitatis commouetur in fœminam, quam in concupiscentiam viri succẽdens, Nouam Euam efficit. Nam succensa mulier à libidine, operta peccati tenebris, pergit ad domum ecclesiæ per tenebras noctis. Tandem sacerdotis tepescit religio. Vsúsque concubitu eis discedere iubet. Hinc de perpetrato scelere condolens egit pœnitentiam. Nata est ex hoc conceptu filia, quæ in religione permansit. Hæc ibi. Alia ratio cœlibatus in sacerdotibus nouæ legis, & matrimonij in Leuiticis seu Aaronicis sacerdotibus peremptoria & euidens assignatur: Ista videlicet. Quia olim ex vna sola tribu nempe Leui assumebantur sacerdotes: Nunc verò ex omni natione, progenie & stirpe, modo ex legitimo & honesto procreati sint coniugio, ad sacerdotium promoueri possunt. D. Ambrosius quotidie obtulit vt testatur libr. 5. Epistola 33. ad Marcellianam sororem suam. Pro quibus (filiis meis spiritualibus scilicet per euangelium genitis) ego quotidiè instauro sacrificiũ, Qui ergo quotidiè offert, quotidiè ab omni vxoris vsu mundum esse oportet & separatum. Consultissimum ergo est, cœlibatum tales profiteri: qui altari semper adstare debent. D. August. to. 1. lib. 6. confess. ca. 3. Ipsum Ambrosium fœlicem quendam hominem secundum sæculum opinabat, quem sic tantæ potestates honorarent. Cœlibatus eius tantum mihi laboriosus videbatur. Sed quid solaminis in luctamine haberet expertus non eram. D. Epiphanius doctor

Gregor. Turonẽs.

Amb. epist. 33.

Aug. to. 1. li. 6. cõfess. ca. 3.

Epiph. to. 1. li. 2. hæres. 59.

doctor Græcus hanc confirmat sententiam, de cœlibatu post sacrorum imitationem, libr.2.to.1. contra Catharos hęresi 59.Re vera non suscipit Sancta Dei prædicatio, post Christi aduentum eos qui à nuptiis mortua ipsorum vxore, secundis nuptiis coniuncti sunt propter excellentem sacerdotij honorem ac dignitatem. Sed & adhuc viuentem & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit sed eum qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit: Diaconum,presbyterum,& episcopum,ac hypodiaconum, maximè vbi synceri sunt canones ecclesiastici. At dices mihi omnino in quibusdam locis adhuc liberos gignere presbyteros, Diaconos & hypodiaconos. At hoc non est iuxta Canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit. Dico autem quod decorum est propter repentina ministeria, & necessitates, vt presbyter & Diaconus & Episcopus Deo deditus sit. Si enim populo præcipit. S.Apostolus dicens: *Vt ad tempus vacẽt orationi.* Quanto magis sacerdoti idem præcipit? vt indistractus sit inquam, ad vacãdum secundum Deum sacerdotio quod in spiritalibus necessitatibus ac vsibus perficitur. Hæc S. Epiph.sanctissimè & iuxta Latinorum morem perpetuum conuenientissimè: Licet apud quosdã Græcos & Sacerdotes nuptiarum antea contractarum, in ipso sacerdotij ordine sit aliquis vsus & conuentio coniugalis.D. Hierony. tom.2.epist.libr.1.contra Iouinianum post medium,agens de cœlibatu sacerdotum. Si Laicus(inquit)& quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali:Sacerdoti cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum est matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant non solũ in domibus suis non erant:sed purificabantur ad tempus,ab vxoribus separati: & vinum & siceram non bibebant: quæ solent libidinem prouocare.Eliguntur mariti in sacerdotiũ non nego:quia non sunt tanti virgines,quanti necessarij sunt sacerdotes. Hæc D. Hieronymus cum D. Ambrosio conformiter. De iis qui sacris initiantur ordinibus quomodo cœlibatum profiteantur, in Pontificali Romano me legisse memini. De ordinatione Subdiaconi,ibi habetur.Fratres dilectissimi ad sacrum Subdiaconatus ordinem promouendi:iterũ atque iterum considerate, quod hactenus liberi estis, licẽt que vobis pro arbitrio ad secularia vota transire.Quòd

Hier.to. 2.epistol. lib.1.cõt. Iouinia. Heb.5.

Pontific. Rom.

si hunc ordinem susceperitis, amplius nō licebit à proposito resilire. Sed Deo cui seruire regnare est: perpetuo famulari,& castitatem illo adiuuante seruare oportebit: atque in ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proinde dum tempus est cogitate, & si in sancto proposito perseuerare placet,in nomine Domini huc accedite. Ergo post votum continentiæ quod in sacrorum ordinum susceptione emiserunt: matrimonium contrahere non possunt:sed cœlibes degere debent. Ecclesia quidem neminem cogit ad sacerdotij susceptionem,per cōsequens neque ad castitatem,sed spōte ac vltro se obligat ille:qui sacrum suscipit ordinem.Vouetque implicitè saltem perpetuam castitatem inter episcopi manus qui sacris initiatur ordinibus. Vitam ergo agat cœlibem,si non vult reus voti & promissi haberi,diuinamq; subire vltionem. Vnde cœlibatus dicatur eleganter(vt omnia)D.Hieronymus to.2. epist.lib. 2. aduersus Iouinianum in fine. Cœlibes vnde & ipsum nomen inditũ est, quòd cœlo digni sunt:quia coitu careant. Hæc ille. Dices continere non possum. Respondeo,Nihil ad continentiam seruandam necessarium facis: O hereticè,voluptatisq; amator magis quàm Dei.Horres ieiunia,vino ingurgitaris,Curas cuticulam,Bachanalia viuis,*Commoraris in vino, & studes calicibus epotandis. Prou.* 3.Quomodo in his omnibus castitatē teneres, cũ Cerere & Baccho,& non potius venerem coleres?In vino enim luxuria.Et vt D.Hier.ait lib.2.aduers.Iouinia. post principia to.2.epist. Esus carnium & potus vini ventrisq; saturitas, seminarium libidinis est.Vnde & Comicus Sine Cerere & Baccho friget Venus. Item tom. 2. ad Oceanum de vnius vxoris virgo circa finem.Venter mero æstuãs facilè despumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudentia est. Qui luxuriatur viuens mortuus est,ergo qui inebriatur,& mortuus & sepultus est. Noë ad vnius horæ ebrietatē nudat femora sua: quæ per 600.annos sobrietate cōtexerat.Loth per temulentiam, nesciens libidini miscet incestũ:& quē Sodoma nō vicerat,vina vicerunt.Hæc D.Hiero. Tales castitatē seruare non valent: quia non volunt. His omnino similes qui ad ignem stuppas applicant,Qui oleum igni(iuxta prouerbiũ)iniiciunt. Et addunt promisit dominus:*Omni petenti dabitur.* Isti autem ne petere quidem volunt vel dignantur. Orationes defugiunt,& vigilias oderunt.

Hieron. to.2. cōt. Iouiniã-num.

Prou.3.

Hier. in Iouinia.

Hieron. ad Oceanum.

Genes.9.

Gen. 19.

cane

cane peius & angue.

Carnis macerationes, χαμευνίας, hoc est, humi dormitiones auersantur. In humo nuda dormire non sustinent: Quomodo ergo in tanta dissolutione, & carnis licentia casti esse possent? Tertulianus lib. de Monogamia. *Qui potest capere capiat* (ait Dominus) Si non potes quia non vis (posse enim te si velis ostendit, quia tuo arbitrio vtrumque proposuit) discedas oportet ab eo cuius non facis voluntatẽ. Solent verò obiicere hæretici. *Oportet episcopum esse vnius vxoris virũ. 1. Tim. 3. ait Paulus.* Ergo non probat cœlibatũ in episcop. Responde ex D. Chrysost. hom. 10. Ibi non hoc (inquit) veluti sanciens dicit: Quasi non liceat absque vxore Episcopum fieri, sed eius rei modum constituens: vt scilicet ad episcopatum assumatur non digamus sed monogamus. Quomodo iuberet vxoratum esse qui dicit, *Volo omnes esse sicut meipsum?* Ergo ipse Apostolus Episcopus non erat. Nec Ioannes Euangelista qui virgo in æuum permansit, Cui virgo Christus, virginẽ, virgini commendauit. Hæc verba non præcipiunt coniugium sed tollunt digamiam. Non quod nuptias damnemus, sed cœlibatum præferimus. Nullus ex Apostolis postquam ad Episcopatum vocatus est nouam duxit vxorem. Nec vnquam sacerdos vxore carens, post sacerdotium susceptum vxorem duxit. Rescripsit Iustinianus Imp. in authent. Leg. Episcopo. C. de episcopis & clericis. Episcopo nullam mulierem secum habere permittitur, sed si habere probetur, ab episcopatu deiiciatur: quo se fecit indignum. Idẽ in authent. Collat. 9. Constitut. 123. §. Presbyteris, agens de sanctissimis episcopis cap. 29. Episcopum nullam penitus mulierem habere, aut cum ea habitare permittimus, aliàs ab Episcopatu proiiciatur: Ipse enim se ostendit indignum Sacerdotio. Quibus ex constitutionibus mihi fit probabilissimum, & vero proximum, apud Græcos etiam Sacerdotes à Coniugali abstinuisse officio, & longè factos ab amplexibus, tametsi à coniugali statu ad episcopale vel sacerdotale assumerentur fastigium, sicut semper in more, praxi, atque vsu, Latina & Catholica habuit ecclesia apud benè moratos saltem, & regularum, sacrorúmque Canonũ obseruãtes Grçcos. Existimo id factitatũ, quãuis fortè ĩ aliquib. Grçcię locis aliter & paulò licẽtiùs vsurpatũ fuerit. Idẽ Iustin. Const. 6. apud Iulian. Patriciũ §. Qui duas. Si quis presbyter vel Diaconus vel subdiaconus vxorẽ duxerit

Tertu. de Monogamia Matthæi 19.

1. Tim. 3.

Chrysostom. ho. 10. in 1. ad Tim.

Iustinia. authen. Leg. episcopo.

Patricius Iustinia. interpres.

rit vel cõcubinã habuerit, siue clàm siue palàm siue sua aliqua figura: cadat Clericatus honore, & sit priuatus & laicus. Idẽ cõst. 36. apud eundẽ Iulian. antecessorẽ §. Clericus. Clericus (inquit) qui supra lectores & Cantores est veluti subdiaconus, vel Diacon⁹ nullas nuptias cõtrahere audeat, alioquin sacerdotio cadat. Quę cõstitutiões apertè demõstrãt, eiusmodi sacris initiatis ordinib. cõtinentiã pręcipi. Idẽ Iustinia. in auth. Leg. multò magis C. de Episcop. & clericis. Soli Cantores, Lectoresq; nuptias cõtrahere permittũtur: Aliis aũt omnibus penitus interdicimus. Verũtamẽ si & ipsi (Cãtores Lectoresq;) ad secũdas peruenerint nuptias, nequaquam ad sacerdotij culmen ascendant. Idem in nouella Constit. 15. apud Iulianũ Patriciũ §. Nullus episc. hoc est 50. Nullus episcopus cum muliere habitet penitus. Sin autem probatus fuerit hoc nõ obseruasse, episcopatus honore reiiciatur: Quia ipse se indignũ sacerdotio ostendit. Tot constitutiones produxisse lectori æquissimo sufficiat. Pro cœlibatu sacerdotũ nota. Castra ex Isidoro Ethymologiarũ lib. 9. c. 3. sunt vbi milites steterint, dicta autem Castra quasi casta, eo quod illic castraretur libido. Nam nunquam his intererat mulier. Simile quid habet Haymo in. 11. cap. ad Hebræos, ad illud *Castra verterunt exterorum.* Castra (inquit) dicuntur à castrãdo eo quod ibi castraretur libido. Non est enim mos militaris vt pergentes in præliũ vxores aut fœminas alias secũ ducant. Duo autem quondã principes terræ cum comitatu vxorũ perrexerunt in bellũ, Darius videlicet & Antonius. Sed vterq; ibi corruit. Dari⁹ quidẽ superatus est ab Alexãdro, Antonius verò ab Octauiano August. Hæc ibi. Castra militũ ecclesiasticorũ, hoc est, in sacris ordinibus constitutorũ Sancta esse debent. 2. Ti. 2. *Labora ait apostolus sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militãs Deo, implicat se negotiis secularibus.* Certum est autem quod cõiugati & qui vxores alũt & familiã, terrenis multum implicantur, teste experientia ipsa & apostolo hoc ipsum in suis epistolis confirmante. Sint ergo cœlibes & sine vxoribus. D. Hieronym. libro primo contra Iouinianum in fine hac forma scribit. Cicero rogatus ab Hircio vt post repudium Terentiæ, sororem eius duceret, omnino supersedit: dicens non posse se vxori & philosophiæ pariter operam dare. Quantò æquius & verius dixerit quis, sacris initiatos vxoribus pariter & ministeriis ecclesiasticis quotidianis non posse inseruire? Sint ergo casti

Isidor. Etymol. li. 9. c. 3.
Haymo.
2. Tim. 2.
Hieroni. cõt. Ioui.

ſacerdotes militiæ ſanctæ addicti. Pudicè viuant, concubinas, ſcorta, & immunditias ſpurcitiáſque huiuſmodi fugiant. Si enim ex diſciplina militari, hæc omnia à caſtris relegantur: Iure omnium optimo, & caſtris & cohabitatione ordinatorum, ſacrorum nimirum hominum talia eijci & expelli congruit. Valerius lib. 2. cap. 7. de diſciplina *Valerius* militari, in hanc rem ſic ſcribit. Cornelius Scipio cui de- *li. 2. c. 7.* leta Carthago auitum cognomen dedit, vt inſolentiſſimos Numantinæ vrbis ſpiritus, ſuperiorum ducum culpa nutritos contunderet, eodem temporis momento quo caſtra intrauit, edixit, vt omnia ex his quæ voluptatis cauſſa comparata eſſent, aufferrentur ac ſummouerentur. Conſtat tum duo milia ſcortorum abiiſſe: Hac turpi atque erubeſcenda ſentina, vacuus factus noſter exercitus, acrem illam & animoſam Numantiam, incendiis exuſtam ſolo æquauit. Hæc ibi. Quæ facilè ad inſtitutum noſtrum accommodantur. De cœlibatu ſacerdotum Tibullus lib. *Tibullus.* 2. eleg. 7. hoc intertexuit carmen.

Caſtra peto, valeátque Venus, Valeántque puellæ.

Non debere milites eſſe effœminatos probatur ex Æ- *Ælia. li.* liano libro 10. de animal. cap. 15. Ægyptiorum (inquit) *10. de a-* bellatores ſcarabeum in annulis inſculptum habere ſo- *nim. c. 15.* lebant: quo ſignificabant ſolos mares pro patria bellum gerere oportere: Quòd ſanè ſcarabeus careat fœmina. Siquidem in ſuo genere ſcarabeorum natio fœminei ſexus eſt expers: ideo in fimi pilam ſemen emittit quam 28. dierum ſpatio, & volutat, & concalefacit: deinde fœtum procreat. Hæc Ælianus. Milites ἀγάμους eſſe debere & cœlibes oſtendit Cornelius annalium libro 14. *Corn. Ta-* circa medium, de militibus ſic ſcribens. *cit.*

Neque coniugiis ſuſcipiẽdis, neque alendis liberis ſueti: orbas ſine poſteris domos relinquebãt. Colligitur proinde milites olim fuiſſe ſine vxore. Dio quoque lib. 60. de Claudio Imper. Militibus (inquit) quia vxores ex lege ha- *Dio de* bere nequibant ius maritorum conceſſit. *Τοῖς ϛρατευο-* *Claudio* *μένοις ἐπειδὴ γυναῖκας ἐκ ἐδύνατο ἐκ γε τῶν νόμων ἔχειν τὰ τῶν* *Imp.* *γεγαμηκότων δικαιώματα ἔδωκε.* Ex commentario Lipſij ad Cornelij Taciti ſupra citatum locum ſic vertere licebit. Militibus quoniam ex legibus vxorem habere non poterant: iura indulſit maritorum. Reſoluiſſe hoc ius Seue- *Lipſius.* rus Imper. videtur: ſi rectè capio Herodianum, ait idem *Herodia-* Lipſius. Sic autem legitur apud Herodianum lib. 3. in *nus.*

Seuero militibus permulta indulſit, quæ nunquam anteà acceperant. Nam & aureis annulis vti, & domi habere mulierem permiſit: quæ omnia procul à militum diſciplinis, ſuccinctos eos paratóſque ad bellum minimè præſtitura videbantur, Græcè ſic apud Herodianum leges, τοῖς ϛρατιώταις πολλὰ συνεχώρησεν ἃ μὴ πρότεροι εἶχον καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε. γυναιξί τε συνοικεῖν. Certè enim de coniugio legitimo capiendum videtur; (ait Lipſius vbi ſupra) cohabitare fœminis, contubernales ſcilicet habere, aut certè legitimas vxores, eſt enim ambiguus intel-
Tertull. exort. ad Caſtit. lectus verborum Herodiani. Tertullian. exhortatione ad Caſtitatem, inter cœlibes numerat milites ſic ſcribens, Perierunt cœlibum familiæ, ſpadonum, militum, aut peregrinantium ſine vxoribus? Non enim & nos milites ſumus, eo quidem maioris diſciplinæ, quo & tanti Imperatoris? Non & nos peregrinantes in iſto ſeculo ſumus? Ad-
Hierony. do quod D. Hieron. tom. 1. epiſt. ad Euſtochium de virginitate ſeruanda, circa medium, ſcribit.

Nemo miles cũ vxore pergit ad prælium cùm Apoſtolus ſine intermiſſione orare nos iubeat: & qui in coniugio debitum ſoluit orare non poſſit: aut oramus ſemper & virgines ſumus: aut orare deſinimus vt coniugio ſer-
Ioã. Tur. uiamus. Hæc ibi. Et Ioannes Turpinus de Vita Caroli magni & Rolandi cap. 21. ſub finem. Pergentibus ad prælium patet quod perniciosus ſit comitatus fœminarum. Quidam enim terrent principes, Darius ſcilicet & Antonius, olim cum vxorum comitatu perrexerunt in bellum: & ambo ibi corruerunt, Darius ſuperatus ab Alexandro, Antonius verò ab Octauiano Auguſto. Quapropter nec decet nec expedit, habere mulieres in caſtris, vbi libido caſtranda eſt, impedimentum animæ ſimul & corpori. Sacerdotibus & religioſis viris non licet mulieribus coin-
Aug. ſer. 37. ad fratres in eremo. quinari. Hactenus Turpinus D. Auguſt. tom. 10. ſerm. 37. ad fratres in eremo. Sacerdotes paganorum dum offerre debent diis ſuis incenſa ab omni malo vt poſſunt abſtinent. Ecce ego iam Epiſcopus Hipponenſis eram & cum quibuſdam ſeruis Chriſti ad Æthiopiam perrexi, vt eis ſanctum Euangelium prędicarem. Sacerdotes eorum vidimus vxoratos: tantæ tamen abſtinentiæ erant, quòd licet vxores, omnes ſacerdotes haberent: Nunquam tamen niſi ſemel in anno eas tangere volebant: qua die ab omni libidine carnis ſe abſtinebant, & ſeptimana in qua Diis ſuis thura

thura offerre debebãt, ab omni labe carnis se abstinebant, nihil sumebant nisi metretam aquæ per diem, & sic contenti manentes dignè sacrificium Diis suis offerebant. O grandis Christianorum miseria! Ecce Pagani doctores fidelium facti sunt. Hæc D. August. Sícque cœlibatum sacerdotum amplissimum argumentum hîc contractum in pauca, & iuxta præcipua capita expositum finio atque concludo. Socrum suam honore prosequutus est, & officio ac cura D. Apostolus Petrus: docens Socrum esse venerandam genero: & quo ad fieri ab eo poterit, curandam diligenter. Ruth socrum coluit, vt ex eius historia colligitur. Et Tobiæ.10. *Monebant parentes filiam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.* Suprà de parentum honore affatim diximus. Extendi verò debet ad Soceros & Socrus. Nam gener & nurus tales habere debent, & colere loco patris & matris: Siquidem vir & vxor non iam duo sunt: sed vna caro, iuxta illud: *Erunt duo in carne vna.* Communes igitur habere ac reputare debent parentes. Tenebatur anus illa Petri Socrus magnis febribus vt habet euangelicus cõtextus. Quid sit febris, & quot sint differentiæ febrium, quæ sint febris Symptomata & veluti accidentia seu proprietates: est medicorum tractare: Et vt ait Horatius lib. 2. epist. 2. circa medium.

Tob. 10.

Horati⁹.

Quod medicorum est:

Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Quid verò allegoricõs significent hæc omnia: spiritualis Theologus diiudicat. Nos igitur ex Galeno desumemus quæ ad nostrum institutum faciunt, & more nostro ad rem præsentem accommodabimus Galenus 2. Classe li. 1. De differentiis febrium cap. 1. Febris (inquit) substantia, in genere caloris qui est præter naturam consistit. In eo autem libro diuersis capitibus, nominat febres pestilentes, quæ omnes à putredine ortum habent! appellat quasdam Ephemeras, & alias hecticas solutu difficiles, quemadmodum habitus. Lib. 2. Agit etiam de quotidiana febre, item de Quartana, quæ est valde diuturna, & difficulter solubilis. Cap. 7. lib. eiusdem Catherinam, id est quotidianam febrem (inquit) ita vocare consuerunt iuniores medici, eam febrem quæ singulis diebus accenditur, neque vllam habet intermissionem. Ego verò solitus sum eandem febrem amphimerinam cõtinuam nominare.

Galenus Classe li. 1. de diff. febr. cap. 1. & li. 2. cap. 7.

Nam

Nam omnem rem quæ quotidie eodem fiat modo: græci amphimerinam vocant. Verum (vt inquit Plato) non est habenda de nominibus cura, quibus tot ac tantarum rerum inuestigatio proponitur. Vocetur itaque quæ singulis diebus accenditur atque intermissione finitur, amphimerina, id est quotidiana simpliciter, nulla alia facta sermoni adiectione. Quæ intermissionem non habet quotidiana: continua dicatur: at liceat etiam si quis velit, alteri adijcere intermittens. Idem Galenus eadem Classe cap. 7. ad eos qui de typis scripserunt: sic describit Tertianam & Quartanam. Tertianam sanè appellamus cui tertio die accessio oboritur. Quartanam verò cui quarto quoque die. Inter Galeni opera, seorsum reiecta sunt spuria, quæ ei falso adscribũtur: In quibus liber de medicis definitionibus, Galeno adscriptus circunfertur, extátque impressus, in quo has definitiones inuenio. Quotidiana febris est, singulis diebus ac noctibus, vt plurimùm eadem hora inuadit. Tertiana, quæ vno die vnáue nocte inuadit sequente intermittit, tertio iterũ redit. Quartana est quæ vno die aut nocte accedit: Deinde duos dies aut noctes intermittit, ac quarto repetit. Erraticæ febres vocãtur quæ neq; statuto, neq; ordinato tempore, sed incerto statu oriuntur. Febris continens est quæ nec diem nec noctem intermittit: eáque neque remissiones & accessiones infert. Hæc ibi. Febris latinè à feruore dicitur, sicuti πυρετὸς græcè à calore igneo. Horum omnium applicatio ad Theologum pertinet, vt videlicet dicamus febrem Quotidianam (πυρετὸς ἀμφημερινὸς appellatur græcis) significare peccatum gulæ, propter Quotidianam ventris exactionem: veluti de epulone dicitur. *Epulabatur quotidie splendidè.* Quotidiana febris facilè mutatur in aliam: Gula cito transit in luxuriam, & ex ebrietate, stuprum, incestus, parricidium, & alia enascuntur scelera. Patet in Loth qui vino sepultus cum filiabus rem habuit. Et D. August. tom. 10. sermo. 33 ad fratres in Eremo. De detestatione ebrietatis cum terribilis casus enarratione circa principium sic refert; Ciuis noster Hipponensis Cyrillus, filium vnicum habebat quem superfluè diligebat, & supra Deum. Ideo superfluo amore inebriatus, filium corrigere negligebat: dans etiam potestatem faciendi omnia, quæ placita essent illi. O dolosa libertas! O grandis filiorum perditio! O paternus amor mortiferus? Ecce filios se dicunt diligere, quos iugulari procurant.

Luc. 16. *Gen. 19.* *Aug. ser. 33. ad fratres in eremo.*

procurant. Dicunt eos amare: quibus iam suspendia parant. Ille igitur filius, quem Cyrillus corrigere negligebat: & luxuriosè viuendo consumpsit partem bonorum suorum. Ecce hodie (ait S. Aug.) ebrietatem perpessus matrem prægnantem, nequiter oppressit: sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores vulnerauit ad mortem. O magna diaboli dominatio! Patrem quē post Deum reuereri debebat, occidit: Matrem à qua portabatur, prægnantem oppressit: sorores quas tenerrimè diligere debebat voluit violare: & duas vulnerauit ad mortem. O dolorosa ebrietas, omnium malorum mater! Omnis luxuriæ soror, Omnis superbiæ pater! O ebrietas, tu mentem cæcas, iudicio recto cares, consilium nullum habes, blandus dæmon es, venenum dulce es, Peccatum suaue es, O ebrietas. Nunquid non per te inflatur stomachus? putrescit anhelitus? mortem acceleras, marsupia euacuas? Nunquid non bestialem & irrationabilem te diligentem tecum ducis? Ergo ô fideles, *Nolite inebriari vino.* Loth inebriatus cum filiabus iacuit. Audite Esaiam dicentem. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam: vt vino æstuetis.* Hæc ibi. An non ex gula cito fit transitus ad idololatriam, vt patet in filiis Israël? Et vulgo dici solet: *Apres la pance vient la dance:* Post gulam chorea. *Sedit populus manducare & bibere: & surrexerunt ludere.* Hoc est illudere Deo, Idolum adorare. vitulum scilicet conflatilem, cui concinentes dicebant: *Isti sunt dij tui ô Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Exod. 31.* Breuiter ex gula, abundantia & saturitate, prouenit iniquitas: iuxta illud psalmographi. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Hæc est febris quotidiana. Vel non inconcinnè sic exponi potest, vt per hanc quotidianam febrem venialia designentur & adumbrentur peccata: pro quibus quotidiè supplicamus: *Dimitte nobis debita nostra.* Et Prouerb. 24. *Septies in die cadit iustus & resurgit.* Curatur hæc febris, gulæ quidem per sobrietatem. 1. Pet. 5. *Sobrij estote & vigilate.* Et Christus in euangelio monet. *Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate.* Quia arte medicinæ contraria contrariis curantur. Quod medicorum facilè princeps Hippocrates, aphorismorum. libr. 2. Aphorismo 22. sic expressit. Quicunque morbi ex repletione fiunt: eos curat euacuatio. Et quicunque ex euacuatione, repletio. Καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις. Hoc est & aliorū cōtrarietas.

Esa. 5. *Exod. 31.* *Prou. 24* *1. Pet. 5.* *Hippocr.*

In quem

Galenus. In quem aphorismum, Galeni Commentarius est huiusmodi. Morbi per contraria curantur Causarúmque facientium abolitio fit ex contrariis. Si enim ex refrigeratione morbus fiat: curatio est per calefactionem. Si verò ex calefactione, per refrigerationem. Sic etiam si propter repletionem morbus constituatur, tunc oportet repletionem euacuare: sicuti & si propter euacuationem reficere protinus conuenit. Hæc ibi, febris Ephimera πυρετὸς ἐφήμερος, siue diaria dicitur ab Ephimero animalculo, De quo Aristoteles historiæ animalium. libr. 5. cap. 19. in fine.

Aristoteles. Hypanis fluuius (inquit) apud Cymmerum Bosphorum sub solstitio defert veluti folliculos acinis maiores, quibus quadrupedes volucres erumpunt: quod genus animalis in post meridianum vsque diei tempus viuit & volat: mox descendente sole macrescit & languet: deinde occidente emoritur, vita non vltra vnum diem peracta. Vnde Ephemerum, id est diarium appellatum est. Hæc Aristoteles. Ita quidam Ephemeram febrem ab illo dictam volunt. Illa significat subitum iræ motum qui debet finiri antè solis occasum: *Ephes. 4. Sol non occidat super iracundiam*

Ephe. 4. *vestram*: id est non duret iracundia vestra, sed statim consopiatur: qua de re suprà multa à nobis allata sunt exempla. Horatius lib. 1. ser. satyra. 7.

Horatius.

inter,

Hectora Priamidem animosum atque inter Achilem
Ira fuit capitalis, vt vltima diuideret mors.

Non aliam ob causam, nisi quod virtus in vtroque summa fuit. Non sit inter nos talis ira atque inuidia. Medicina istius seu curatio est. Psal. 4. *Irascimini & nolite peccare.*

Psal. 4. *Si fueris ad altare* (ait Christus) *vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5.* Febris erratica πλάνης πυρετὸς, quæ non accidit determinatis horis! significat inuidiam quæ quando quis laudatur accedit, Et cùm vituperatur recedit. Non enim habet horam determinatam, cùm renouantur laudationes, renouantur etiam accessiones: vt in Saule cùm audiebat Dauidis laudes, tunc laborabat vehementi accessione: Quando verò Dauid pulicem vnum & Canem mortuum se nominabat tunc illa accessio recedebat. *Peccator videbit & irascetur*, ait Psalmista. Sic Iudæi in primitiua ecclesia ex æmulatione aduersus gentes conuersas inuidia tabescebant, & contra Apostolorum principem quod ad Cornelium cēturionem

conuenis

conueniſſet, murmurabant. *Act.11.cap.* Cuius rei typus in maiore natu fratre prodigi præceſſerat: qui de fratris iunioris receptione indignatus nolebat introire. *Luc. 16.* Hinc, *putredo oſſium inuidia. Prouer.14.* Curanda eſt hæc fraterna inuidia medicina Pauli. Roman.12. *Gaudere cum gaudentibus.* Neque ægrè ferre aut triſtari debemus: de bonis fratris eiúſque proſperitate, quinpotius illi congaudore. Febris Tertiana πυρετὸς τριταῖος quæ vno die venit & altero non: ſignificat inſtabiles, vno die proponunt multa bona facere, altero mutantur: ſed non in melius. Medicina ſiue eius curatio habetur. 1. Cor.15. *Fratres ſtabiles eſtote & immobiles.* Iac.1. *Qui hæſitat ſimilis eſt fluctui maris.* Pharao dicebat ſe dimiſſurum Iſraëlem, deinde retractabat. Tales ſunt paruulis ſimiles, *Epheſ.4. Ne ſimus ſicut paruuli fluctuãtes, & circunferamur omni vento doctrinæ.* 3. Reg.15. *Vſquequo claudicatis in duas partes?* Matt.11. *Arũdinem vento agitatam?* Significat etiam ſuperbiam, vt in Achab qui modo humiliabatur, coram domino, deinde relabebatur: & ad vomitum reuertebatur ſtatim. Antiochus ſimiliter circa vitæ finem fictam agebat pœnitentiam, fictas profundebat lachrymas, multa promittens in futurum, ſi è morbo conualeſceret. Horum ſimiles quoque multi inueniuntur, qui ad tempus multa pollicentur: & vitam ſuam emendaturos: cæterùm eueſtigio recidiuum admittunt & relapſum. Quartana febris πυρετὸς τεταρταῖος ſignificat Luxuriã quæ per corpus expletur, quod 4. elementis componitur. Hinc apoſtolus. *Qui fornicatur in corpus ſuum peccat.* Difficilis eſt admodum eius curatio. Valde diuturna, & difficulter ſolubilis eſt, ait Galenus, libr. 2. capit. 5. De differentiis febrium. Patet in Samaritana Ioan. 4. *Quinque viros habuiſti & quem nunc habes non eſt tuus vir.* In Meſſalina de qua Iuuenalis Sat.6.

Et laſſata viris ſed non ſatiata receſſit.

Prouerb. 30. *Os vulnæ nunquam dicit ſufficit.* Oſeæ 5. *Non dabunt cogitationes ſuas vt reuertantur ad Deum ſuum: quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & dominũ non cognouerunt,* Medicina ſiue curatio eius extat Epheſ.5. *Fornicatio nõ nominetur in vobis.* Rurſus, *fugite fornicationem.* Ioël.1. *computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Id contingit Diuo Gregorio interprete, quando carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finiunt, vt patet in Abdia certaminis Apoſtolici ſcriptore vetuſtiſſimo lib.3. in vita S. Andreæ apoſtoli.

Act.11. Luc.16. Prou.14. 1.Cor.15. Iac.1. Epheſ.4. 1.Reg.15. Matt.11. Galenus. Ioan.4. Iuuenal. Sat.6. Prou.30. Oſeæ.5. Epheſ.5. Ioël.1. Gregori in Ioël. Abdias Babil.

Ibi describit Senem quendam Nicolaum qui 74. annis vitę suæ non discesserat à scortatione, pro quo B. Andreas dominum orauit. Vóxque de cœlo audita est. Obtines Andrea pro sene. Ille senex per sex mēses in pane & aqua ieiunauit, & quæ habebat distribuit indigentibus: & exiuit de

Daniël. 13. seculo. Daniël (*cap. 13.*) ad alterum ex duobus senibus & populi iudicibus iniquis dixit. *Inueterate dierum malorum*, cum totus esset ardore & fœtore luxuriæ conspurcatus atque perditus. Vel longam significat peccandi consuetudinem. Prima dies est mala cogitatio, & eiusdem delectatio. 2. malus consensus. 3. malum opus. 4. mala consuetudo.

Ioan.11. Difficulter autem curatur, quod in Lazaro quatriduano figuratur. Etenim suscitatus est cum clamore valido, fremitu & lachrymis Christi. Difficile est assueta relinquere. Siquidem assueta consuetudo in naturam vertitur. Naturalia autem dicuntur immutabilia, sicut & poëta cecinit

Horati⁹. Horatius lib. 1. epist. ad Fuscum Aristium.

Naturam expellas furca, tamen ipsa recurret.

Eccle.12. Medicina eius Eccles. 12. *Non est ei bene qui assiduus est in malis quoniam altissimus odio habet peccatores, & misertus est*

Ioan.11. *pœnitentibus.* Et Dominus Lazarum clamore excitat dicens *Ioan. 11. Lazare veni foras.* Hoc est. O Peccator, exi de mala consuetudine. *Surge qui dormis & exurge à mortuis & illuminabit te Christus. Ephes. 5.*

Ephes. 5. Febris continua συνεχὴς πυρετὸς dicitur græcè. Hæc est periculosissima, vulgo enim fertur, *La continuë emporte son homme.* Significat auaritiam atque vsurarum voraginem. Tales enim scelerati continuè peccant. Reliqui peccatores interpollationem ac intermissionem faciunt in peccatis, vt gulosus non semper manducat, iracundus non semper bile feruet, luxuriosus non semper scortatur. At vsurarius continuè peccat, qualibet die, qualibet hora, quolibet momento, fœnus additur fœnori & accumulatur quouis tempore. Auaritia & vsura hominem occidunt: quia tollunt ea quæ sunt causa vitæ, nempè cibum, somnum

Eccl. 14. & quietem. Auarus enim non audet comedere. *Eccles. 14. Insatiabilis oculus cupidi, & non satiabitur pane indigens, & in tristitia erit, super mensam suam.* q.d. Auarus adeò etiã sibi malus est, vt nec pane satietur inter edendum: etiam necessarium sibi cibum & potum, qui tantum ad esum datus est: sibi subtrahens, nec famelico suo ventri, satisfaciens, vt minimè consumat. Itaque in mensa sua in qua

cibum

cibum cum lætitia cordis sumere deberet: quantum satis est naturæ, erit & indigens, & in tristitia: quia dolet à se aut ab aliis tantum consumi, quantum consumitur. Hæc sic exponit Iansenius ibidem. Notissimum est illud, Auaro *Iansen*.* tam deest quod habet, quam quod non habet. Auarus sibi ipsi est nequam. *Cui ergò bonus esse posset?* Nec potest ille dormire: De quo cap. 7. Eccles. *Cuncti dies eius doloribus & Eccles. 7.* *ærumnis pleni sunt, nec per noctem mēte requiescit: & hoc nonne vanitas est?* Patet in illo diuite Euangelico, rerum suarum satagente. *Quid faciam?* dicebat, *Destruam horrea mea, &c.* Cui dictum est. *Stulte hac nocte morieris, &c. Luc. 12.* Potest *Luc. 12.* etiam illud Ieremiæ. 49. ei accommodari, *Præ solicitudine Iere. 49.* *quiescere non potuit.* Iudas auarus ducebat noctem insomnem. Auaritia in senibus iuuenescit atque vt Horatius, *Horatius* lib. 1. epist. ad Mœcenatem circa finem de quodam scribit *li. 1. epist.* *Immoritur studiis, & amore senescit habendi.* 1. Timoth. 6. *Qui 1. Tim. 6.* *volunt diuites fieri incidunt in varias tentationes: & in laqueos diaboli.* Deinde. *In desideria quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Eccle. 5. *Saturitas diuitis non sinit eum dormire. Eccles. 5.* Patet igitur quomodo nec cibum, nec requiem, nec somnum capiunt auari. Curatur hæc febris hac medicina psalmistæ. *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.* Item. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Et Matth. 6. *Nolite thesaurizare in terra.* *Matt. 6.* Febris hectica, Ἑκτικὴ, vel ἑκτικὸς πυρετὸς, quæ est radicata in medullis & naturalem humiditatem consumit: Significat acediam ac pigritiam. *Matth. 20. Quid Mat. 20.* *hic statis tota die otiosi?* Galenus libr. 1. de differ. Febrium *Galenus.* cap. 7. Hectice (inquit) solutu difficiles sunt, quemadmodum habitus. Sic otiositas, vt dixit Seneca: est viui hominis sepultura & mors quædam. Vnde de otio cecinit Ca- *Seneca.* tullus ad Lesbiam. *Catullus ad Lesbiam.*

Otium & reges prius & beatas,
Perdidit vrbes.

Vnde Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis & otium ipsius & filiarum eius.* *Ezec. 16.* Et Ecclesiasticus *multam malitiam docuit otiositas.* Febris hectica humiditatē consumit, & otiositas ignauos, inertes, & nulli agendæ rei vtiles, habiles, & strenuos vel aptos reddit. Hinc ex cessatione operis amittitur aliquando facultas agendi. Quod *Appian.* Appianus Alexandrinus de bellis ciuilibus lib. 4. ante me- *lib. 4. de* dium perpulchra docet atque demonstrat historia. Ge- *bell. ciui-* tam filius (tempore proscriptionis cùm ille de numero *libus.*

esset proscriptorum) in area domus se finxit exurere, quasi præfocatum laqueo: qui dolus vbi successit ruri quod nuper emerat, eum reliquit. Ille senex quo mutaret oris speciem, pelliculam induxit alij oculo: deinde pace reddita & amota pellicula, Oculus longo otio redditus est inutilis. Hæc Appianus. Medicina huius atque curatio describitur. Roman. 12. *Spiritu feruentes, sollicitudine non pigri*, inquit Apostolus. Galenus lib. 1. de diff. Febr. cap. 5. Febres quasdam pestilentes nominat. Illæ hæresim appositissimè significant. *Psal. 1. in cathedra pestilentiæ non sedit*. Nunc ex medicorum etiam schola & præscripto proponamus febris symptomata: & more nostro ad rem acommodemus. Ioannes Feruclus Medicus Pathologiæ lib. 4. quem de febribus inscripsit. capit. 1. Febris (inquit) est calor præter naturam è corde in omne corpus effusus. Calor præter naturam aduersatur naturali. Omnium porro febrium communes notæ sunt. Pulsus celer ac frequens: interdum etiam inæqualis, virium languor, & imbecillitas, cum spontanea corporis grauitate, aut dissolutione. Corpus quippe vniuersum consentit laboranti cordi. Cap. 2. Febrium differentias explicat. Ephemera (inquit) vno fere die soluitur, vnde ephemera id est, diaria nuncupata est, rarò longius excurrit. Cap. 3. Febris ephemera est omnium leuissima & facilè dissipabilis, non constans, sed veluti transiens, ac præterfluens. Cap. 19. Agit de febrium symptomatis. Febrium symptomata, quæ ferè solent grauissimè torquere: Hæc sunt (ait ille) sitis, linguæ ariditas, & scabrities, deglutiendi difficultas, gustus deprauatus, cibi fastidium, nausea, vomitio, alui profluuium, singultus, syncopæ, animi defectio, oppressio, æstus immodicus, corporis iactatio, & eius velut contusio, lumborum grauitas, capitis dolor, vigiliæ, delirium. In intermittente verò febre rigor vehemens, sudor exuperans. Hæc præcipua sunt febrium symptomata. Sic omnis comprehensa sit tractatio noscendarum febrium. Ita concludit librum illum 4. Panthologiæ. Quæ sic per allegoriam exponere possumus vt sitis luxuriam significet: linguæ ariditas ac gustus deprauatus, corruptum iudicium: Syncopæ seu animi defectio, conscientiæ remorsum seu synderesim. Delirium obliuionem sui ipsius. *τὴν φιλαυτίαν*. Nam vt Horatius lib. 1. Carm. Ode. 18.

Rom. 12. *Galenus.* *Psalm. 1.* *Fernel*.* *Horati*.*

Est cæcus amor sui.

Dissolutio

Dissolutio seu virium imbecillitas est otiositas. Tremor membrorum seu rigor ambitionis est symbolum. Solent enim ambitiosi ventis concuti & agitari: secundùm eundem vatem lib. 2. Carm. Ode. 10. *Horatius lib 2. car. ode. 10.*

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus: & celsa grauiore casu
Decidunt turres: feriúntque summos
Fulmina montes.

Pulsus celer ac frequens: Interdum etiam inæqualis, instabilitatem indicat peccatoris. Thren. 1. *Peccatum peccauit Ierusalem: Ideo instabilis facta est.* D. Ambr. in Luc. ca. 4. sic scribit. Fortassis in typo mulieris illius socrus simonis, variis criminum febribus caro nostra languebat, & diuersarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris esse dixerim quam caloris. Itaque illa animam: hæc corpus inflammat. Febris enim nostra libido est: eo quod ignitæ sint cupiditates. *Thren. 1. Ambr. in Luc. 4.*

Vnde & apostolus ait. *Si non se continent nubant: melius est enim nubere quàm vri.* Febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. Quæ licet corporis vitia sint, ignem tamen ossibus implicant: mentem, animum, sensúmque pertentant. Vehementior tamen est animi quàm corporis febris, & ideo pro animi voluntate corporis salus plerúmque contemnitur, nec à periculis abstinetur. Vnde non alienum videtur repetere quemadmodum Theotimus cùm graui oculorum incommodo laboraret, & amaret vxorem, interdicta sibi à medico facultate coëundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus, se moderari nequiuerit. Sciens enim prudénsque quod esset oculos amissurus, priusquàm conueniret vxori, in ipso æstu feruentis cupiditatis, & consuetudinis apparatu: Vale, inquit amicum lumen. Sic febre libido flagrantior est, grauiúsque præcipitat & inflammat. Sed vbi quis resipuerit à furore, tunc conscientiæ interioris visus apetitur, factíque succedit pœnitentia, & pudenda sui quísque facinoris erubescit. Tunc Deus timetur, & peccator cupit se celare, sed non potest: tunc caro arguitur, diabolus accusatur, hæc quasi lena vitiorum, ille quasi author erroris. Patescit deformitas, nudum est enim Deo omne secretum. Hæc D. Ambr. mysticam febrium proferens expositionem. Hæc de febribus sint satis. *Rogauerunt Apostoli Christum pro ea.* Vt eam curaret, *1. Cor. 7.*



& exorauerunt : votique compotes effecti sunt. Vbi sanctorum orationes aliis multum prodesse eluceſſet. Quo de articulo tempus occurrit oportuniſſimum, vt ſecundū quòd aliàs promiſimus : nunc tractemus. Si Apoſtoli dum hic degerent, orauerunt & exorauerunt, quemadmodum Euangelica & Apoſtolica narrat hiſtoria, Quis abnuat aut neget eoſdem in cœlo beatos, & domino fruentes, in gloria pro ſuperſtitibus fratribus etiamnum orare efficaciter? Aut quia ſunt in cœlo beati, propterea nulla noſtri cura eos tangit vel afficit? Nónne ex charitate, *quæ nunquam excidit*, pro fratribus hic militantibus & decertantibus, ipſos iam comprehenſores & coronatos triumphantéſque in cœlis, orare par eſt & æquum iuſtumq; credere?

Bernardus ſer. 5. de omnib⁹ sāctis. *Gen. 40.*

Vnde D. Bernardus ſer. 5. de omnibus ſanctis ſub finem, Abſit, abſit, à vobis animæ ſanctæ, ægyptia illa crudelitas Pincernæ Pharaonis, qui in gradum priſtinum reſtitutus ſtatim oblitus eſt Ioſeph ſancti, qui in carcere tenebatur, *Gen. 40. Succedentibus proſperis, præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui.* Non enim erát vnius capitis membra, nec aliqua pars fidei cum infideli : aut vlla ſocietas Iſraëlitæ ad ægyptium : non pluſquam luci ad tenebras.

2. Cor. 6.

Cæterum qui dixit: *Si glorificatur vnum membrum, congaudent omnia mēbra*: hoc quoq; nihilominus ait. *Si patitur vnum membrū compatiuntur omnia membra.*

1. Co. 12.

Hæc igitur noſtra & eorū coherentia eſt, vt nos congratulemur eis & ipſi compatiantur nobis : & pro nobis militent pia interuentione. Non eſt quod eorum pia erga nos ſollicitudine dubitemus: quandoquidem non conſumandi ſine nobis, expectant nos vſque dū retribuatur nobis.

Heb. 11.

Heb. 11. Deo melius aliquid prouidente pro nobis, vt non ſine nobis cōſumarentur. Hæc ille Cum ergo iuſſit eis deſiderium reſurrectionis & glorificationis corporum ſuorum, quam nimirum vſque in diem iudicij differendam eſſe non dubitant : tuncq; ſanctorum erit completa lætitia, perfecta gloria, conſummata beatitudo, in corpore ſcilicet & anima ſimul iūctis & glorificatis, cum modò ſpiritus & animæ iuſtorū in gloria & beatitudine ſunt, nō autem adhuc eorum corpora (quę in pace ſepulta ſunt) cúmque vigeat in eis deſiderium hoc naturale ad ſua corpora, vt rurſus ea in gloria aſſumant : tantò certè feruentius ardentiúſque pro nobis orant, quantò nō ſine nobis omnibus ſe nouerint conſummatè glorificandos. & in corpore ac anima ſimul vnitis, cumulatè beatificandos. Eſt enim in ſanctorum communione & eiuſdem

corporis cuius caput est Christus coagmentatione & structura membrorum, inter se tanta affectio & sympatia atque conuenientia vt sicut scribitur. 1. *Cor.* 12. *pro inuicem sollicita sint membra*. Orant ergo sancti in cœlis pro viuentibus in hac vita: & hoc in sæculo: quod quisquis negauerit Catholicus non est. Tomo 3. Conc. in Conc. Nicæno. 2. act. 4. ex epist. D. Basilij ad Iulianũ Imp. Suspicio, ait ille, Sanctos Apostolos, Prophetas, Martyres, qui pro me apud Deum supplicant: quò per illorum meditationem propitius sit mihi Deus noster. Idẽ D. Basil. mortuus à D. Grego. Theologo, inter epistolas D. Basil. episto. 88. Simpliciæ hæreticæ, Dei hominisque mediator vocatur. Audis Sanctos dici mediatores. Quid ergo vetat eos inuocare? Quod Nectarius Archiepiscopus Constantinopolitanus fecisse apertissimè memoratur & cõprobatur ex eius oratione de S. Theodoro martyre. Nec vnquam defatigeris semper ad Deum pro nobis legatione fungendo: deúmque orando, ô præclarissimè vir: ἱλεὼ ἴδιον σαῖς λιταῖς τοῖς δούλοις σοῦ ποίησον, Hoc est tuis eum precibus seruis tuis redde propitium atque placatum. An non hoc sit inuocare sanctũ Dei martyrem? ἱλεὼ ποίησον, tuis orationibus fac propitiũ redde placatũ? In illa Nectarij oratione paulò ante finem sic legitur græcè, εἰς ἀεὶ ὑπὲρ ἡμῶν πρεββεύων, μὴ ἀποχάνοις πανθαυμαστέ. Id est. Nec vnquam defatigeris semper ad Deum pro nobis legatione fungendo, siue Deum orando ô præclarissimè & omnino mirabilis vir, ἀποχάμνω, defatigor, lassesco. Et Prudentius poëta Christianus lib. περὶ στεφανῶν, siue de corona martyrum, In passione Romani Martyris, loquens de paruulo Septenni pro Christi fide à Tyranno interfecto, cuius mater erat Christiana, sic cecinit.

1. Co. 12.

Conc. Niceno 2. Act. 4.

Basilius ad Simpliciam.

Prudentius.

Nec immorata est fletibus, tantum osculum,
Puerum poposcit carnifex mater dedit,
Impressit vnum. Vale ait, dulcissimè:
Et cùm beatus regna Christi intraueris,
Memento matris, iam patrone ex filio. Hæc ibi.

Vt sit hæc Syntaxis seu constructio, dulcissimè patrone in vocandi casu, id est, cùm sis nunc filius, illic eris mihi patronus atque aduocatus. Audis sanctos in cœlis esse viuorum aduocatos & patronos. Nonne catholicè inclamamus, & Deiparam Mariam inuocamus. Eya ergo aduocata nostra? Obserua amabo, D. Aug. præclarissimum dictum. To. 1. lib. 9. confess. c. 3. Non sic arbitror Nebridiũ inebriari

Aug. to. 1. li 9. cõfess. ca. 3.

ex fonte viuo vt obliuiſcatur mei, cùm tu domine quem potat ille noſtri ſis memor. Sed apud te fortaſſe is Oecumenici Concilij magis valebit authoritas, vt certè apud omnes maximum debet habere pondus. Habetur itaque
Concil. Chalce. art.6.& 11. to.1. Concil. in Concil. Chalcedonenſe vno ex 4. illis generalibus primis Conciliis quæ veneranda ſuſcepit antiquitas vt ſancta 4. Euangelia: In quo quidem conuenerunt 630. Epiſcopi. In eiuſdem actione. 6. Omnes acclamant Imp. Martiano. Hæc Sancta (ſcilicet Euphemia martyr) te cuſtodiat ſupplicamus. Ibidem act. 11. Exclamatum eſt à ſancta Synodo. Flauianus poſt mortem viuit. Martyr pro nobis oret. Quid vnquam diſertius dici potuit pro ſanctorum inuocatione? Si enim non rogarent ſancti, vt crepant hæretici, & aſſiduè in ore habent: Vnum nos aduocatum & mediatorem ſolum habere Chriſtum, neſcientes aut nolentes intelligere qualem mediatorem & quam differentiam à Chriſti mediatione ſanctis ex ſcripturis & authoritatibus atque expoſitionibus catholicorum doctorum aſſignamus. Si inquam illi non rogarent nunc, id proueniret vel ex defectu charitatis aut cognitionis eorum quæ in his inferioribus actitantur, aut denique ex defectu fauoris erga Deum. Non poſtremum,
Iacobi 5. quia *Iacobi 5. Multum valet deprecatio iuſti aſſidua.* Et Mo-
Iob.42. ſes apud Deum pro pluribus obtinuit. *Item Iob capit. 42.* pro amicis à Deo exauditus fuit, & Abraham pro Abime-
Gen. 20. lech. *Geneſ. 20.* Item Paulo donauit Dominus omnes qui ſecum nauigabant.

Erant autem vniuerſæ animæ 276. quæ omnes euaſerunt ad
A.27. *terram ſaluæ, & enatauerunt effracta naui. Act. 27.* Magnam igitur apud Deum inuenerũt ſancti gratiam. Neq; id proficiſcitur ex defectu charitatis, vt ſuprà deductum eſt: quia
1.Cor.13. 1. *Corint.13. Charitas nunquam excidit.* Reliquum eſt igitur id fieri defectu ſcientiæ & cognitionis eorum quæ hic aguntur. Quod falſum eſſe patet oſtenſo. Sanctos noſtras
Luc.15. preces ac vota non ignorare. Quod ſic confirmatur. *Luc. 15. Gaudium eſt angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Notum eſt pœnitentiam non fictã in cordis maxi-
Pſal. 50. mè penetralibus conſiſtere. Iuxta illud. *Pſal. 50. Cor contritum Deus non deſpicies.* Et idem. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Non gaudere verò aliquem niſi de re ſibi cognita palam eſt. Quod enim quis non nouit, quomodo amat? Inuiſa diligere poſſumus, incognita nequaquam, ait
ali

alicubi S. Auguſt. De re incognita, quomodo à ſimili gaudio quis afficeretur? Gaudet autem angelus in cœlo ſuper pœnitentia quam in corde habet peccator in terra: Ergo illam cognoſcit. Si dixeris nedum intra limites ſe continet cogitationis interioris illa pœnitentia: ſed etiam ad opus exterius, vt exomologeſim ſeu confeſſionem, & actum pœnitentiæ exteriorem progreditur. Sícque Angelus bonus eam cognoſcit & deprehendit ex pœnitentis ſignis & actibus. Ergo ad hominem, ducto ſimili argumento, contra hæreticos concludo: Angelos quoque vota & deſideria noſtra expreſſa oratione (quæ eſt mentis interpres, eſt enim oratio, iuxta nominis rationem, quaſi ab ore profecta ratio atque ea quæ ſunt in voce ſunt earum, quæ ſunt in anima paſſionum notæ (vt dicit initio περὶ ἑρμηνείας ſiue de interpretatione) ea inquam ſic vocaliter expoſita, agnoſcent de cœlis beati Angeli. Cúmque id fiat non propria ipſorum virtute, ſiue in genere proprio, vt loquuntur Scolaſtici: ſed in verbo, & ſpeculo illo politiſſimo & lucidiſſimo in quo relucent omnia, in diuina eſſentia. Qua ratione voces fuſas nouerint, eadem & cogitationes intimas, atque deſideria deprecantium videbunt, in verbo videbũt perfecteq; agnoſcent: Deo illis reuelãte & manifeſtante. Si enim ſancti viuẽtes adhuc in terris, ſpiritu prophetiæ cognouerunt abſentia: immo & cogitatiões quorũdam, quidni in cœlis nũc beati, cogitationes & pia vota ipſos inuocantium agnoſcent? 4. *Reg.5.* Licet corpore abſens eſſet Heliſeus, nouit tamen certóque ſciuit per prophetiæ ſpiritum fraudem pueri ſui Giezi: qui poſt Naaman cucurrerat. Vnde dixit illi. *Nonne cor meum in præſenti erat quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Nunc igitur accepiſti argentum & veſtes, &c.* Et ca. 6. eiuſdem libri. *Cùm eſſet conturbatum cor regis Syriæ, quaſi aliquis proditor eius eſſet apud Regem Iſraël: dixit ei vnus ſeruorum eius: Nequaquã domine mi rex, Sed Heliſeus propheta qui eſt in Iſraël. indicat regi Iſraël omnia verba quæcũque locutus fueris in conclaui tuo. Et Daniel cap.2.* illius libri & canonicæ hiſtoriæ, expoſuit ſomnium Nabuchodonoſor, quod in lecto habuerat, inter dormiendum, & ſomnium eius fugerat ab eo, ignorabatque ipſe quid vidiſſet: Dominus enim ei reuelauerat & ſomnium regis & eiuſdem interpretationem. *Eſt Deus in cœlo,* inquit, *reuelans myſteria.* Reſciuit pariter eodem ſpiritu prophetiæ Apoſtolorum princeps,

Auguſt.

Ariſtot.

4. Reg.5. & 6.

Dan.2.

ceps, Ananiæ & Saphiræ fraudem: & quod mentirentur
Acto.5. spiritui sancto *Acto.5.* Ac denique *Sap.7. Cogitationes homi-*
Sap.7. *num nosse dedit ei Dominus.* Hoc est Salomoni. Sic enim scribitur: *Deus dedit mihi eorum quæ sunt sciëtiam veram, vt sciam naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, & quacunque sunt abscons a & improuisa didici. Omnium enim artifex docuit me sapientia.*

Si illi per spiritum prophetiæ tam occulta & archana nosse potuerunt, quomodo sancti in cœlo ex Dei reuelatione in speculo non videbunt vota, desideria, & orationes ad ipsos à mortalibus directas? Quomodo beati non agnoscerent hæc omnia in verbo cum Beatus Petrus adhuc in carne constitutus, cognouerit He-
Mat. 17. liam & Mosem in monte Thabor? *Matth. 17.* Vnde hoc?
Amb. in Nisi, vt scribit D. Ambr. in 9. Luc. ex eo, quia *Nubes obum-*
9. Luc. *brauit eos lucida.* Et diuini spiritus est, inquit, ille obumbratio ista, quæ non caligat affectibus hominum, sed reuelat occulta: Scire autem locorum interuallo atque interstitio remotos à nobis longeque dissitos sanctos, quomodo versantur homines super terram colligitur ex sacra. 2. *Pa-*
2. Paral. 21. *ral.21.* Historia, *Ad Ioram filium Iosaphat allata sunt literæ ab Elia propheta, Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui, ideo percutiet te Dominus plaga magna cum populo tuo. Tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui.*

4. Reg. 3. Attamen iam translatus erat Elias. 4. *Reg. 3.* Sub Iosaphat florebat Heliseus, Eliæ successor, qui fuerat raptus
Chronolog. maior. hebræorum c.17. in cœlum nempe ante finem regni Iosaphat. Ex Chronologia Hebræorum maiore, interprete Genebrardo ca. 17. sic habetur. Allatæ sunt literæ ab Elia propheta, in quibus res euenturæ scribebantur: Nimirum de cœlo nam iam septem erant anni, ex quo Elias reconditus disparuerat. Hæc ibi. Ergo à simili, sancti extra hunc mundum constituti, viuentium in hoc sæculo curam gerunt & de
Ioseph. li. 3. de bello Iud. c. 14. eorum tractant rebus ac negotiis. Et Ioseph. lib. 3. de bel. Iud. ca. 14. Hoc ipsum ingenuè fatetur, sanctos scilicet se inuocantes exaudire. Sic enim ipse scribit: Puræ, & quæ in-
Ruffin⁹. uocantes exaudiant (Ruffinus vertit exaudiantur) animæ retinent locum in cœlo deptæ sanctissimum: atque inde rursum, voluentibus sæculis, casta corpora iubentur incolere. Hęc ille, Iudæus fatetur: & qui nihil aliud quam verbum Domini, Domini, crepat, prætensus reformatus, Christianus, negat impudentissimè. Vt verò

dexterius

dexterius confundamus huiuſmodi hæreticos, diuinum
Platonem accerſere & in teſtem producere, operæ pre- *Plato.*
tium eſt. Prodeat itaque & ſententiam de mortuorũ ſcien-
tia ac cognitione dicat. Ille Dialogo. 11. de legibus circa
medium ſic ſcribit. Oportunè videmur narraſſe defun-
ctorum animas vim quandam habere, qua de rebus hu-
manis curam habent: primùm Deos maximè timeant, qui
de puerorum deſolatione procurant, deinde etiam mor-
tuorum manes, quibus natura ineſt, vt præcipua illorum
cura teneantur, qui ab eis geniti ſunt: adeò vt honoranti-
bus eos propitij, contemnentibus infenſi ſint. Marſilius *Marſili'*
Ficinus in argumento præfati dialogi ſic obſeruauit. Ait *Ficinus.*
Plato cauendum eſſe pupillos lædere, ne parentum animæ
nobis iure ſuccenſeant. Colligo proinde, ſicut parentum
animæ filios ſuperſtites lædentibus ſuccenſent: benefa-
cientibus contrà pupillis & orphanis parentum animæ
quæ huius rei minimè ignaræ eſſe putantur, fauent & pro
eis orant: ex Platonis ſententia. Quare ergo qui Chri-
ſtiani videri volunt peruicaciter contumacitérque hoc
negant? Sed obijciunt hæretici. *Vnus Mediator Dei & ho-
minum homo Chriſtus Ieſus. 1. Timoth. 2.* Reſponſio in prom- *1. Tim. 2.*
ptu eſt. Vnum & ſolum eſſe mediatorem Chriſtum ex in-
tentione apoſtoli quàm apertè liquidóque patefecit ibi-
dem, *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Sancti
autem, alio modo mediatores dicuntur: non quidem per
redemptionem, abſit, ſed per interceſſionem. Quomodo
Moyſes dicitur. *Deut 5. Medius & ſequeſter inter Deum &* *Deut. 5.*
populum. Et *Mediatoris* vocabulo, inſignitus fuit ab Apo-
ſtolo *Gal. 3. Lex,* inquit, *ordinata fuit in manu mediatoris.* Hoc *Gal. 3.*
eſt, Moyſi. Nam vt S. prothomartyr Stephanus conciona-
tur, *Act. 7. Hic eſt Moyſes qui fuit cum angelo, qui loquebatur ei* *Act. 7.*
*in monte Sina: & cũ patribus noſtris, qui accepit verba vitæ da-
re nobis.* Ergo ex hac interpretatione, valdè accõmodè per
mediatorem, intelligere oportet ipſum Moſem. Sed de hac
re paulò fuſius agamus. Gennadius in ſcholiis græcis ad *Exod. 32*
verba illa. *Gal. 3. in manu mediatoris.* Dicit quod Moſes qui-
dem *mediator* fuit, ad dationem legis: ſed vni ſoli genti
mediator fuit. Hæc ille. Sentit igitur Moſem mediatorem
vocari legiſlationis. (vt ita dicam) cur non & interceſſio-
nis, cum par ſit ratio? *Loquere tu nobis dicebant filij Iſraël ad
Moyſem: Non loquatur nobis Dominus.* An non etiam pro po-
pulo apud Dominum interceſſiſſe cùm legem acciperet,
in ſacra

in sacra legitur historia? Nonne hæc sunt deprecantis & pro populo ex intimo affectu orantis verba & intercedentis? *Aut dimitte eis hanc noxã, aut dele me de libro tuo. Exod. 32.* Et *Psal. 105. Et fecerunt vitulum in Horeb & adorauerunt sculptile, & dixit Dominus, vt disperderet eos: Si non Moyses electus eius stetisset in confractione, in conspectu eius, Vt auerteret iram eius ne disperderet eos.* In confractione quasi in ruptura muri, ex opposito Moyses stetit ad depellendum iratum Dominum & placandum ne sæuiret ira eius. Metaphora bellica gallicè *dicimus: En la breche il soustient l'assaut, de l'ire iuste de Dieu, qu'il appaisa.* Nisi in ipsa muri perruptione se ei fortiter opposuisset, nisi intercessisset, ad cohibendum eum: actum erat de populo. Cassiodorus in αὐτόγραφῳ siue authentico exemplari, impresso Basileæ: vt supra meminimus: ad hunc psalmistæ versiculum, ait. Virtus illa ostenditur quia precibus sanctorum sæpe pœnas debitæ mortis euadimus. Non quia valet aliquis Domini mutare disposita: sed ita vt eueniũt, ab eo nouerit esse præscita. Hæc Cassiodorus. Ergo Moses & sancti, *mediatores* dicuntur intercedẽdo. Theodoretus to. 2. in epist. ad Gal. c. 3. Lata est Lex, inquit, administrantibus Angelis, & ad eam ferendam Mose deseruiente. Ipsum enim *Mediatorem* seu intercessorem appellauit. Intercessor non est vnius, intercessit enim inter populum & Deum. Hæc ibi. Quid lucidius? Item Sedulius Scotus hiberniensis in idem cap. 3. *In manu mediatoris*, ait, siue Moysi vt quidam putant, nam & Moyses inter Deum & populum medius fuit: siue Christi. Ex recentioribus verò. Quidam Christum hoc loco intelligunt, inquit, mihi autem longè videtur congruentius, si *mediatoris* vocabulo, intelligatur Moyses. Ipse enim instar mediatoris fuit inter Deum & populum: propterea dicebat. Deut. 5. *Ego sequester & medius fui inter Deum & vos: in tempore illo.* Hæc ille. Imò vt proprio iugulemus gladio contradicentes: Heresiarcha Lutherus in hunc locum epistolæ ad Gal. sic commentatur: vt mediatoris nomine Moyses intelligatur ipse: *In manu mediatoris*, hoc est Moysi, ait ille, vt me olim in Comment. Lutheri in hanc epist. legisse memini. Quid Caluinus in sermonibus Gallicis ad hanc epistol. Quid item Besa sentiant, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, id est, mali corui malum ouum: Iam audiamus. Quo de adagio, qui volet copiosissimè sibi satisfieri: consulat Erasmi Adagia. Chil. 1. cent. 9. Adag. 25. Hoc prouerbiũ, inquit, mali corui malum

[Margin notes: *Exod. 32* — *Psal. 105.* — *Cassiodorus in Psal.* — *Theod. in Gal. 3.* — *Seduli⁹.* — *Catharinus.* — *Deut. 5.* — *Luth. in epi. Gal.* — *Erasm. Chil.*]

malum ouum, aptè vſurpatur quoties à malo præceptore diſcipulus malus proficiſcitur: ex improbo patre filius improbus: vt dici altero ſolet prouerbio, Qualis pater talis filius. Caluinus (iuxta nomen ita deceptor & ſeductor) *Caluin.* ſer.21. ad verba illa Gal.3. *In manu mediatoris.* Gallicè ſic po- *in epiſ.* pulo imponit, & magnus orator & concionator vult vi- *ad Gal.* deri, fucum faciendo miſeris aſſeclis ſuis, verba eius vt ſcripſit referam. *Vray eſt que beaucoup ont entendu ce mot (de mediateur) de Moyſe, comme s'il eſtoit appellé mediateur, entre Dieu & les hommes, quand à la doctrine: Mais cela n'eſt nullement conuenable.* Audis vecordem hominem contradicendi ſtudio tot doctoribus præclariſſimis ſupra à nobis commemoratis ſeſe opponentem Caluinum? Qui vt alter Iſmaël. Gen. 19. *Manus leuat contra omnes & omnes cõtra eum?* *Gen.19.* quaſi dicat. Multi concorditer ita ſentiũt. Vnanimem plurimorum conſenſum nihil facio tamen. Licet multi ſic ſenſerint non ego. Audiamus eius probationes & mométa rationum ab eo propoſita, *S. Paul en premier lieu met les Anges, & puis le mediateur eſt adiouſté comme chef, & eſt icy en degré plus haut, ce qui ne ſe peut raporter à la perſonne de Moyſe.* Quaſi verò diſpoſitio contextus & ordinis neceſſariò euincat & arguat præcellentiam & præeminentiam dignitatis. Bella ſanè cõſequentia, Priùs poſuit Apoſtolus Angelos, dein de nominat mediatorem: *Ordinata per angelos in manu mediatoris,* ait textus, ergo mediator ille, de quo hìc agitur eſt ſupra angelos? Similem formabo ex ſacris argumentationem. Ordinata eſt medicina ad curandum Tobiæ ſenioris cæcitatem per angelum Raphaëlem in manu iunioris Tobię, quatenus patrem illuminaret filius ſicut rei probauit euentus *cap.11.* Ergo maior erat aut in celſiore gra- *Tob.11.* du ex hoc conſtitutus Tobias? Nonne vitioſam eſſe hanc conſequentiam alteri in forma ſimilem vides? Ergo inepta fuit tua illa ratio, ſine ratione, ad contradicendum abs te producta & conficta. Bezam paullò modeſtius ſeſe gerentem accipe & auſculta pauliſper. Is in annota. ad tranſlationem ſuam noui teſtamenti è Græco, ad hunc locum ſic ſcribit. *Lex ordinata per angelos, per manum internuncij.* *Beza in* *ἐν χειρὶ μεσίτου.* Pleróſque video tum veterum tum recentio- *ep. ad* rum hoc referre ad Chriſtum vnicum illum Dei & homi- *Gal.* num mediatorem. Quorum authoritati ſicut ne ſi velim quidem poſſim ego fidelium infimus præiudicium afferre: tamen nõ pigebit opponere quibus rationibus exiſtimem

non

non posse ista de Christo intelligi: sed de Moyse potius dici: vt etiam interpretatur Epiphanius κατὰ μανιχαίων. Et Gennadius apud Græcum Scholiasten. Primùm igitur hæc formula ἐν χειρὶ idem declarat atque opera & ministerio: vt Act.7. Versu 25. Existimabat Moyses intelligere fratres suos, quòd Deus per manum ipsius διὰ χειρὸς αὐτοῦ, daret salutem illis & αὐτοκρατορικὴν potestatem. Non autem mihi videtur, hocloco posse filio Dei tribui nisi quatenus homo factus est. Quæ consideratio nullum hic locum habet: cùm in lege danda nihil magis quàm terrifica & summa illa Dei maiestas emineat: qualis etiam erit secundus Christi aduentus.

Act.7.

Manum autem fateor interdum pro summa virtute, item pro ope & subsidio accipi: sed quominus hoc loco ita explicetur impedit Internuncij, siue malis, Mediatoris nomen, qualitatem ipsam ministerij, non autem primariam causam declarans, siquis rem totam propius inspiciat. Præterea ita describitur hæc historia vt significetur istum vt inferiorem (arrige aures pamphage Caluinista) accepisse ab angelis vt superioribus quod ad Israëlitas adferret: Denique si rei gestæ historiam spectemus, manifestior erit allusio, quam vt ista negare possimus Mosi competere. Nam præterquam quòd is vbique dicitur legis minister, diserte narrat historia ipsum ita postulantibus iudæis, quòd Dei vocem ferre nequirent, fuisse medium inter Deum & ipsos internuncium, *vt Deuteron.a.5.*

Deut.5.

Et bis è monte descendentem, duas illas tabulas lapideas manibus suis, à Deo scilicet, ministerio Angelorum acceptas, ad Israëlitarum castra detulisse: *Vt Exod.32. d. 15. & 34. d. 29.* Ex his igitur concludo, ἐν χειρὶ μεσίτου, id est, per manum mediatoris, idem declarare atque διὰ τοῦ πιστοῦ θεράποντος θεοῦ Μωσέω, id est, per fidum Dei famulum Mosem.

Exod.32 & 33.

Hucusque Beza, à præceptore Caluino euidentissimè dissentiens, vt hæreticis familiare est, & vsitatissimum, à se inuicem dissidere, & schisma erat inter illos. Ioan.9. Quis autem dexterius super hac lite & controuersia, an mediatoris nomine intelligatur Moses an verò Christus contra Caluinum decertauerit ipso Beza? Hunc autem & Caluinum inter se in eum finem in contentionem & certamen deducere & immittere volui, veluti ἀνταγωνιστὴν, id est aduersariũ Caluino discipulũ magistro opponere, vt omnes intelligant

Ioan.9.

intelligant quàm pulchrè inter eos conueniret. Et tamen Bezæ propositæ rationes, longe præponderant ratiunculæ Caluini. Nec tamen quia à Beza dictum fuit, hoc recipio: vel ita Catholicè sentiendum credo: sed quia à sanctis Ecclesiæ Catholicæ patribus à quibus omnes isti defecerunt, ita expositum fuit, magno consensu concordique sententia: ita quoque tenendum censeo, & me secundum illorum fidem credere corde & ore ingenuè profiteor. Vide arrogantiam istorum hæreticorum? Lynceos videri volunt se habere oculos cùm sint talpis cæciores, & præ cæteris omnibus acutius videre, omnes alios præ se cæcutire. Non dignatur discipulus magistro cedere: Imo dictum illius licet tacito nomine & suppresso apertè conuellit & labefactat. Verè dictum sit: Mater hæreticorum superbia. Epiphanius tom.2. lib.2. hæres. 66. quæ est Manichæorum sic scribit, Lex est data in manu mediatoris per fidelem seruum Dei Mosem. Hoc citauit contra Caluini interpretamentum Beza. D.Gregor. Nazian. oratione ad Gregor. Episcopum Nyssenum, ait de martyribus, Diuinitatis consequendæ mediatores sunt martyres, Græcè μεσιτεύουσι, hoc est, vt Nicetas exponit (sic enim habent illius ad illum locum scolia) ὧς μεσῖται γίνονται οἱ ἅγιοι τὸν μὲν λαὸν παρακαλοῦντες ἀναβαίνειν καὶ θεωθῆναι τὸν δὲ θεὸν ἱκετεύοντες ἐπικλίνεσθαι καὶ βοηθεῖν. Hoc est, Cuius mediatores sunt martyres, dum partim populum hortantur vt mentes subuehant ac diuinitatem consequãtur: partim etiã Deum rogant atque obsecrant vt sese demittat ipsisque opem ferat. Hæc ille. Desinant à cætero negotium facessere, & importunos se gerere, contentiosiúsque aduersus Catholicos depugnare, hæretici obstinati, de *mediatoris* nomine certantes. Nam ex ipsorum ore conuicti sunt, propriáque confessione constricti: Quòd sancti, vt Moses, verbi gratia (quòd ipsi concedunt) sunt *mediatores* inter Deum & populum. Nónne Pontifex (quòd ne hæretici quidem quantumuis perfrictæ frontis negare audeant) *Hebr. 5.* pro populo ad Deum mediator & intercessor constituitur? *Omnis Pontifex*, ait D.Paulus, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum.* Et quid hoc aliud est quàm pro populo intercessorem & *mediatorẽ*, se gerere? *At verò obyciũt. Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum*, teste D. Ioan. Theologo & Euangelista, *1. Ioan. 2.* Christus Iesus ita est noster aduocatus vt per meritum

Epiph.li. 2. Hæres. 66.

Gregor. Nazian.

Nicetas scoliastes Nazianzeni.

Hebr. 5.

1. Ioan. 2

meritum sui sanguinis efficaciter pro nobis intercedat non vocaliter nunc quidem cicatrices suas patri, corpúsque nostrę redemptionis pretium exhibendo ac repręsentando : & propter se ille exauditur : Sancti autem in nomine Christi. Neque redemptores nostri illi : sed vnus Christus ac solus redemptor omnium agnoscitur. Christus aduocatus est propitiando, efficiendo, vulnera patri ostendendo : Sancti autem patrocinando & nobiscum comprecando. Quam differentiam aduocandi, inter Christi & sanctorum inuocationem & aduocationes, Ecclesia in Litania siue rogationibus publicis apertè ostendit, & manifestissimè discernit atque distinguit : Sic ad Christum sermonem conuertens, *Christe audi nos, Christe exaudi nos, Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis.* Nunquam sic orare ecclesiam comperies, *Christe ora pro nobis.* Id enim Arrianũ foret. Sed sic orare, semper ipsam deprehendes. *Fili redemptor mundi Deus miserere nobis, Christe fili Dei viui miserere nobis.* Ad sanctos verò ipsa sermonem dirigens nusquam illa dicit : *S. Petre miserere nobis, S. Maria miserere nobis, S. Paule miserere nobis, Sed, S. Maria ora pro nobis, S. Petre ora pro nobis.* Et sic de similibus. Obiicis fortassis peruicax hæretice. Ecclesiam in fine illius Antiphonæ *Alma redemptoris Mater*, ita orare & cantare: *Sumens illud Aue, peccatorum miserere.* Respõdeo sic sentire Ecclesiam dum hæc precatur. O virgo miserere peccatorum, hoc est, misericordiam ipsam à filio tuo exora & impetra, qui tibi nihil denegat. Misericordiam enim à Deo per Mariam deiparam aduocatam nostram imploramus. Nam vt ait regius ac diuinus vates : *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Vel quod respondet Catech. concil. Trid. dum agit de oratione in prolegom. ad orationem Dominicam, Quis orandus sit. Dicimus Dei & sanctorum inuocationis rationem aliam esse. Non enim eodem modo Deum & sanctos imploramus. Nam precamur Deum vt ipse vel bona det, vel liberet à malis: à sanctis autem quia gratiosi sunt apud Deum : petimus vt nostri patrocinium suscipiant, vt nobis à Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas modo differentes, ad Deum enim propriè dicimus, *miserere nobis, Audi nos*, Ad Sanctum, *ora pro nobis.* Quanquã licet etiam alia quadam ratione petere à sanctis ipsis vt nostri misereantur. Sunt enim maximè misericordes. Itaque precari possumus

Psal. 83.
Catech. conc. Tri.

possumus eos, vt conditionis nostræ miseria permoti, sua nos apud Deum gratia, ac deprecatione iuuent. Hæc Catech. Trident. Nónne in ecclesia omnes sanctorum inuocationes, sic concluduntur, *Per Dominum nostrum Iesum Christum?* Plurimæ enim collectæ sic terminantur. Ad Christum autem orationem facientes concludimus, *Qui tecum viuit & regnat &c.* Theophil.in cap.5.ad Hebræ. exponens illud, *Tu es sacerdos, &c.* Christus, inquit, etiamnum vnà cum corpore pro nobis apud Deum & patrem intercedit. Hoc est, quas pro nobis pertulit afflictiones, magnúmque merorem, proponit, *etiam sine voce.* Nota, *sine voce,* Non enim procuratoris vel sollicitatoris (vt sic dixerim) fungitur munere & officio, qui idem ipse exauditor est, & gratiæ collator. *Qui autem soluit Iesum hic est Antichristus.* Est enim vna hypostasis, vnum diuinum suppositum, vnica persona in duabus subsistens naturis simul vnitis: vnus est Christus Deus & homo, *verbum caro factum.* Subiungit Theophyl. statim.

Theophi. in c. 5. ad Hebræos.

Ioan. 1.

Reipsa nimirum loquens: Pro humana natura filius tuus ego, sustinui hæc. Miserere igitur horum, pro quibus ego pati & mori sustinui. Hæc Theophylactus. Vides quomodo Christus interpellat pro nobis in cœlis, & quomodo dicitur noster aduocatus? Eiúsque aduocandi beneficium nobis impensum, nequaquam præiudicium sanctorum inuocationi facere? Fatendum est (ait Catechismus Tridentinus ad explicationem huius præcepti, *Non habebis Deos alienos*) Vnum nobis mediatorem propositum Dominum Christum, qui scilicet vnus, nos per sanguinem patri reconciliauit, *& qui æterna redemptione inuenta,* vt ait S. Paul. *Heb. 9. semel in sancta ingressus,* pro nobis interpellare non cessat. Ex eo tamen nullo modo sequi potest, quominus ad sanctorum gratiam confugere liceat. Nam si propterea subsidiis sanctorum vti non liceat, quòd vnum patronum habemus Iesum Christum, nunquam id commisisset Apostolus, vt se adeò tanto studio fratrum viuentium precibus adiuuari vellet. Neque enim minus viuorum preces quàm eorum qui in cœlis sunt sanctorum deprecatio, Christi mediatoris gratiam & dignitatem imminuerent. Hæc ibi. De sanctissimæ Deiparæ Mariæ inuocatione, & quomodo illa à S. Irenæo libr. 5. aduers. hæres. aduocata appellata est: atque D. Cypriani ætate, à virgine Christiana, referente D. Gregor. Theolog. inuocata,

Catechis. Trident.

Heb. 9.

Iraneus li. 5. cont. har. Grego. Theo.

sermone de eiusdem virginis annunciatione, σὺμ θεῷ dicemus. Ad sanctos igitur conuersi. *Iob.5. ad aliquem sanctorum conuertere*, dicamus illis singuli. *Iob.19. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*, D. Aug.tom.4. vno annotat. in Iob de cap.19. Angelos, inquit, videtur postulare vt pro eo deprecentur, aut certè sanctos vt pro pœnitente orent. Oseæ. 12. de Iacob, Iacob Patriarcha dicitur: *Inualuit ad Angelum & confortatus est. Fleuit & rogauit eum*. Iacob nimirum Angelum, *Genes. 32. Non dimittam te nisi benedixeris mihi*. Audis Iob inuocasse angelos & Iacob similiter angelum rogasse? Quid pluribus opus est? Baruch 3. *Audi nunc domine orationem mortuorum Israël*. Nota hæretice, *Mortuorum orationem*, & filiorum ipsorum qui peccauerunt ante te, Et in sacra ac canonica 2. *Machab. cap. 15. Onias qui iam defunctus erat & fuerat summus sacerdos, visus est ipse Iudæ Machabæo manibus protensis, orare pro omni populo Iudæorum. Cui etiam aderat, simúlque apparuit vir ætate & gloria mirabilis, de quo idem Onias dixit: Hic est fratrum amator, & populi Israël. Hic est qui multum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias Propheta Dei*. Audis quomodo defuncti, quia apud Deum (*qui non est Deus mortuorum sed viuentium*, vt Christus ipse in Euangelio Saduceis respondit) in perpetuum viuunt, pro viuentibus intercedunt? Et *Gen. 48*. dicebat Iacob Patriarcha. *Inuocetur nomen meum, & nomina patrum meorum Abraham & Isaac super pueros istos*, Ephraim scilicet & Manassem. *Et Angelus qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis*. Vbi obserua duo: alterum super pueros Angeli inuocatum patrocinium & benedictionem, alterum nomina etiam Patriarcharum iam vita functorum super eosdem in subsidium & beneficium fuisse inuocata. Qua de re. D. Aug. tom.3. locutionis de Genesi lib. 1. ad illa verba citata. Notandum est, ait, etiam inuocationem dici aliquando quæ non Dei sed hominum sit. Nota sedulò nedum Dei, sed hominum inuocationem probari. Theodosius Imp. ex Ruff. hist. Eccles. lib.2. cap.33. conflicturus circuibat omnia orationum loca. Ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus & vestitus, atque auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat. Et D. Amb. libr. de viduis. Obsecrandi, ait, angeli pro nobis: qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis

Iob. 5. *Iob. 19.* *Augu. in Iob c. 19.* *Osea. 12.* *Gen. 32.* *Baruc. 3.* *2. Mach. 15.* *Gen. 48.* *Augustinus.* *Ruffinus.* *Amb. lib. de viduis.*

peccatis rogare nostris. Hæc ille. Quid plura? Nobis videtur superuacaneum congerere innumunera testimonia sanctorum, quibus aduersarij obruantur: cum hoc vnum telum Hieronymianum ad victoriam sufficiat. Nempe ille contra Vigilantium hæreticum tom. 2. epist. sic rationatur, ducto à maiori argumento contra illum sanctorum inuocationem impugnantem: vt patet in eadem epistola. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc deberent esse solliciti: Quantò magis post coronas, victorias, & triumphos? Hæc ille. Cùm quo totum hunc articulum de sanctorum suffragiis atque inuocatione concludo & absoluo.

Hieronymia. cōt. Vigil.

Nec prætereundum existimo, quòd Christus deserta Synagoga domum petit Simonis Petri. Docemur autē, illò nos conferre quò se Christus contulit: in Ecclesiam nimirum Catholicam, & Apostolicam, ac Romanam: cuius typus erat Simonis domus illa. Vnde D. Ambros. oratione de obitu Fratris Satyri, sic scribit. Aduocauit ad se Episcopum, percontatúsque ex eo est: vtrumnam cum episcopis Catholicis, hoc est, ait Ambr. cum Romana Ecclesia conueniret. Nota hæretice Romanam Ecclesiam à D. Ambr. vocatam esse Catholicam. Nempe quia D. Petrus, qui ibi Dei nutu ac reuelatione sedem & cathedram posuit ac tenuit, sanguinémque suum pro Christo domino Romæ fudit, ab eodem totius Ecclesiæ Catholicæ pastor & rector præfectus est, & constitutus. Quem ideo Theodosius Aug. Legum nouellarum tit. 14. Impressionis Lugdunensis anno 1566. folio 544. de Episcoporum ordinatione, refert Imp. Theodosium & Valentinianum AA. rescripsisse circa principium: Principem esse episcopalis coronæ. Sic enim dicunt: Sedis Apostolicæ primatum S. Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis Coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, sacræ etiam Synodi firmauit authoritas. Tunc demùm Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si rectorē suum agnoscat vniuersitas. Hæc illi Catholici Imp. Imo Aurelianus etiam Imp. ethnicus & infidelis primatum Romanæ Ecclesiæ asserit: quod obseruauit Nicolaus Sanderus de visibili Monarchiæ Ecclesiæ libr. 7. numero. 81. ex Impressione Louaniensi 1571. fol. 304. sic scribens: Cum Paulus Samosatenus in Concilio Antiocheno de episcopatu deiectus (auctore Eusebio vt mox dicemus) ex episcopi domo quæ illius ecclesiæ propria erat, exire nollet: Impe-

Amb. de obitu Fratris Satyri.

Lex.

Sāderus de visi. Monarc.

rator Aurelianus de ea re rogatus ſententiam, ſanctiſſimè quid eſſet agendum, decreuit. Præcepit enim vt domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ & vrbis Romæ epiſcopi, per literas tribuendam præſcriberent. Veriſimile autem eſt Imperatorem ab iis qui Chriſto in comitatu eius nomen dederant, hac de cauſa inſtructum fuiſſe. Ita enim reſpondit & decernit, ac ſi iam noſſet, Orientales etiam Eccleſias Romani Pontificis & Epiſcoporum Italiæ (qui ſolent ei adeſſe in Concilio) decreto gubernandas eſſe. Quod ipſum etiam Euſebius (& ipſe Orientis epiſcopus) ſanctiſſimè decretum teſtatur. Hæc Sanderus. Euſeb. ex Chriſtophorſoni verſione Eccleſ. hiſt. lib. 7. cap. 24. circa finem, hoc factum ſic refert. Vbi Paulus ſimul cum orthodoxa fide epiſcopatum amiſiſſet, Dominus miniſterium Eccleſiæ apud Antiochiam, ſuſcipit. Verum cùm Paulus ex Epiſcopi domo eius eccleſiæ propria exire nollet. Imperator Aurelianus de ea re rogatus ſententiam ſanctiſſimè qui eſſet agendum decreuit, inquit Euſebius, Tulit enim ſententiam, Præcipiens vt domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ & vrbis Romæ Epiſcopi, per literas tribuendam perſcriberent. Sic demùm Paulus cum ſummo dedecore ſecularis Imperij ac poteſtatis authoritate, ab Eccleſia penitus extruditur. Quo quidem tempore talem, & tam benignè erga nos animatum ſe Aurelianus declarauit.

Euſebius li. 7. c. 24.

Verùm tempore ſui Imperij progrediente aliena opinione & propè contraria de nobis concepta: quibuſdam iam conſiliis impulſus fuit, vt perſecutionem contra nos cieret. Hæc Euſebius. Ex quo vides quomodo probantur ſacerdotes legitimi & epiſcopali gradu ac prærogatiua digni: qui authoritate Romani Epiſcopi, ſiue ſummi Pontificis Chriſti quidem Vicarij: Petri verò legitimi ſucceſſoris fuerint approbati. D. Hier. in *Matth. 16.* Simoni qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen: ac ſecũdum Metaphoram petræ. Rectè dicitur ei. *Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te. Hæc ille.* Petram enim Petrum ipſum ſignificare pro eodémque accipi, indicat illud, ex D. Amb. in Eccleſia decantatum de gallo canente.

Hiero. in Matt. 16.

Ambr. in hymnis.

Hoc ipſa Petra Eccleſiæ,
Canente, culpam diluit.

Hiere. in epiſt. ad Gal.

Item D. Hier. to. 9. in epi. ad Gal. cap. 2. Non quod aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas, ſed quam nos Latinè & Græcè

Græcè Petram vocamꝰ : Hebræi & Syri propter linguæ inter se viciniam Cepham nuncupauit: Hæc ibi. Nota quod lapis, saxum, πετρα πετρος idem significat. Et cum Dominus in futurum promittens diceret : *Matth. 16. Super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam :* idem est ac si diceret, super te ædificabo Ecclesiam meam, si enim de seipso Dominus intelligeret: De quo. *1. Cor. 10. Petra autem erat Christus:* *1. Cor. 10.*
non dixisset ædificabo, cum iam ædificata à multis sæculis super se esset Ecclesia & ab ipsa mundi constitutione : In primo iusto Abel, à quo Ecclesia incepit, cuius caput est Christus : siue in lege naturæ, siue scripta, siue denique in lege Euangelica. Diceretque iure Dominus Christus super me ædificaui, ædificabam, ædifico. Super autem Petrum, cui dico *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam :* Notanter in futuro dico ædificabo. Nondum enim ædificaui, nondum adhuc ædifico, sed post resurrectionem meam Ioan. 21. ædificabo Ecclesiam meam. D. *Ioan. 21.*
Hylarius Can. 16. in Matth. de Petro ait: O fœlix Ecclesiæ *Hilarius*
fundamentum, digna petra, ô Beatus cœli Ianitor. Nonne *can. 16. in*
clarissima sunt hæc testimonia, omníque exceptiõe maio- *Matth.*
ra! D. Hier. tom. 1. epist. ad Marcellam contra Montanum. *Hierony.*
Petrus, inquit, super quem Dominus fundauit Ecclesiam. *ad Mar-*
Et D. Ambr. serm. 68. de natali Petri & Pauli: Petrus petra *cellam*
est, super quam ædificatur Ecclesia. Et vt finem aliquando *Ambros.*
imponamus. Antiquissimus latinus scriptor de re Christia- *serm. 16.*
na Tertullianus lib. de præscript. aduers. hæret. Latuit ali- *Tertu. de*
quid Petrum, ædificandæ ecclesiæ, Petram dictum? Hunc, *præcript.*
S. Christi martyr fidéque dignissimus testis Cyprianus velut discipulus magistrum imitatur & sequitur : Dicebat enim dum Tertulliani codicem à ministro suo posceret: da mihi magistrum. Ille inquam, D. Cyprianus ex dispositio- *Cypr. epi.*
ne Pamelij epist. 5. ad Cornelium, item epist. 69. ad Florен- *55. & 69.*
tium Papianum & epist. 71. ad Quintum, & epist. 73. ad Iu- *ac 71. &*
baianum. Libro item de vnitate Ecclesiæ, & de habitu vir- *73. &*
ginum, & de bono pudicitiæ, his omnibus citatis locis. *de vnit.*
Super Petrum ædificatam fuisse Ecclesiam & fundatam à *Eccl. &c.*
Christo asseuerat. Hac de assertione, & in concione & catedra Moysi & aliis quibusdam locis me dixisse commemini. Quare ad sequentia, me confero.

Exibant dæmonia à multis clamantia quia tu es Christus. Et non sinebat ea loqui. Cur autem Christus dæmoniis quanquam vera dicentibus, silentium imposuerit : ratio est, ne

ab illaudatis laudari velimus, quæ ad mores spectat, quod Paulum fecisse quoq; in *Actis 16.* legimus, Prohibuit enim spiritum pythonicum dicentem: homines illos esse seruos Dei altissimi. Non enim volebat sanctus ab immundo ore commendari, & testimonium à dęmone accipere, qui est pater mendacij. Habetur in libello de quatuor virtutibus Cardinalibus, qui tribuitur Senecæ, est autem Martini episcopi, formula honestæ vitæ, vbi agit de continentia. Sit tibi, ait, tam triste laudari à turpibus quàm si lauderis ob turpia. Hæc ille. A probatis viris honestum est & optabile commendari, vt cecinit Horatius lib. 2. epist. epist. 1. ad Augustum, de Alexandro magno.

Act. 6. *Marti. episcop.* *Horat. epist. 1. li. 2*

Edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra.
Fortis Alexandri vultum simulantia.

Sic nec probus ab indigno gaudet laudari. Quod cõfirmat Cicero lib. 15. epist. epist. 6. Marco Catoni. Lætus sum laudari me (inquit Hector opinor apud Nænium) abs te, pater laudato viro. Ea est enim profectò iucunda laus, quę ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. Idem libr. 5. epist. epist. 12. Luccio scribit. Placet Hector ille mihi Nænianus, qui non tantum laudari se lætatur, sed addit etiam à laudato viro. Hęc de prima ratione sufficiant. Secunda assignatur eiusmodi. Vt nimirum mendacibus licet vera dicentibus, non credamus neque fidem adhibeamus: in pœnam ipsius, ipsis & præcautionem salutarem, ne scilicet per eos aliquando decipiantur & fallantur. Laërtius Lib. 5. de vita Philosophorũ in Aristotele, interrogatus ille quidnam mendaces lucrarentur, vt cum vera, inquit, dixerint non illis credatur. Hæc Aristoteles. Serpentis mendacio fores apertæ omni vitiorum generi fuêre. Tertia quoque ratio mores concernit vt cæteræ. Nempe vt doceantur principes & magistratus Catholici. Reges & Imp. hæreticis silentium imponere: Vt Imp. Gratiani, Valentiniani, & Theodosij rescripto cauetur, lege. Omnes vetitæ, C. de hæreticis & Manichæis. Omnes vetitæ legibus diuinis, & Imperialibus constitutionibus hęreses, perpetuo quiescant. Nemo vlterius conetur quę repererit prophana præcepta, vel docere vel discere Hęc ibi. Sic in Euangelio. Non sinebat Christus dęmonia loqui, ne incauti eorum thecnis & mendaciis sub veri specie irretiti illaquearẽtur. Ne ergo dęmonibus vnquam credamus etiam

Cicer. li. 15. epist. epist. 6. & 12. *Laërtius in Arist.* *Lex.*

vera

vera dicentibus: quum enim ament mendacium, sintque nobis inimicissimi: nunquam vera loquentur nisi ad fallendum veritate quasi esca quadam vtantur. Ait Euthymius in *Marc.cap.1.* de Dęmoniaco curato in Synagoga. Non vult ipsa veritas Christus vt sibi à falsitate siue à dæmonio perhibeatur testimonium. *Psalm.49.Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Et alibi dicitur: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Atque pulchrè à quodam dictum est: Laudari à malis dedecus est. Theophyl.in Marc.1.cap. Non sinebat dæmonia loqui, docens nos ne credamus eis, etiam si vera dicant. Nam quum quosdam dum mentiuntur, inueniant omnino credentes sibi: quid non fieret si & veris falsa permiscerent? Additur & non absimilis præcedentibus 4.ratio. Cur dæmonia non sinerit Dominus loqui: vt videlicet criminatores, detractores, & calumniatores, non audiamus: Nam *Διαβολὴ* calumnia, obtrectatio, crimē, delatio, exponitur. Ergo Diabolos, hoc est calumniatores, & delatores, sycophantas & criminatores, iubet Dominus tacere. Nósque eos præcipimur non admittere, vel eis temerè credere prohibemur. Lucianus, atheos dictus & impius tom. 1. Opuscul. de non temerè credendo calumniæ. Quæ *Διαβολὴ* græcè dicitur. Calumnia, est delatio, inquit, ementita odio, clanculum reo, calumniatori credita, delato ad respondendum, ac referendum non admisso. Quæ definitio personis tribus constat, delatore, delato, & auditore calumniæ. Quàm perniciosi sunt calumniæ authores: veteratores isti & nugiuendi suas thecnas ita comparant, vt iis qui temerè nimis creduli fuerunt, imponant facilè, insontésque exitio internecioni tradant. Arma sunt istis aduersus absentem, fallacia, mendacium, periurium, impudentia: deniq; innumeræ imposturæ ac maliciosæ cautiones, Omnium maximè pestilens, & longè efficacissima assentatio, calumniæ cognata: imò verò soror. Qui tales auscultat, ipse sese sponte sua in manus hostium dedit. Interim ignarus insidiarum est qui accusatur. Proferuntur ibidem exempla. Antia apud poëtam Homerum nempe Iliados.3.id est lib.6.circa principia, Vxor Proëti furtiuum concubitum à Bellerophonte petiit, sed hoc neutiquam persuasit. Illa autem mentita, Proëtim regem allocuta est,

Euthymius in 1. Marc.

Psal.49.

Theophi.

Lucian.

Lucian. Homer. Iliad.

Τεθναίης ὦ Προῖτ' ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην
Ο῞ς μ' ἔθελεν φιλότητι μιγήμεναι οὐκ ἐθελούσῃ. hoc est:

Morieris ô Proete, vel interfice Bellerophontem : Qui mihi voluit amicitia, misceri nolenti. Neque (vt hic quidpiam interseram) dissimilis narratur historia *Genes. 39.* de pudicissimo Ioseph Patriarcha & de impudicissima calumniatrice domina eiusdem. Carmine sic comperi apud Lucianum vbi supra quod ex Homero allatum est:

Gen. 39.

Bellerophontem occide, aut Proete peribis.
Qui mihi conatus præsigne causerre pudoris
Fœminei decus.

Cùm ipsa prior adolescentē ad cōcubitum sollicitasset: contēpta, in hoc periculū induxit, vt cum Chimæra pugna congressus parum abfuerit, quin victrice bestia occumberet. Tanta pœna luenda fuit castitas pudórq; iuuenilis, quem hospiti cōiunx adiit, adultera suspectum fecerat. Simile quiddam, Phœdra priuignum calumniata effecit, vt filij caput Pater Theseus execratum belluis marinis deoueret: Quanquam, ó superi, nihil prorsum deliquisset Hypolitus. Hæc Lucianus docens ibidem contra calumniam saluberrimū remedium. Quod Homerus in Sirenū fabula, inquit, docet, faciendum est, perniciosas talium sermonum delicias, Vlissis instar, vir prudens ac sapiens, nauigio prætereat, obturet aures, nec passim aperiat affectui cuipiam obnoxiis: sed ianitore sedulo ac fido adhibito, ratione videlicet ac iudicio animi, recta dicentes reclusis foribus excipiat, inutiles nugas obdito pessulo arceat. Hactenus ille. Cęterùm Antonius Muretus variarum lectionum libr. 1. ca. 12. Exempla 8. collegit libidinosarum mulierum, quæ sunt calumniatæ eos à quibus spretæ fuerunt. 1. Vxor Phuthipharis quæ Ioseph calumniata est impudentissimè, vt suprà tetigimus. 2. Phædra quæ Hippolitū nouerca priuignum, tentauit, nec persuasit: Maritum autem, quasi Hippolitus sibi vim afferre voluisset aduersus Hippolitum insontem accēdit: atque vt discerperetur causa fuit. 3. Antia Proëti vxor, quæ Bellerophontem similiter falsò detulit & accusauit: De quibus iam ex Luciano & Homero diximus. 4. Nouerca Philonome vel vt alij vocant Perbœa sermonē cum Teni Cygni filio, Neptuni nepote de stupro contulit. Repudiata insimulauit eum, eodem planè modo quo Hippolitum Phædra, Credulus parens inclusum in capsam quandam filium proiecit in mare, quæ delata est in insulam, de nomine ipsius Tenedon nominatam, ante à Leuchophris. Pelleus ab Hippolyte

Homer⁹.

Muret⁹.

lyte vxore Acasti accusatus falsò fuit similiter, de quibus Horatius lib.3.car.ode.7. Hora. li. 3.carm. Ode.7.

Vt Proetum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis,
Casto Bellerophonti
Maturare necem refert.
Narrat pené datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hyppolitem dum fugit abstinens.

Nota Hippolytem Acasti Magnesiæ Regis vxorem, Peleum quòd libidini eius non paruisset, apud virum accusasse: tanquã ei vim inferre voluisset 6. Hippodomia, cùm eam auheheret Pelops siti correpta esse dicitur. Cúmque Pelops quærendæ aquæ causa descendisset è curru, iámque longiùs abiisset, illa Myrtilum aurigam cum quo sola remanserat sollicitare cœpit, vt secum rem haberet (volebat aliam quandam sitim restinguere) Nolens morem gerere Myrtilus, apud reuersum Pelopem accusatus est, quòd ipsam violare conatus esset: ob id proiectus in vicinum mare, quod ex eo Myrtonum vsurpari cœpit. 7. Philostratus lib.6.c.2. de vita Appolonij, Timasionem quendam Ægyptium, à Nouerca frustrà adamatũ, Deinde illius calumniis, solum vertere coactum esse narrat: & si illa quidem alio quodam modo quàm cæteræ priuignum calumniata est: quo de facto, mox dicetur fusius. 8. Fausta Maximiani filia, Constantini magni vxor, eodem modo vt Phædræ Crispum priuignum suum accusauit. Itaque Imperator Optimus, sed hac quidem in re non satis consideratus: immerentem filium morte mulctauit. Idemque postea re cognita, etiam de vxore suppliciũ, sumpsit. Huc vsque Muretus. Zonaras annaliũ tom.3. de Imperio Constãtini Magni cira principia, Habuit Constantinus, inquit, & è concubina filium natu maximum Crispum. Eum Fausta Nouerca, insano amore correpta, cùm ad concubitum pellicere nequiuisset: apud patrem detulit, vt à quo adamaretur, sua pudicitia sæpe sollicitata. Ob id crimen, capitis Crispum damnat pater, coniugi obsecutus. Sed deinde veritate cognita, De ipsa quoque, cùm ob impudicitiã, tum propter filij cædem pœnas sumit. Nam in Balneum vehementer calefactum introducta æstu præfocatur. Hæc Zonaras. Cui consentit Sidonius Apollinaris Aruernorum Episcop.lib.5.epist.8. Constantini dominum vitamq; Cõsul Ablanius pupugisse versu gemello, vel momordisse

Philostratus.

Zonaras tom.3. annal.

Sidonius lib.5.epistol.8.

videtur disticho tali clàm palatinis foribus appenso.

Saturni aurea secla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

Quia scilicet prædictus Augustus, iisdem ferè temporibus extinxerat coniugem Faustam: calore balnei: filiũ Crispum frigore veneni. Hæc ibi. Notatur in Philostrato vbi supra, quòd Timasion adolescens Ægyptius summa pulchritudine vigebat, cúmque esset natura permodestus, Nouerca illum amans insequebatur, patrémque aduersus ipsum irritauerat, Non tamen idem quòd Phædra crimen fingens: sed illum accusabat quod fœminæ quàm viro similior esset, quódque amatoribus, magis quàm mulieribus gauderet. Hunc verò adolescentem ob pudicitiã coronari oportere magis etiam quàm Thesei filium Hippolitum indicauit Apollonius, nihil enim erga amantem mulierem affectus est, sed ab amore nefando abstinuit: tametsi à Venere se commotum quandoque dictitaret. Hæc ibi. Plutarchus to. 2. Opus. de Curiositate in fine. Narrant, ait, Sycophantarum cognomen ortum hac de causa. Quum lege vetitum esset, ne quis exportaret ficos apud Athenienses: qui prodebant ac deferebant exportantes, Sycophantæ dicti sunt. Hæc ibi. Idem to. 1. Opusc. de discrimine adult. & amici. post medium refert fuisse Medum quendam inter adulatorum greges qui cum Alexandro viuebant: Iubebat vti audacter calumniis morderent & incesserent, docens, etiam si quis, morsus sit, vulneri medeatur, cicatricem tamen calumniæ relinqui. His sanè cicatricibus vel (vt verius dicam) gangrenis & carcinomatis (Cancer est morbus quidam de quo illud Apostoli intelligitur: *Sermo eorum vt Cancer serpit:* Gangrena seu carcinoma etiam dicitur) Corrosus Alexander, sustulit Callesthenem, Parmenionem, & Phibulam. Idem tom. 2. Opus. De amore fraterno circa fines. Quemadmodum, inquit, Æsopica Gallina ad felem, quæ interrogabat ęgrotantem, quasi ex beneuolentia, quomodo valeret: Benè, inquit, si tu recedas. Ita ad huiusmodi hominem, qui sermones iniiciat de dissidio, ac percunctetur scrutetúrque archana quædam: Dicere oportet: Mihi quidem cum fratre rei nihil est: si neque ego calumniantibus attendo, neque ille. Cauendos detractores docuit Horatius Poëta Lyricus lib. 1. ser. Satyra 4. in medio.

Plutar. (margin, beside "ret. Hæc ibi. Plutarchus")

Horat. Saty. 4. (margin)

Absentem qui rodit amicum.

Qui

Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum, famámque dicacis.
Fingere qui non visa potest: commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Niger est, pro improbus, est positum. Psalmographus conformiter dixit. *Detrahētem secreto proximo suo hunc persequebar. Non sinebat ea loqui Dominus Dæmonia:* Huiusmodi calumniis plena. Habetur inter opera D.Aug.to.1.ex Possidonio de vita S.Aug. cap.22. & to.10.ser.26.ad fratres in Eremo: quod D.Aug.in sua mensa contra pestilentiam humanæ consuetudinis ita scriptum habebat: *Possidonius in vita S. Augustini. Aug. ser. 26. ad fratres in Eremo.*

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Apud Vlymmeriū vbi vita D. Aug.per Possidonium descripta habetur, etiam sic legitur posterior versus.

Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Quod melius quadrare & congruere videtur. Ille quosdam suos familiarissimos coepiscopos illius scripturæ oblitos & contra eam loquentes, tam asperè aliquando reprehendit commotus, vt diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturū. Quod ego, (inquit Possidonius) & alij qui illi mensæ interfuimus experti sumus. Hactenus ille. Herodotus libro 7. circa principia. Detractio, dicebat Artabanus: Importunissima res est, in quo duo sunt qui iniuriā faciūt, vnus cui iniuria fit. Qui enim detrahit, iniurius est, quòd non præsentem accusat. Item qui huic credit, iniurius est, quòd prius credit quàm rem compertam habeat, & illi cui absenti detrahitur, ob id fit iniuria, quòd ab altero insimulatur, vt malus, ab altero talis putatur. Hæc ibi. Rectè à quopiam grauitérque dictū fuit: *Aduersus calumniatoris morsus nullum est remedium.* Distichon est notissimum quod puerorum etiam sermonibus tritum est. *Vlymmerius. Herodotus. lib. 7.*

Cætera si perdas famam seruare memento,
Qua semel amissa postea nullus eris.

At detractor seu susurro, delator, ac calumniator famā bonam noménque bonum atro carbone notare & fœdare molitur, cuius lingua tanquam serpentis & aspidis, plena veneno mortifero, atrociùs quàm gladius anceps & acutus iugulat & interficit. Quos Dominus cauendos illísque silentium imponendum docere voluit: dum Dæmonia non sinebat ipse loqui. Item ne verbis eorum authoritatem

tatem daret, vt doceret non permittendas esse hæreticis conciones. Leg.2. C.de summa Trinit. & fide Cath. Imp. Grat.Valent.& Theod. A.A. Rescripserunt. Nullus Hæreticis Ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio. Sciant omnes etiam si quid speciali quolibet rescripto, per fraudem elicito, ab huiusmodi hominum genere impetratum sit non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ: vnius & summi Dei nomen vbique celebretur. Nicænæ fidei dudum à maioribus traditæ, obseruantia semper mansura teneatur. Hæc illi. Et hæc de præcipuis huius Euangelij capitibus dicta sufficiant. Sed ne quis quæratur causaturus, de textus interpretatione parum à nobis dictum fuisse: Ego ex D. Petri Chrysologi ser. 18. aliqua haud pœnitenda decerpam: deinde finem dicendi faciam ne prolixior videar. Quæ res ad domum Petri inuitauit Christum? Vtique non discumbendi voluptas, sed tacentis infirmitas: Non prandendi necessitas sed salutis occasio, Diuinæ virtutis opus, Non humani pompa conuiuij. In domo Petri non vina, sed lachryma fundebantur: Turbabat ibi familiam non cura conuiuij sed cura läguentis, febris ibi non edacitas æstuabat. Vnde illuc Christus, non epulas percepturus, sed vitam redditurus intrauit. Deus quærit homines, non humana: cœlestia dare cupit, non concupiscit inuenire terrena. Christus ergo recepturus nos, non nostra quæsiturus aduenit. *Vidit Christus ibi*, ait textus, *socrum febricitãtem*. Inspexit gemitum languentis febrientis, attendit incendium, vidit periculum desperatæ: & statim manus ad opus suæ deitatis extendit, Nec antè ad humana discubuit Christus, quàm mulier quæ iacebat surgeret ad diuina. *Tenuit manum eius, & dimisit eam febris*. Ibi non stat infirmitas vbi author salutis assistit: accessus illuc mortis nullus est, vbi viuificatoris ingressus est. *Tenuit manum eius*. Quæ necessitas tangendi erat, vbi erat ius iubendi? Sed Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. *Surrexit & ministrabat ei*. Ministrare illam ad iudiciũ redditæ sanitatis Christus admisit. Ille sic fugat morbos vt vires pristinas mox reducat. Vbi curat ars ibi infirmitatis residet lassitudo. Vbi sanat virtus ibi languor vestigium non relinquit. Hæc Chrysologus. Euthimius autem in Matth. ca. 8. Tu mihi admirare, inquit, quantum Dominus se deic

Lex.

Chrysologus ser. 18.

Euth. in 8. c. Mat.

ſe deiecerit. Non dedignatus eſt vilem piſcatoris domum ingredi. Hinc quidem & diſcipulum honorans & ſimul docens nos ne vanæ gloriæ ſtudeamus. Continuò febri liberata ſurrexit, & miniſtrabat. Atque ablata etiam febri laborantibus longo opus eſt tempore: vt priorem recipiant ſanitatem. In mari quoque non ſolum ſedauit tempeſtatem, ſed etiam fluctuum commotionem cohibuit: quum tamen poſt tempeſtatem, diutius maneat aquarum commotio. Ita enim nouit Chriſtus ſimul & quod ægritudine affectum eſt ſoluere: & in priorem ſtatum reponere. Obſerua quoque quo pacto interdum quidem extenta manu, curat, vt in ſocru Petri: interdum autem verbo loquens, vt in puero Centurionis: & in his Demoniacis quos ſub veſperam curauit: quandóque vtrúmque faciens, vt in leproſo. Oſtendit enim ſe omnipotentem eſſe. Hæc Euthimius.

Soarez in Luc. c.4. trac. 76. Poſt ſolis occaſum (inquit) conuenerunt omnes qui habebant infirmos in domum Simonis: & omnes curati ſunt. Non extra domum Simonis curantur, ſed in domo, vt nobis ſit notum in Eccleſia tantum Romana, miracula fieri: & qui extra eam ſunt: nõ poſſe conſequi ſanitatem. Non hoc dicimus quod Dominus in via & in vicis quam plurimos non ſanauerit: ſed quia nunc in initio ſuæ prædicationis voluit in domo Simonis omnes ſibi oblatos malè habentes ſanare. In domo Simonis, in Eccleſia S. Petri, quæ eſt Romana, omnibus patet ſalus, qui illam non reſpuerint. Hæc mulier ſanitati reſtituta. Chriſtó miniſtrauit: ſic nos non peccatis mundóve, ſed Deo debemus deinceps miniſtrare: in gratiarũ actionem, deinde in fidei proteſtationẽ. *Nam fides quæ per charitatem operatur. Gal.5.* Grata eſt Chriſto plurimúmque valet: *Sine operibus verò mortua eſſe dicitur. Iac.2.* Quæret aliquis. *Quid eſt ſtans ſuper illam imperauit febri?* Niſi quod Dominus erectus ſupra eam quæ lecto valetudinaria decumbebat, præcepit febri & continuò febris reliquit eam? Vehemẽti prohibitione cogebantur dæmones tacere: & non vltra loqui: Neque enim decebat vt per eos homines agnoſcerẽt eum eſſe filium Dei & Meſſiam. De ſocru Petri, hoc eſt matre vxoris eius, quam quidem vxorem, Chriſti fide flagrãtem: poſtea præmiſit ad Martyrium (vt iam dictum eſt.) Nunc non plura ne tædio afficiamus lectorem elucubrare conſtituimus. Tantum hoc commemorandum cenſui, quod Plutarch. to.1. Opuſc. in Apoph. Lacon. circa initia retulit.

Soarez trac. 76. in Lucã.

Gal.5.

Iac.2.

Plutarc. tom. 1. in Apoph. Laconic.

Quum

Quum prauus homo optimam tulisset sententiam, probauerunt quidam eam: sed ab eo, ad hominem qui honesté vixisset: tanquam eius authoritatem transtulerunt. Hæc ille. Aulus Gellius Noctium Atticarum libro 18. capite tertio, hanc fusissimè elegantissiméq; tractat ex Æschine Rhetore historiam hoc modo, Æschines prudentissimus oratorum, qui apud conciones Athéniensium floruerunt, in oratione illa sæua, qua Timarchum de impudicitia grauiter insignitérque accusauit, nobile & illustre consilium Lacedæmoniis dedisse dicit, virum indidem ciuitatis eiusdem principem: virtute atque ætate magna præditum. Populus, inquit, Lacedæmonius de summa Reip. suæ quidnã esset vtile & honestum deliberabat. Tum exurgit sententiæ dicendæ gratia, homo quispiam turpitudine pristinæ vitæ defamatissimus, sed lingua tunc atque facundia nimium quantò prę̨stabilis. Consilium quòd dabat quódque oportere fieri suadebat, acceptum ab vniuersis, & complacitum est, futurúmque erat ex eius sententia populi decretum. Ibi vnus ex illorum principum ordine, quos Lacedæmonij ætatis dignitatísque maiestate tanquam arbitros & magistros disciplinę publicæ verebantur, commoto iratoque animo exiliit: & quænam, inquit, Lacedæmonij, ratio, aut quæ tandem spes erit vrbem hanc, & hanc Remp. saluam inepugnabilémque esse diutius posse, si huiuscemodi antè actæ vitæ hominibus consiliariis vtemur? Quòd si proba isthæc & honesta sententia est: quæso vos non sinamus eandem deshonestari turpissimi authoris cõtagione. Atque vbi hoc dixit, elegit virum fortitudine atque iustitia præter alios præstantem, sed inopi lingua & infacundum: iussitque eum consensu petitúque omnium, eandem illam sentẽtiam diserti viri cuiusmodi posset verbis dicere: vt nulla prioris mentione habita, scitum atque decretum populi ex eius vnius nomine fieret, qui ipsam denuò dixerat. Atque ita vt suaserat prudẽtissimus senex, factum est. Sic bona sententia mansit, turpis auctor mutatus est. Hactenus A. Gellius. Sic impuris prophanisque haudquaquam credendum schismaticis, hæreticis, aut cacodæmonibus licet vera loquentibus: sicut nec dæmonia Christus sinebat loqui. Rogemus Dominum vt cor Regis, & Christiani magistratus sic ad pietatem tuendam contra hæreticorum loquacitatem & garrulitaté diligat: quatenus perpetuò illis indicto silentio à Catholica & Sancta religione

A. Gelli⁹ lib. 18. c. 3

non

non abstrahãtur & auocentur simplices & incauti: sed omnes in Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ gremium confugiẽtes tanquam ad D. Petri ianuam, & ostium domus ipsius, ad Christum accedẽtes, & intrò admissi, ibidémque semper perseuerantes: Christo perpetuò inseruiamus, illíque ministremus, magnis peccatorum, æstibus tanquam febribus ardentibus liberati & erepti, Deum laudemus, nec vnquam à Dei laude cessemus. Amen.



FERIA SEXTA POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMAE.

De Samaritana. Ioh. 4.

Venit Iesus in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, &c.



ONVENIEBAT vt vbi olim stuprata erat virgo Dina, ibi iam lubrica Samaritis, ab immunditia sua conuerteretur. Sacra Geneseos testatur historia c. 34. *Quomodo egressa est Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius quã cùm vidisset Sichem princeps terræ illius, adamauit eam & rapuit, & dormiuit cum ea, vi opprimẽs virginem. Et conglutinata est anima eius cum illa, tristémque deliniuit blanditiis. Quòd cùm rescissent duo filij Iacob, Simeon & Leui fratres Dinæ, arreptis gladiis, ingressi sunt vrbem cõfidenter: interfectisque omnibus masculis, Hemor & Sichem, patrem nimirum & filium pariter necauerunt, tollentes Dinam sororem suam: & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri, quia scilicet vt scorto abusus fuerat Sichem sorore eorum.* Gen. c. 48. Scribitur Iacob patriarchã dixisse ad Ioseph filiũ suũ. *Do tibi partẽ vnã extra fratres tuos, quàm tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Quod sic exponit doct⁹ interpres Lyranus, Do tibi terrã Sichẽ speciali munere, quam tuli de manu Amorrhæi. i. ipsi⁹ Hemor, qui fuit de genere Amorrhęorũ. In gladio & arcu meo, idest, iure belli, quia propter violatio

Gen. 34.

Gen. 48.

Liranus in Gene.

violationem Dinæ digni erant eã perdere Sichimitæ, adde quòd *vnam partẽ agri Sichimorum emit Iacob à filiis Hemor patris Sichem, centũ agnis: & erecto ibi altari inuocauit Deum*
Gen. 33. *Israël.* Genes. 33. Hæc scripturæ sacræ loca præsentẽ illustrant historiam de Sichar alias Sichem, & de prædio quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Puto enim hic significare Sichimam quàm ob stupratam Dinam cœpit Iacob cùm filiis. Quòd prouidentia Dei factum fuisse, cùm Deus propter pietatem Iacob cohibuerit vicinos populos ne ob istud facinus, ipsum Iacob & filios eius persequerentur, atque ita opprimerent, manifestè ostendit cap. 35.

Cùm proficiscerentur, inquit, terror Dei inuasit, omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes. Sicque Sichima à filiis expugnata & iure bellico sibi vendicata remansit, quàm & Ioseph filio dilecto, posterísque dereliquit. Iosue c. vltimo. *Ossa Ioseph sepelierunt in Sichem, in parte agri quem emerat Iacob, à filiis Hemor patris Sichem, centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph.* Theophylactus in Ioannem 4. Tractans hunc locum sic scribit: Quare Euangelista de loco Iacob & fonte, tam diligenter differit? Ne mireris, locus enim ille erat, Sycima, vbi filij Iacob Symeon & Leui grauem illam cædem commiserunt, eo quòd sororem illorum Dinam oppresserat Sychimorum princeps. Discimus autem quòd olim reiecti fuerint Iudæi propter peccata sua, & quum offendissent Deum, gentes illorum loca possederint, & quæ patriarchæ propter suam in Deum fidem possederant, ea illi propter impietatem amiserunt: & ita nihil nouum, si & nunc Gentiles pro Iudæis in regnum cœlorum sint introducti. Prædium autem quòd dedit Iacob Ioseph Sicyma dicebatur: quoniam enim filij Iacob Sycimitas perdiderant, & ciuitatem desolauerant, eam vt pote desolatam, pater in hæreditatem filio Ioseph dedit. Hæc Theophylactus. *Venit mulier de Samaria haurire aquam, Et dicit ei Iesus, &c.* Non dicit venit scortum vel meretrix, cum tamen fornicaria esset mulier, vt satis textus indicat, & verba Christi apertè demonstrant. Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir: verùm, quia vt scribit Apostolus. 1. Corint. 13. *Charitas non gaudet super iniquitate* mulierem à sexu honestè nominat. Videtúrque istius peccatum occultum fuisse, ideóque semotis arbitris detegendum fuisse nec propalandum. Alius autem de Euange

Euangelista de quadam altera ita refert: *Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix vt cognouit, &c.* Luc. 7. *Sic etenim peccantes coram omnibus publicè arguendi sunt*, iuxta dictum Apostoli: quorum verò secreta sunt peccata haud quaquam infamandi sunt aut traducendi. Genes. 24. Abrahæ seruus Rebeccam iuxta fontem inuenit & vxor Isaac facta est, *Ecce* inquit, *ego sto propè fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui ego dixero, inclina hydriam tuam vt bibam: & illa responderit, Bibe, ipsa est quàm præparasti Domine seruo tuo Isaac. Necdum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, habens hydriam in scapula sua: puella decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro, descenderat autem ad fontem & impleuerat hydriam: ac reuertebatur. Occurrítque ei seruus, & ait: Pauxillum atque mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Quæ respondit: Bibe domine mi, & dedit ei potum, & adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant.* Rebecca autem Samaritidis istius typum gessisse videtur quadantenus. Gen. 24.

Sicut enim aquam dedit seruo Abrahæ, sic Samaritana credidit Christo dicenti: *Mulier crede mihi.* Dedit illa camelis aquam bibendam, ista quam accepit fidem aliis etiam conciuibus suis communicauit & prædicauit. Iacob similiter. Genes. 29. Rachelem consobrinam suam, quàm duxit vxorem, circa fontem puteúmve reperit, & adaquato grege osculatus est eam. Et Moses, Exod. 2. septem filias sacerdotis Madian, quæ venerant ad hauriendam aquam reperit, sedens iuxta puteum, & adaquauit oues earum, & ex eis accepit Sephoram vxorem. Helias quoque ex labore itineris sitiens. 3. Reg. 17. Clamauit ad viduam Sarepthanam ligna colligentem, *Da mihi*, inquiens, *paululum aquæ in vase vt bibam. Quæ perrexit vt afferret.* Eodem ferè modo Christus fatigatus ex itinere, sedens iuxta puteum Iacob, ad quem vt hauriret aquam se contulerat mulier Samaritana, aquam ab ipsa petiit, sed viuã aquam, non deficientem, gratiam, nimirum, Spiritussancti, donum fidei, & veræ agnitionis sinceræque religionis eidem contulit, Christus verus Iacob ad fontem aquæ Samaritanam sibi desponsauit iuxta Prophetæ vacinium Osee 2. *Sponsabo te mihi in sempiteroum. Et sponsabo te mihi in fide: & scies quia ego dominus.* Hæc typum gerit Ecclesiæ ex gentibus collectæ. Gen. 29. Exod. 2. 3. Reg. 17 Osee 2.

d *Sedebat*

Sedebat sic supra fontem. Hoc est, simpliciter, vt se se locus offerebat vel humi. Ita Euthymius Græcus interpretatur. Demonstrat siquidem sermo, quòd omni factu careret, Vel sedebat tanquam fatigatus, eo modo quo solent sedere lassi. Non enim ait Theophylactus iumentis vtebatur ad iter, sed pedes ibat, quòd autem sedebat sic, significat simpliciter & vt fortè obueniebat, & non super sede: sed simpliciter videlicet super pauimento, refocillans corpus,& apud fontem se recreans.

Enthymius in Ioannē. Theophylactus in Ioan.

Fatigatus ex itinere. Canit Ecclesia *Quærens me sedisti lassus.* Fatigatur per quem omnes recreantur. *Matth. 11. Ego reficiam vos quemadmodum desiderat ceruus lassus,* quem venatici canes persequuntur, *ad fontes aquarum, ita, ait Psalmographus, desiderat anima mea ad te, Deus. Hora sexta fatigatur*, quæ erat figura fatigationis & laboris quem in die Veneris sancta, hora sexta erat Christus passurus. Et quomodo non ille fatigaretur? Homo portans magnum pondus statim fatigatur. Nunquàm purus homo ferre potuit pondus, quòd pro nobis tulit in cruce Dominus, peccata, scilicet omnium, suprà dorsum suum, Psalmista, *Suprà dorsum meum fabricauerunt peccatores. Ioan. 1. Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* 1. Petr. 2. *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* Baiulum nostrum, vulgò (portefaix,) vocare possumus Christum, qui conquerens dicit Isai. 43. *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*, Isai. 1. *Laboraui sustinens*, hoc est, defatigatus sum. Vnde & sitit. Isai. 53. *Verè languores nostros ipse tulit. Attritus propter scelera nostra.* Non igitur mirum si fatigabatur. Fatigatur pastor per montana & deserti loca inuia & ardua quærens ouem perditam, & super suos humeros eam referens ad caulas. Nec vacat mysterio, quòd iuxta puteum Iacob fatigatur, qui est puteus amoris. Valdè siquidem dilexit Iacob, & castè Rachelem, *pro qua seruiuit quaordecim annis, & dies videbantur pauci præ amoris magnitudine,* Vt sacra Geneseos refert historia. Quis dignè pensabit amorem, quo nostras dilexit Christus animas? Illas quidem steriles vt Rachel. In eum autem finem dilexit & amore prosequutus est eas, vt postea producerent fœtum & fructum bonorum operum.

Matt. 11. Ioan. 1. 1. Pet. 2. Isai. 43. Isai. 1. Isai. 53.

O fidelis anima intuere nedum hac vice dominum fatigatum, sed à suæ natiuitatis exordio. *Vagit infans inter arcta, conditus præsepia*, vt ait Christianus Poëta. Fatigatur

item

item in brachiis matris dum Herodianam fugit persecutionem, fatigatur manens in Ægypto, populo videlicet Barbaro. Fatigatur ieiunans in deserto, fatigatur in monte, pernoctans in oratione. Fatigatur in horto, sudans sanguineas guttas. Fatigatur denique in Caluariæ monte, ibi mortem perpessus & spiritum in cruce emittens. En Christus tanta pro nobis patitur, eum tamen diligere nolumus. Clamat ad animam. *Da mihi bibere*, *Sitio* tuam salutem, Conuertere ad dominum Deum tuum. Samaritanam nihil tale cogitantem vel sperantem, dominus præuenit & fauore quodam singulari præoccupauit, vt discas, verum esse quòd dominus per Esaiam cap.65.dicit: *Inuenerunt qui* *Isai.65.*
non quæsierunt me. Sic olim Saulem quærentem asinas patris, in regiam extulit dignitatem, & Dauidem pascentem oues, regem constituit. Eliseum in agro arantem. 3. Reg.19. Prophetam, Heliæque successorem effecit. Paulum *3. Reg.*
furentem, & minas spirantem in discipulos domini, vas *19.*
electionis elegit. Paralyticum ad piscinam iacentem, (de quo alias diximus) præter ipsius expectationem verbo curauit. Sícque impletur quòd ex Euãgelico propheta Isaia, commemorat Apostolus. Rom. 10. *Isaias audet & dicit: in-* *Rom. 10.*
uentus sum, à non quærentibus me, palàm apparui his qui me *Isai.65.*
non interrogabant. cap.65.

Da mihi bibere, &c. Consueuit Dominus petere quæ parua sunt, vt magna impertiat. Sic Elyas petiit fructum panis, & fecit vt non deficeret farina, nec oleum tempore famis. Petiit Deus ab Abraham. Genes.22. Filium suum, vt *Gen. 22.*
illi sacrificaret quatenus filium suum, vnigenitum sibi consubstantialem nobis præberet, cui ipse non pepercit. Christus communem aquam popoſcit à Samaritana, vt aquam viuam, id est, gratiam suam illi exhibeat. *Centuplum accipietis, inquit Dominus.*

Discipuli eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent, &c. Solus mansit Christus cum sola. Ne coram discipulis videretur eam infamare, dum sua detegit facinora. Nec indecorum indecensúe illud fuit. Locus namque erat publicus pro aqua haurienda: Hora diei clarissima, nempe meridiana, & ante pastum. Non alia venerat hæc mulier intentione, quàm vt aquam hauriret, ætas eius post quinque viros habitos præsumitur fuisse grandæua, & extra sinistram opinionem. Cessat verò omnis suspicio considerata persona Christi, qui erat sanctissimus. Considerato pariter

d 2 collo

colloquio & Dialogo inter vtrumque. Et denique expectatio celeris reditus discipulorum qui abierant in ciuitatem vt cibos emerēt. Qui reuersi mirabātur quidem, quia cum muliere loquebatur, Nemo tamen dixit, Quid quęris, aut quid loqueris cum ea? Ob Christi, scilicet, reuerētiam.

Euthymius in Ioannē. *Quomodo tu Iudaus cum sis bibere à me poscis, qua sum mulier Samaritana? Non enim coütuntur Iudai Samaritanis, &c.* Quærit Euthymius in hunc Euangelij locum. Vnde Iudæum esse cognouit? Ab habitu, aut etiam à loquela. Fimbriis siquidem vtebantur Iudæi, distinctúmque habebant idioma. 4. Reg. 1. Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus commemoratur, Quo ex vestitu & habitu deprehensus est Elias Thesbites, ibidem. Leg. 4. C. de iniuriis. Rescripserunt Impp. Valerianus & Gallienus A. A. In hunc modum, Atrocem sine dubio iniuriam esse factam manifestum est, si tibi illata est, cum esses in sacerdotio, & dignitatis habitum, & ornamenta præferres, & ideo vindictam potes eo nomine persequi. Extra, de sententia excommunicationis, in sexto cap. 12. Qui tonsuram & vestes defert clericales, donec constet de opposito reputatur clericus ex habitu. Hinc pallium Philosophorum, Cuculla monachorum, Vestes viduitatis, Toga Romanorum. Sícque de variis gentium variarum habitibus. Genes. 38. Thamar depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum: & mutato habitu sedit in biuio itineris, quam cùm vidisset Iudas suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum, ne agnosceretur. Ad vnum coitum mulier concepit. Et surgens abiit: depositóque habitu quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. A. Gellius lib. 9. cap. 2. Refert, quomodo ad Herodem atticum, consularem virum ingenióque amœno, & Græca facundia celebrem: accessit palliatus quispiam & crinitus, barbáque prope ad pubem vsque porrecta: petens æs sibi dari, εἰς ἄρτους ad panes emendos scilicet. Tum Herodes interrogat quísnam esset, Atque ille Philosophum se esse dicit: & mirari quoque addit, cur quærendum putasset quod videret. Video, inquit Herodes, barbam & pallium: Philosophum nondum video. Et iussit dari pretium panis 30. dierum qua ex historia colligitur pallio vsos fuisse philosophos & promissa barba. Verùm, vt communi fertur adagio: Habitus non facit monachum. Attamen deprehenditur ex habitu cuius sit instituti monachus. Atque ita interprete Theophylacto ab habitu

4. Reg. 1.

Lex.

Decretalis.

Gen. 38.

Gellius li. 9. c. 2.

Theophi. in Ioan. cap. 4.

ab habitu & veste forsitan & alia corporis forma & colloquio ipso existimauit Samaritana Iudęum esse Dominum. Vide autem, ait, quomodo circumspecta fuerit mulier. Nam si cauere oportebat, Dominum oportebat, non illam: non enim dixit, quod Samaritani consuetudinem non habent cum Iudæis; sed Iudæi consuetudinem, non habent cum Samaritanis. Attamen neque sic tacet, sed existimans Dominum rem illicitam facere, corrigit quod præter legem fiebat. Hæc ille. Antithesi vtitur. q. d. Tu vir, Ego mulier. Minus autem colloquuntur hi duo sexus nisi prior quædam necessitudo intercesserit. Tu patria Iudæus, Ego verò Samaritana. *Non coütuntur autem Iudæi Samaritanis.* 1. Quòd in cultu differãt & Idola Samaritani etiam adorent. 2. Quòd olim Iudæos Samaritæ è sua terra excluserint. 3. Quòd eorum hæreditatem vi possideant huc translati.

Nunc de Samaritanis & eorum religione atque ingenio quædam proponamus non extra propositum. Euthymius in cap. 4. Ioannis sic scribit. Erat Samaria regio quædam varias habens ciuitates & pagos. In hac olim Israëlitæ habitabant: deinde post diuersa bella rex Assyriorum eam deuastauit, & captos duxit in Babylonem, ac è Babyloniis, Medis & Chaldæis mixtos homines congregans, in ea habitare fecit. Volens autem Deus ostendere, quòd non propter impotentiam, sed peccatis exigentibus traditi essent Babyloniis, leones barbaris eam inhabitantibus immisit: quod rex audiens atque intelligens, mittit ad eos sacerdotem Israëlitarum qui traderet etiam illis Dei legem, vt à peste leonum liberarentur. Ex eo ergo tempore partim ab impietate recesserunt: verumtamen adhuc erat in ipsis discrimen à Iudæis. Nam solis Mosi libris susceptis, cæterorum non magnam habebant rationem. Hactenus Euthymius. Ex 4. Reg. 17. Facilè patet, quomodo Babylonij & Medi in Samariam, postquàm esset à Chaldæis expugnata translati fuerunt, quum decem tribus quæ Israëlitæ dicebantur essent abductæ.

Euthym. in Ioan. cap. 4.

4. Reg. 17.

Hi partem legis id est, Pentateuchum tantum admiserunt. Idololatriam cum vero Dei cultu adiunxerunt, Cum Dominum colerent, inquit textus, Diis quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam. Vsque in præsentem diem morem sequuntur antiquum, Non timent Dominum neque custo-

diunt cęremonias eius, & legem & mandatum quod præceperat Dominus filiis Iacob.

Iosephus anti. Iudaic. lib. 11.c.8.& lib.9.ca. 14.

De Samaritanis quoque Iosephus antiquitatum Iudaicarum lib.11.ca.8.hoc est, vltimo, Gelenio interprete, scribit, postquam exposuit quanta Alexander Macedonum Rex in Iudæos beneficia contulerit subiungens. His, apud Hierosolyma actis, Samaritæ quorum tunc caput erat Sicima ad mõtem Garizin, & habitata à desertoribus gentis Iudaicæ, videntes quòd Alexander Iudæos tractaret tam magnificè decreuerunt se quoque Iudæos profiteri. Sunt enim Samaritæ hoc ingenio. Vt in rebus Iudæorum afflictis, negent se cognatos, veritatem tum dicendo: cùm verò affulgere eis fortunam viderint, confestim in societatem irruunt, attinere ad se affirmando, & à Iosepho eiúsque filiis Manasse & Ephræmo seriem generis sui deducendo, Templum in Garizin monte situm habuerunt, quod post obitum Alexandri aliquot annis mansit incolume: & si quis apud Hierosolymitas aut illiciti cibi sumpti, aut violati sabbati, aut similis criminis reus ageretur, ad Sicimitas confugiebat, calumniam se passum dictitans. Hæc Iosephus qui etiam ait. Iud. lib. 9. c.14 id est, vltimo scripserat de iisdem: Samaritæ pro præsenti semper conditione temporum mutabiles, quoties feliciter degere Iudæos viderint, cognatos se eorum appellant, Vt-pote à Iosepho oriundos, & hac ratione sanguine illis coniunctos. Quando verò in rebus aduersis eos aspiciunt, nihil ad se pertinere aiunt, nec illis quicquam deberi beneuolentiæ, cùm ipsi ex longè remotis gentibus ad ea loca venerint. Idem lib.13.ca.6.de templo Garizitano sic memoriæ prodidit. Apud Alexandriam inter Iudæos & Samaritas qui sub Alexandro magno Garizitani templi religionem induxerunt, seditio est exorta de sacris ipsorum, ita vt res ad regis Ptolemæi cognitionem perueniret: dum Iudæi contendunt iuxta Moysi præscripta Hierosolymitanum templum esse legitimum, Samaritæ verò Garizitanum: Prouocatúmque est ad regem, & amicorum eius concessum, vt ab his causa audiretur, & vtrius partis causidici succumberent morte mulctarentur. Qui autem patrocinabantur vtríque parti, iurauerunt per Deum & regem, quòd ex lege probationis allaturi essent, & rogauerunt regem vt necaret eum qui iusiurandum non seruasse deprehenderetur. Andronicus qui

qui prior dixit pro Iudæis, orſus ex lege approbare templi Hieroſolymitani ſanctitatem & religionem, oſtendens per continuas pontificum ſucceſſiones ſacerdotum vſque in ſua tempora propagationem, & ab omnibus Aſiæ regibus maieſtatem eius loci honoratam donariis: Garizitani verò ac ſi omnino nullum eſſet nunquam ab his habitam rationem, his & talibus rationibus perſuaſit regi, vt decerneret Hieroſolymitanum eſſe ex ſententia Moſis conditum, & aduerſariæ partis patronos addiceret ſupplicio. Atque hæc Ptolemæi Philometoris tempore acciderunt. Hucuſque Ioſephus, quæ valdè illuſtrant Samaritidis hoc verbum: *Non coütuntur Iudæi Samaritanis:* item & iſtud, *Patres noſtri in monte hoc* Garizin ſcilicet *adorauerunt:* ibi enim, in Sichimis nempe, Iacob erexit altare, vt ſupra ex Geneſi dictum eſt, & in monte eodem Garizin pronunciatæ ſunt benedictiones ſuper legis obſeruatores, ſcriptore eodem Moſe, & in illo monte Garizitanum extructum fuit templum Alexandri magni temporibus quò Apoſtatæ & deſertores Iudæi & Samaritæ confluebant, hicque colluuies excommunicatorum & transfugarum ac hæreticorum in lege Iudæorum ad Samariam & cultum huius regionis conuenire ſolita erat: hinc factum, vt odio proſequerentur tales Samaritanos Iudæi qui legis cæremonias & ſacra à patribus ſeruari ſolita tenaciſſimè cuſtodiebant, & Samaritani vocabulum adeò illis fuit exoſum, vt Chriſto conuiciantes exprobrarent: Ioan. 8. *Nónne Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Sic Catholici non coütantur hęreticis. Plures enim ſunt Samaritanis, cùm Hæretici ſint proprio iudicio condemnati, teſte Apoſtolo, Samaritani autem magna ex parte ignorantia laborabant. Sed Hæretici ex certa peccant malitia. Nunc ſe catholicos prætendentes, nunc ſe aperto marte Hæreticos & Eccleſiæ Catholicæ hoſtes profitentes, vt quondam fecerunt Samaritæ, atque Catholicos ex propriis ſedibus, Samaritanorum inſtar, hæretici propulſarunt, Catholicorum Epiſcoporum diœceſes vi occupantes, eorúmque hęreditatem violentia detinentes vt videre licet Geneuæ & aliis in ciuitatibus in quibus Samaritanorum huius tempeſtatis, Huguonaldorum nimirum, graſſatur rabies. Sed de his hactenus. Nunc ad textum reuertamur. *Ioan. 8.*

Si ſcires donum Dei & quis eſt qui dicit tibi da mihi bibere.

Luc. 19. q.d. Mater erroris est ignorantia: Luc.19. *Si tu cognouisses*
Mat.22. *& tu.* Et Dominus ad Sadducæos: Matth.22. *Erratis inquit, nescientes scripturas, neque virtutem Dei.* Significat autē Samaritidis huius peccatum ex ignoratione procedere, sicuti quondam gentes in viis ignorantiæ ambulauerunt,
D. Aug. ex fidei, quæ illustrat intellectum, defectu. Fieri autem nequit vt incognita diligamus, authore Augustino. Non dicit: Si scires Deum. Id enim omnibus notum erat. Et Samaritæ, vt supra citauimus, etiam colebant. Sed
Act.19. dicit. *Si scires donum Dei*, quod non est aliud quàm Spiritus sanctus. Nam donum est patris & filij. Act.19. *Neque si spiritus sanctus est, audiuimus.* Plerique Deum patrem vtcúmque sciebant: Spiritum verò sanctum & filij essentiam quæ & qualis esset ignorabant, quia Sanctę Trinitatis mysterium fide destituti non apprehendebant. Cuiusmodi fuit hęc Samaritis quam Dominus edocuit tam admirabile sacramentum dicens infrà: *Adorabūt*
Deu.31. *patrem in spiritu & veritate.* Christus tāquam aquila Deut. 31. *prouocans ad volandum pullos suos & super eos volitans*, paulatim allicit peccatricem istam ex aqua fontis ad aquam Spiritus sancti, de qua Psalmographus. *Apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen.* Sic disponit omnia suauiter sapientia illa increata. Per stellam traxit ad se magnos astrorum contemplationi deditos, Per Angelum in Christi natali visum, Pastores Bethleemitas per capturam piscium Apostolos piscatores, per scripturarum & legis improbationem ad se pellexit legis peritos & Iudęorum Doctores. Per sanitatum munera & varia miracula Turbas simplices & rudes, per familiarem conuictum ac conuersationem captabat Publicanos & peccatores. Per aquam fontis Iacob deduxit ad integram verę religionis notitiam, & proprię conscientię retectionem, atque in melius reformationem Samaritidem istam. Et denique per signum victorię, crucem videlicet in aëre coruscantem ac refulgentem, cum hac inscriptione, *ἐν τούτῳ νίκα, in hoc* vince ad Christianismi professionem & susceptionem, armatum iam ad bellum pertraxit Imperatorem Constantinum magnum. Nec prętermittam quomodo per solis in Christi morte prodigiosum deliquium mirabilémque Ecclypsim Areopagitam Dionysium, ad Christianę religionis indagationem, & Athenienses aliquot Philosophos permouit.

Forsi

Forsitan petiisses & id dicitur, vt liberum hominis significetur arbitrium, non addit autem, Forsitan dedisset tibi aquam viuam: sed categoricè & absolutè exclusa quacumque dubitationis particula. *Dedisset*, ait, *aquam viuam tibi.* Idque iuxta vulgatam editionem latinam, (cuius in Ecclesia maximæ authoritatis est vsus) *Fidelis est Deus qui seipsum negare non potest* ait Apostolus. 2. Timot. 2. Petenda sunt dona Dei Sap. 7. *Optaui & datus est mihi sensus, inuocaui & venit in me spiritus sapientiæ.* Luc. 1. *Esurientes, impleuit bonis, & diuites dimisit inanes, clamabat Christus* Ioã. 7. *Si quis sitit veniat ad me & bibat, hoc autem dixit de Spiritu, quẽ accepturi erãt in eum.* Iac. 1. *Si quis indiget sapientia postulet à Deo:* & Christus hortatur, *petite & accipietis.* Petentis negligentia reprehenditur, cum de dantis liberalitate ac munificentia non dubitatur, ait quidam celeberrimus doctor. Vt vulgatum est apud nos prouerbium. (*La chose vault bien peu, si elle ne vault le demander.* Omnis sublata est excusatio. Ne dixeris non potui continere, Si petiisses dedisset tibi dominus gratiam continentiæ. Sap. 8. *Vt sciui quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum, adij Dominum & deprecatus sum illum.* Apostol. Philip. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Et D. Augustinus to. 1. libr. 10. Confessionum cap. 31. Conforta me vt omnia possim. Da quod iubes, & iube quod vis. Ne pigriteris ergo petere, & obtinebis aquam viuam, quæ nunc est Spiritus sancti gratia, in patria autem erit gloria & vita æterna beata. Viuam verò dicit aquam, expositore Euthymio huius loci quasi perennem sempérque motam. Aquæ enim vita fluere est ac moueri. Ibíque subditur. Dicit autem Chrysostomus aquam viuam, diuini spiritus gratiam: Siquidem variis modis hunc ait appellari, iuxta diuersas ipsius operationes, nunc aquam, nunc ignem: Aquam quidem, quia sicut aqua de cœlo descendens, nutrit ac viuificat, quúmque vnius sit speciei, vario modo operatur: dealbans in lilio, rubricans in Rosa, purpurissans in viola, dulcorans in ficu, amaricans in absynthio, ita diuinus quoq; spiritus de cœlo descendens, nutrit ac viuificat animã, quumq; vnus sit, variis operationibus gratiam diuidit ac virtutẽ. Ignis quoque dicitur: quia sicut ignis quum vnius sit speciei, varios habet effectus, calefaciens, inflammans, illuminãs, & purificans: Ita sanè & diuinus spiritus. hęc ibi.

2. Tim. 2. Sap. 7. Luc. 1. Ioan. 7. Iac. 1. Sap. 8. Philp. 4. D. Aug. to. 1. libr. 10. conf. c. 31. Euthy. in Ioan. D. Chrisostom. in Ioan.

Domine neque in quo haurias habes, & puteus alius est. &c. Euthymius sic interpretatur. Dominũ vocat eum, putans magnum aliquem esse: audierat namque dicentem, Si scires quis sit qui dicet tibi: Da mihi bibere ideò statim tali ipsum honorat appellatione, & cum omni mansuetudine reliqua proloquitur. *Neque in quo haurias habes*, inquit, Vides ingenium carnalis hominis. Benè dixit Apostolus. 1. Corint. 2. *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi* Sic Nichodemus. Ioan. 3. *Quomodo potest homo renasci cum sit senex?* & Iudæi, de templo, Christo obiecerunt. Ioan. 2. *Quadraginta sex annis ædificatũ est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Capernaitæ etiã ex incredulitate dixerunt Ioan. 6. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Ista nullam aliam quàm materialem & corporalem somniat aquã, nec cœlestem illam apprehendit de qua in sequentibus dominus: *Qui biberit ex aqua quam ego dedero ei &c.* Mulieri stulta videtur Christi promissio, quia careat situla & fune vnde hauriat, quasi verò sine vase & fune nõ posset etiam si vellet haurire, qui est omnipotens: & qui de asini maxilla, & qui de petra etiã percussa, Mosis virga, fluenta protulit, vt Sampson, & Israëliticus reficeretur populus, sicuti sacræ narrant historiæ. Legitur in vitis patrum & narratur ex illis in speculo exemplorum distinctione 2. §. 38. ad hunc modum. Quidam de sanctis senioribus misit discipulum suum ad hauriendam aquam. Oblitus est autem tollere funem discipulus eius, quo hauriret aquam. Cúmque peruenisset ad puteum contristatus est valdè, & quia longè erat cella eorum, quid ageret, quò se verteret nesciebat. Dubitabat enim ad cellam reuerti. Tunc anxius nimis prostrauit se in orationem cum lachrimis dicens Domine miserere mei, secundum magnam misericordiam tuam, qui fecisti cœlum & terram mare & omnia quæ in eis sunt, qui facis mirabilia magna solus, miserere mihi propter seruum tuum qui misit me. Et cùm surrexisset ab oratione, exclamauit. O Putee putee misit me seruus Christi abbas meus, vt hauriam aquam. Statim autem ascendit aqua sursum ad os putei. Et cùm implesset lagenam suam frater abscessit, glorificans potentiam domini saluatoris. Aqua autem putei reuersa est ad locum suum. Qui hanc gratiam contulit seruis suis, an non pro se id maximè efficere potuit? haud dubie. Sed in operibus Dei

Euthymius in Ioan.

1. Cor.
Ioan. 3.
Ioan. 2.
Ioan. 6.

Vitæ patrũ. Specul. exẽplorum dist. 2. §. 38.

ceeu

cecutit ratio humana nec conſiderat quia *potens eſt Deus omnia facere ſuperabundanter quàm petimus aut intelligimus.* Epheſ.3. Errant hæretici cùm à rebus naturalibus & phy- *Epheſ.3.* ſicis contra fidem ratiocinantur, vt verbi cauſſa, quomodo poteſt, inquiunt, corpus Chriſti eſſe in ſacramento, cùm à cœlo in terram tantum ſit interſtitium, tantáve diſtantia: Quaſi verò, locorum intercapedo, irritum poſſit facere domini verbum. *Hoc eſt corpus meum.* Quaſi verum non eſſet quod in Liturgiis ſanctorum Baſilij & Chryſo- *Liturgia.* ſtomi ſcribitur: Qui cum patre ſurſum ſedes & hìc nobiſcum inuiſibiliter verſaris, Sed de hoc aliâs fuſius, cum ſe locus obtulerit *σὺν θεῷ* dicturi ſumus. Benè antiquiſſimus ſcriptor Tertullianus, de præſcriptionibus aduerſus hære- *Tertullianus de* ticos dixit: Ipſæ hæreſes à philoſophia ſubornantur, hoc *præſcrip.* eſt, Scholiaſte Domino Quintino, quadantenus ornantur, *cont. haret. Quintin⁹.* inſtruuntur, apparantur. Idem Tertullianus ſcribens ad- *Tertull. ad-* uerſus Hermogenem, vocat Philoſophos patriarchas hæ- *uerſus* reticorum. Hæreticorum patriarchæ, inquit, Philoſophi *Hermo-* in Epiſtola ad Cteſiphonem aduerſus Pelagianos. D. Hie- *genem.* ronymus tom. 2. Epiſtolarum circa principium epiſtolæ hunc Tertulliani locum citat his verbis. Pulchrè quidam noſtrorum ait: Philoſophi patriarchæ hæreticorum, eccleſiæ puritatem peruerſa maculauêre doctrina. Idem Hie- *D. Hier.* ronymus in Nahum prophetam cap.3. ad verba, exiluit *Epiſt.to.* quaſi attelabus, &c. Conſideremus ait, Eccleſiæ multi- *2.aduer.* plices hæreſes & videbimus attelabum, à terra ſe paulu- *Pelagia-* lum ſubleuantem & locuſtam volantem quidem, ſed non *nos.Hie-* pleno curſu: Attelabus enim modicas aſſumit alas & cùm *rony. in* in altum volare non poſſit, tamen de terra exilire nititur, *Nahum.* & tandem perueniens in locuſtam, volitat quidem, ſed *cap.3.* non eſt perpetuus volatus eius, deficientibus enim pennulis, & contractis frigore etiam locuſta conſidet, in ſpinoſis ſepibus. Omnia enim dogmata hæreticorum cùm frigeāt, & volare non poſſint, ſedem ſibi & requiem inter Ariſtotelis & Chryſippi ſpineta reperiunt. Inde Eunomius profert: Quod natum eſt, non fuit antequam naſceretur. Et vt ſimul breui cuncta concludam ſermone: de illis fontibus vniuerſa dogmata argumentationum ſuarum riuulos trahunt. Hæc ille.

Sed ne faceſſere cuipiam negotium ac lectorem remorari poſſit attelabi vocabulum. Proferam quod de attela- *Plin. lib.* bis Plinius lib.29.c.4. breuiter & dilucidè ſcripſit ad hunc *29.c.4.* modum.

modum. Locustarum minimæ sine pennis, quos attelabos vocant. Euadit ergo clarissimum, attelabum esse locustæ speciem sine pennis vel modicas habentem alas, vt author est D. Hieronymus. Maximos quosque Philosophos, maximos hæreticos esse solere prouerbio dici solet & distinct. 37. c. Omnem vim. Dicit Vrbanus Papa ad Carolum referente Gratiano. Omnem vim inuentorum suorum in Dialectica disputatione ponunt hæretici. Ob eam causam monebat Col. 2. Apostolus. *Videte ne quis circumueniat vos per Philosophiam & inanem seductionem.* Omnes hæreses, inquit, Tertullianus aduersus Marcionem li. 5. de epistola ad Collossenses, ex subtiloquentiæ viribus, & philosophiæ regulis constant. Siquidem dum volunt omnes fidei articulos reuocare ad examẽ rationis, & scripturas ad sensum, cogitationésque suas accommodare, labũtur in teterrimos errores, Philosophia vna animantur & armantur hæreses, contra fidem Christianam, vt patet in argumentis Sacramentariorum, quòd idem corpus non possit simul esse in variis locis. Sic, vt ad propositum redeat oratio. Samaritana obijcit: *Neque in quo haurias habes & puteus altus est, Vnde ergo habes aquam viuam?*

Decretũ. *Coll. 2.* *Tertull. li. 5. cont. Marci.*

Non leuiter pertransibo elegans istud dictum: Puteus altus est quod licet de profunditate putei Iacob intelligatur, scitè tamen & valdè appositè de puteo scripturæ sanctæ exponitur. Sanctus pater Maximus confessor atque martyr Centuria. 2. numero 29. Puteus, inquit, Iacob est scriptura: Aqua verò, est scientia scripturę: profunditas autem: obscuræ dictorum scripturæ interpretatu difficilis positio. At situla, est quæ per literas diuini verbi habetur disciplina. Quam Dominus non habebat, cùm sit per se verbum, qui præbet credentibus, non eam quæ discendo, & exercitatione comparatur, scientiam: sed confert dignis è spiritali gratia perpetuò fluentẽ, & quę nunquam desinit, Sapientiam. Nam situla, hoc est, disciplina cum partem aliquantulam sciẽtiæ fuerit adepta, reliquum omne prætermittit, vt pote quæ nullo sermone comprehendatur: scientia verò quę datur per gratiam, vniuersum continet ac citra exercitationem) quæ hominibus obuenire possit sapientiam, pro necessitatibus variè scaturientem. Sic ille. Putei ergo nomine sacra pagina intelligitur. Est enim scriptura diuinitus inspirata *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium; quæ fluunt impetu de libano.* Cantic. 4.

Quanta

Quanta est profunditas & difficultas scripturarum? Et vt de scriptis. D. Pauli commemorat Apostolorum princeps 2.Pet.3. *In illis sunt quadam difficilia intellectu, qua indocti & instabiles deprauant.* De Ioannis Euangelio notum est illud, à sancto Hieronymo epistola ad Paulinum presbyterum de omnibus diuinæ historiæ libris elogium: Hoc doctus Plato nesciuit, hoc Demosthenes eloquens ignorauit. *Hieron. ad Paulinum.* Christus Iudæos alloquens Ioan.5. *Scrutamini*, dicebat *scripturas*, Apoc. 5. *Liber septem sigillis signatus*, propheticè describitur. Qui scripturam adumbrabat, quæ est, vt Cant.4. dicitur. *Fons signatus si dederis homini scienti literas vt legat, Respondebit*, sicut Isayæ. 29. Habetur, *Non possim. Signatus est enim*, Sanctus Eunuchus cùm legeret Isayã interrogatus à Philippo. Act. 8. *Putasne intelligis qua legis? Respondit: Quomodo possum, nisi aliquis me docuerit? Christus autem habet clauem Dauid.* Apoc.3. *Qui discipulis aperuit sensum, vt intelligerent scripturas.* Luc.24. Interpretabatúrque illis prophetarum obscura vaticinia. Etenim teste, D. Petro 2.Pet. 1. *Prophetia scriptura propria interpretatione non fit.* Hoc ipsum est quod hîc dicitur. *Puteus altus est.* *Cant. 4. Isaya.29 Act.8. Apoc.3. Luc.24. 2.Pet.1.* Quàm obscuri sunt libri Geneseos, Ezechielis, Canticorum & Apocalypseos, inter alios sacrorum Bibliorum? D. Hieronymus epistola ad Paulinum præallegata, Ezechiel, inquit, principia & finem tantis habet obscuritatibus inuoluta, vt apud Hebræos istæ partes cum exordio Geneseos ante annos triginta non legãtur. *D. Hierony. Epistola ad Paulinũ.* Apocalypsis autem Ioannis tot habet sacramenta quot verba. Inque verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. De Canticis verò Salomonis habetur inter Origenis opera in prologo super Cantica. Aiunt obseruari etiam apud Hebræos quòd nisi quis ad ætatem perfectam maturámque peruenerit, libellum hunc ne quidem in manibus tenere permittatur. *Origen. prologo super Cãtica 2.* Quatuor item ista ad vltimum apud eos obseruari, id est principium Genesis, in quo mundi creatio describitur, & Ezechielis prophetæ principia, in quibus de Cherubim refertur, & finem in quo templi ædificatio continetur & hunc Cantici canticorum librum, hucusque Origenes. Tria sunt creditu difficilia, personarum Trinitas, Verbi diuini incarnatio, seu Virginis partus, & diuina Eucharistia. Tria item sunt factu haudquaquam facilia. Ne in otiosis quidem verbis peccare, Matth.12. *de omni verbo otioso reddent homines rationem in die iudicij*, Sua omnia confiteri *Matt.12*

fiteri peccata ſacerdoti,quod quibuſdam grauiſſimum videri poſſit iugum, Inimicos inſuper propter Chriſtum di-
2.Cor.12 ligere. Sed, vt refert Apoſtolus, 1.Corint.13. *Charitas omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Nunc ad ſequentia progrediamur.

Theoph. *Nunquid tu maior es patre noſtro Iacob?* Theophylactus ibidem. Patrem ſuum facit Iacob ſe intrudens in nobilita-
Euthym. tem Iudaicam.Samaritani,teſte Euthymio in hunc locum, etiam quum iam Samariam in patriam poſſiderent, Iacob quoque patrem ſuum appellabant,tanquam iam olim poſſeſſorem ac patrem huius ipſorum patriæ: & hinc ſeſe intrudebant in generoſam Iudæorum generationem. Num tu es maior Iacob, qui dedit nobis puteum hunc tam celebrem,vt meliorem poſſis dare aquam,ad ipſius putei laudem dictum eſt quod ipſe ex eo bibit & filij eius. Nam ſi meliorem alium habuiſſet, nequaquam cum tota familia ex hoc bibiſſet. Reliquum eſt igitur, vt ſi poſſis dare meliorem, maior ſis Iacob. Dominus quidem, inquit Theophylactus, manifeſtè non dicit, Profectò maior ſum, vt non videatur arrogans eſſe, quum nondum aliquod ſpecimen ſuæ virtutis exhibuiſſet: Hoc tamen parat per ea quæ ſubijcit.

Luc. 26. *Qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum, Qui autem biberit, ex aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ, &c.* Atque ita ſi miraris Iacob, qui dedit aquam talem, multo magis admirari oportet eum, qui præbet longè meliorem aquam. Sic præſtantiorem ſe ab his quæ dixit, Dominus intulit. Nam, inquit, Euthymius, differentia aquarum differentiam infert præbentium illas, quum naturaliter aqua illa conſumetur, hæc autem perpetuò maneat. Verùm latinè expendamus hoc proloquium.

*Qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum.*Luc.16.Diues auarus, quam habebat ſitim viuens ſecum detulit moriens,& ideò guttã aquæ depoſcebat:humanus appetitus creatura quali-bet non ſatiatur,nec expletur:inquietum eſt cor noſtrum
D. Aug. Domine donec quieſcat in te,Clamat Sanctus pater Augu-
to. 1.li.1. ſtinus to.1.lib.1.Confeſſionũ c.1.*Tunc ſatiabor,*inquit, Pſal-
confeſſ. tes regius,*cum apparuerit gloria tua,&c.*Non ſatiatur ambi-
lib.1. tio,qui ex ea biberit ſitiet iterum. Patet in Alexandro ma-
Iuuenal. gno,De quo Satyrographus Iuuenalis Satyra decima.
Saty. 10. *Vnus Pelleo iuueni non ſufficit orbis*
Æſtuat infœlix anguſto limite mundi.

Valerius

Valerius lib. 8. c.14. de cupiditate gloriæ scribit de Alexandro rege quòd pectus eius erat insatiabile laudis, qui Anaxarcho ex authoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referenti, Heu me, inquit, miserum, quòd ne vno quidem adhuc potitus sum. Idem planè scribit de eo Plutarchus to.2. opusculorum, de tranquillitate animi circa principium, Alexander, inquiens, cum audiret Anaxarchum mundos esse infinitos disserentem, illachrymasse dicitur: percontantibúsque amicis. Ecquid lachrymis dignum ei contigisset, An indignum est, inquit, nos flere, si quum infiniti mundi esse dicantur, haud dum vnius domini facti sumus? *Non expletur Auarus pecunia*, inquit Ecclesiastes. cap. 5. Sed qui biberit ex hac aqua sitiet iterum: hinc apud Stobeum sermo. 10. de iniustitia, Diogenes auaros hydropicis comparabat. Quò plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ, ait decantatus versiculus: & poëta Iuuenalis Satyr.14. *Valerius li.8.c.14.* *Plutarchus to.2 opuscul. de tranquil.animi.* *Eccles.5.* *Stobeus ser.10.* *Iuuenalis Satyr. 14.*

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Auaritia in senibus iuuenescit, ait quidam. Horatius li. 3.carminum, ode 24. *Horat.lib.3. car. ode 24.*

Scilicet improba. Crescunt diuitiæ tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

Habet Sexti Ruffi Epitome ad Valentinianum Augustum de historia Romanorum, de Mar. Crasso viro cupidissimo: Caput eius resectũ est, atque ita ludibrio habitum vt faucibus eius aurũ liquefactum infunderetur, scilicet vt qui cupiditate prædãdi exarserat, eius reliquias auri flamma, combureret. De eodem in gestis Romanorum Lucius Florus lib.3.c.11. Aurum liquidum, scribit, in rictum oris infusum est, Vt cuius animus arserat auri cupiditate, eius etiam mortuum & exangue corpus auro vreretur. Hactenus de Crasso, cui sic insultatum est, cum hac exprobratione cupiditatis & auaritiæ: Satia te auro, qui aurum sitisti cuiusque insatiabilis semper fuisti, Aurum bibe qui aurum sitisti sed heu quot reperiuntur Crassi hodie? *Sextus Ruffus hist.* *Florus hist.lib. 3.c.11.*

Luxuria olla est succensa, Manétque insatiata libido qui biberit ex hac aqua sitiet iterum, testatur Iuuenalis Satyra 6.de Messalini Claudij vxore meretrice Augusta. *Iuuenalis Satyra 6.*

Et lassata viris, nondum satiata recessit

Os vuluæ insatiabile, nunquã dicit, sufficit. Prouerb.30. Clarum euadit in hac Samaritide quæ tametsi quinque viros habuisset apud se tamen scortatorem detinebat, cum quo *Prou.30.*

volupta

voluptariam degebat vitam. Aduerte etiam quòd hæreticorum doctrina non satiat, sed sitim perpetuúmque cruciatum relinquit. *Semper discentes*, ait Apostolus, *& nunquam ad veritatis scientiam peruenientes.* Vera autem & Catholica doctrina satiat, in eáque animus Christiani & Catholici viri conquiescit, Hierem. 2. *Duo mala fecit populus meus, Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Est Gula insatiabilis qui biberit ex hac aqua sitiet iterum. *Nam venter impiorum insaturabilis.* Prouer. 13. Plutarchus tom. 1. Opusculorum in Apophthegmatib⁹ Roma. de Catone maiore. Quàm difficile est verba facere ventri aures non habenti. Valerius max. lib. 9. cap. 1. de luxuria, Xerxes, inquit, eoúsque luxuria gaudebat, vt edicto præmium ei proponeret, qui nouum voluptatis genus reperisset. Qua de re Cicero Tuscul. quæst. lib. 5. scribit. Xerxes non infinito pondere anni contẽtus, præmium proposuit qui inuenisset nouam voluptatem. Qua ipse inuenta, non fuit contentus. Neque enim vnquam finem inueniet libido. Benè ergo dicitur qui biberit ex hac aqua sitiet iterum. Sed de his aliàs dictum est. Reliqua igitur prosequamur.

Hiere. 2. *Prou. 13.* *Pluta. to. 1. Opusc. in Apophtheg. Rom.*

Domine da mihi hanc aquam vt non sitiam, &c. Hunc locũ elegãter explicat Euthymius his verbis Paulatim ad dogmatum celsitudinem prouehitur. Ab aquæ enim quã tribuit præstantia, hunc esse maiorem Iacob credit, quodque excellentioris naturæ aquã tribuit, intelligit: nondum tamẽ perfectè cognoscit, aut quis sit qui hũc donet, aut quid illa sit aqua, percipit: suspicatur tamen id quod datur tale quippiã esse, quod sitim hãc sensibilẽ perimat. Non est ergo leuis hæc mulier: neq; enim vtcúmque suscepit ea quæ dicebãtur, sed post lõgã interrogationẽ: neq; rursum incredula ac cõtentiosa. Hæc ille. Quã cõtrario modo se gessit prima illa mulier à serpente seducta, quæ illius blanditiis mendaciisq;, heu, nimiũ credula fuit, & statim dicenti, Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dij, assensum præbuit. hæc autẽ crebrò interrogat, *Nũquid tu maior es patre nostro? Vnde habes hanc aquã?* & interim aquã audiens viuã, rarã, & ab alia visibili, longè lateq; differentẽ, quæ hominẽ salire faciat in vitã æternã, eiusque sitim omnino perimat & sedet ac extinguat, ad eam suspirat, illámque summis votis, ardentibúsq; precibus postulat, dicens, *Da mihi hanc aquã.*
Ioan. 6. Atqui Iudæis dixit Christus Ioan. 6. *Qui credit in me nõ sitiet in æter*

in æternum: Illi autem non solum non crediderunt, sed & offendiculum ex eo passi sunt, hæc autem, ait Theophylactus huius loci interpres, affirmante Christo se daturum aquam quæ sitim expleat integrè ac perfectè, assensit & credidit, incipítque cõtemnere etiam fontem Iacob. Nam dicit, Si talem aquã habes da mihi, & non vltra veniam huc ad hauriendũ. Vides quod prætulerit ipsi Iacob dominum. Hæc ibi videtur tamen adhuc carnaliter affecta, hac nimirum intentione eóque intuitu aquã hanc expetens, ne scilicet laboret amplius, ad puteum veniens haustum aquam vulgarem, hoc nimirum onere vellet se leuatã. refugit caro laborẽ dicens cum Samaritana, *Neque veniã huc haurire.* Quorsum tanto itineris labore frustra defatigor? Sic in vitis patrum refertur de quodã, & habetur in speculo exemplorum distinctione 2. §. 115. Senex quidam sedebat in eremo, qui longè habebat aquam à cella sua per 12. miliaria. Vbi dum semel iret haurire aquam defecit, & dixit. Quid necesse est vt hũc laborem patiar? Veniam & habitabo circa aquam hanc. Et cum hoc dixisset conuersus est, & vidit quendam sequentem se & numerãtem vestigia sua. Interrogauit autem eum dicens, Quis es tu? Et dixit, Angelus domini sum, & missus sum numerare vestigia tua, & dare tibi mercedem. Quod dum audisset senex, forti animo factus est promptior & adhuc longius posuit cellam suam ab illa aqua quinque milliaribus. Ex quo patet non refugiendum esse laborem, quin potius ad vitandũ otium animæ inimicum (vt in sua regula Diuus patriarcha noster Franciscus monet) suscipiendum esse, Et cum Apostolo dicamus: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo &c.* Obserua etiam quomodo præ aqua illa adeo eximia & singulari, puteum & fontẽ Iacob contemnit. Nam desipiunt omnia & velut purgamenta reputantur temporalia omnia, in comparatione ad æterna & spiritualia. Paulus, *omnia arbitratur vt stercora, vt Christum lucrifaciat. Gustate & videte quoniam suauis est dominus,* Hortatur diuinus psaltes. Gustato spiritu caro desipit, ait quidam venerandus doctor, Nihil sapit iam nostræ Samaritanæ aqua fontis, præ desiderio aquæ Spiritus sancti, quæ ad mẽtem non autem ad corpus pertinet ac refertur. Ideóque relicta hydria sua quam ad puteum Iacob impleuerat, aqua sapientiæ salutaris potata, ad huius aquæ viuentis & salientis in vitam æternã perceptionem ac cõmunicationem, conciues suos cõuocauit,

Theophy. in Ioan.

Vitæ patrũ, Speculum exemplorum dist. 2. §. 115.

Regula B. Francisci.

vt sub finem Euangelij dicitur. Et sicuti in transfigurationis historia, de Petro dicitur, quod delibata maiestatis & gloriæ vultus dominici dulcedine, veluti absorptus à gloria exclamauerit. *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula*, sic & hęc mulier modo, aquā Christi exoptat, fastidiēs, & nihili reputās aquā Iacob, cuius antea adeò fuerat auida & cupida. Et veluti Clitorius fons vinū in odium adducit: dicēte metamorphoseōn li.15. elegātissimo poëta.

Ouid. lib. 15. Metamor.

Clitorio quicumque sitim de fonte leuarit:
Vina fugit: gaudetque meris abstemius vndis.

Sic fons Christi ea præditus est energia, vt quicumque ex eo semel hauserit, negligat puteos ad fontes terrenos, vináque voluptatis carnalis & delectationis fugiat. Quod patuit in peccatrice conuersa, in adultera à Christo absoluta, in Samaritide ista ab eodem plenè edocta, in Chananæa per Christum exaudita. Dicat & fidelis anima gemebunda, Domine da mihi hanc aquam vt non sitiam: hanc, inquam, non sensibilem, sed intelligibilem, non corporalem sed spiritualem, Spiritussancti nimirum gratiam veram & ex animo ab errore conuersionem, Iustificationem quam etiam in processu tuum voca cibum dicens, *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Conuerte nos De⁹ salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis, &c.

Euthymius in Ioannē.

Voca virum tuum, &c. Atqui nouerat, inquit Euthymius, eam virum legitimum nō habere, vt pote omnium sciens: id tamen volebat ipsam dicere, vt apprehensa occasione, quæ circa eam acciderant prophetaret, ipsamque corrigeret, semotis (quod dici solet) arbitris. Abierant siquidem discipuli in ciuitatem, quibus absentibus, captat Christus opportunitatem pristinum eius detegendi statum, sic enim correctionem fieri fraternam oportere idem docuit *inter te*, inquiens *& ipsum solum*. Exigit Dominus confessionem vt det gratiam, ad conscientiam pulsat, sibi vult aperiri. Vt in Apocal. cap. 3. testatur. *Ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo.* Sic Gen. 3. *Adam vbi es?* & c. 4. *Vbi est Abel frater tuus?* Vt verò quis aquam Christi accipiat, vocet virum necesse est, adhibeat rationem, portionem animi superiorē (sic enim loquuntur Theologi) hæc nāque viri nomine non immerito intelligitur. Siquidē vir à virtute aut certè à viro virtus dicitur, sicut mulier à mollitiis, quæ portionem inferiorē designat.

Apoca. 3. Genes. 3. cap. 4.

Respondit mulier non habeo virum, vt se defendat, dicit.

Non

Non habeo virum, inquit Theophyl. & putans simpliciter cum homine loqui occultata rei turpitudine, fallere eum conabatur, exponit Euthym. Ingenium carnis hic depingitur. Non facilè se ream agnoscit, sed scelare nititur commissum, vt patet in primo homine sese abscondente à facie Domini. Quod pertractans Dorotheus sanctus serm. de obedientia & submissione propriæ voluntatis (quæ in ordine primus est(sic scribit, *Adam vbi es?* ac si diceret, à quãta gloria ad quantam miseriam & ignominiam delapsus es? Necnon interrogat eũ deinceps. Vt quid peccasti? Excitans eum videret, Ignosce mihi domine. Sed nullibi est ignosce domine, imò contrariũ potius. Nam ex aduerso respõdet. *Mulier quam dedisti mihi.* Non dicit vxor mea decepit me, sed quam dedisti mihi, ac si diceret, Calamitas ista, quam in caput meum induxisti, vxor scilicet fuit in causa. Sicque nõ seipsum accusat, sed aliũ, imò Deum ipsum incusat. Inde ad mulierẽ ipsam pergit & ait illi, cur & tu præceptum meum non seruasti? ac si apertè diceret: Dic & tu ignosce mihi domine, vt humilitate demissus animus misericordiã cõsequeretur. Et tamen nusquã ignosce Domine, canitur. Respõdit & ipsa, Serpens decepit me, tanquam diceret, hic peccauit. Ego quid cõmerui? Quid agitis miseri? Quid infelices tergiuersamini? Resipiscite. Misereat vos nuditatis vestræ. Animaduertite, quæso ingenuè quo nostra progressa est proteruia atque rebellio. En quam multa incurrim⁹ mala, dum iustificare nosipsos volum⁹. Huc vsque S. Dorotheus. *Bene dixisti.* Quinque enim viros habuisti, &c. Valdè placet domino, qui veritatem nudè ac ingenuè profitetur Psal. 50. *Ecce enim veritatẽ dilexisti,* Veritatis simplex est oratio quod citatur à Seneca epistolarũ lib. 6. epist. 50. sub finẽ. Nam (vt ille ait Tragicus) Veritatis simplex oratio est. Ideóque illã implicare nõ oportet: Quisnã verò sic Tragicus ille, indicat in Chiliadib. Erasm. Chil. 1. Cẽt. 3. ad 88. hoc enim adagium extat in Phœnissis Euripid. ad hũc modum.

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. id est,

Simplex oratio & sermo veritatis est. Narrat Stob. ser. 42. quod pueri inter Persas verũ loqui discũt, ceu disciplinas.

Quinque viros habuisti, Euthymius, Eam, inquit, arguit, ad amussim omnino manifestos ac legitimos eius viros enumerans, & eum qui nunc occultus erat ac illegitimus manifestans. Nã quinque viros palam & successiuè habuerat, siquidem hoc permissum erat: quinto autẽ mortuo, nullus

Theophy. & Euthym. in Ioan. c. 4.

Doroth. serm. de obedientia.

Psal 50.

Seneca lib. 6. epist. 50.

Erasmus in Chili.

Euripides.

Stobæus serm. 42.

Euthymius in Ioannẽ.

eam manifestè in vxorem accipere voluit, ipsa verò nō ferens concupiscentiam, sibi occultè coniunctum habebat. Quáuis polygamia, seu secūdæ & tertiæ nuptiæ successiuè non improbentur, aut prohibeantur Christianis scribente Apostolo 1. Timoth.5.de viduis: Volo iuniores nubere, filios procreare,matresfamilias esse,nullam occasionē dare aduersario maledicti gratia:interim tamen præfertur monogamia seu matrimonium semel tātum susceptum. Hinc Valerius lib.2.c.1.de matrimoniorum ritu.Quæ,inquit,vno contentæ matrimonio fuerant,corona pudicitiæ honorabantur? Existimabant enim eum præcipuè matronæ syncera fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile pudicum,egredi nesciret:Multorum matrimoniorum experientiam,quasi illegitimę cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes.Ideóque D.Hieron.to.1.epistolarum epist.ad Gerontiam viduam de monogamia,eam dehortatur à digamia,hoc est,secūdis nuptiis.Quid igitur? Damnamus secūda matrimonia?Minimè,sed prima laudamus, Abiicimus de Ecclesia Digamos? Absit sed monogamos ad continentiam prouocamus. Rem dicturus sum incredibilē, sed multorum testimoniis approbabo. Ante annos plurimos cum in chartis Ecclesiasticis iuuarem Damasum Romanæ vrbis episcopum,& orientis,atque occidentis synodicis cōsultationibus responderem: Vidi duo intra se paria,vilissimorum è plebe hominum comparata, vnum qui viginti sepelisset vxores, alteram quæ vicesimum secundum habuisset maritum,extremo sibi,vt ipsi putabant, matrimonio copulatos.Summa omnium expectatio,virorum pariter ac fœminarum post tantas rudes,(rude donati, videri poterant, libertate toties reddita, mortua vxore seu marito)quis quem prius efferret, Vicit maritus, & totius vrbis populo confluente, coronatus & palmam tenens, adoreámque, (veteres gloriam seu victoriam ita vocabant)per singulos sibi acclamātes, vxoris multinubæ feretrum præcedebat. Quid dicemus tali mulieri? Nempe illud quod Dominus Samaritanæ: Viginti duos habuisti maritos, & iste à quo sepelieris non est tuus. Itaque obsecro te religiosa in Christo filia, vt testimonia ista potius lectites, quibus pudicitia coronatur. Hæc Hieronymus. Scribit conformiter Athenæus Dipnosophistarum lib.13.cap.22.mulierem Thargeliam Milesiam,quatuordecim viris nupsisse cùm & forma esset omnino perpulchra & sapiens,

Valerius lib.2.c.1.

D. Hier. to.1.epist. de monogamia ad Gerentiam.

& ſapiẽs, velut teſtatur Hippias Sophiſta: hæc ibi, in Euangelio quoque proponitur quædam mulier. Matth. 22. Quæ ſeptem fratribus ſucceſſiuè nupſerit: Nouiſſimè autem omnium, & mulier defuncta eſt: Apud Thobiam cap. 3. deſcribitur etiam Sara filia Raguelis, quæ tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium eos, mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam interimebat. Nota de Iudith. cap. 15. Laudatur ipſa *eo quòd caſtitatem amauerit, & poſt virum ſuum, alterum neſcierit, & ideò erit benedicta in æternum.* Anna prophetiſſa. Luc. 2. hoc nomine valdè commendatur, quia vidua manſerit vſque ad annos octoginta quatuor. & 1. Corinth. 7. ponitur apoſtoli conſilium. *Si dormierit vir eius liberata eſt à lege viri: cui vult nubat, tantum in domino. Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium. Puto autem quòd & ego ſpiritum Dei habeam.* D. Hieronymus tom. 2. epiſtolarum lib. 1. aduerſus Iouinianum circa finem, profert aliquot exempla Romanarum: Portia minor, inquit, cùm laudaretur apud eam quædam benè morata, quæ ſecundum habebat maritum? Reſpondit: Felix & pudica matrona, nunquam præterquàm ſemel nubit. Valeria Meſſalarum ſoror, amiſſo Seruio viro, nulli volebat nubere. Quæ interrogata cur hoc faceret, ait ſibi ſemper maritum Seruium viuere. Hæc ibi. Turtur ſi parem perdiderit, alteri non iungitur, D. Hieronymus tom. 2. epiſtola. lib. 1. aduerſus Iouinianum circa media, Turtur, inquit, amore pudiciſſima, legamus phyſiologos & reperiemus turturis hanc eſſe naturam, vt ſi parem perdiderit, alteri non iungatur, & intelligemus digamiam etiam à multis auibus reprobari. Digami etiam à ſacris excluduntur, cùm oporteat Epiſcopum, teſte apoſtolo, *vnius vxoris eſſe virum,* hoc eſt, monogamum non autem digamum: finem facio, propoſita antiquiſſimi ſcriptoris Tertulliani ſcilicet, authoritate, cui ſubſcribit D. Hieronymus loco recitato aduerſum Iouinianum, Tertullianus quidem de monogamia ſcribit in hunc modum, Regina Carthaginis, cùm regis nuptias vltrò optaſſe debuiſſet, ne tamen ſecundas eas experiretur nuptias, maluit è contrario vri quàm nubere. Idem de exhortatione ad caſtitatem eandem refert ſententiam. & D. Hieronymus. Dido, ait, ſoror Pygmalionis, in Africa vrbem Carthaginem condidit, & cùm ab Hiarba rege Lybiæ in coniugium peteretur, paulisper diſtulit nuptias, donec conderet ciuitatem. Nec multò poſt,

D. Hieronym. to. 2. epiſt. lib. 1. cõt. Iouin.

Tertulli.

extructa in memoriam mariti quondã Sichæi pyra, maluit ardere, quàm nubere. Rursus tom. 1. epistolarum epist. ad Gerontium, stringam breuiter reginam Carthaginis, ait, quæ magis ardere voluit, quàm Hiarbæ regi nubere. Hactenus illi, ita seueriores illi veteres Christiani quamuis non putarent secundas nuptias illicitas, tamen conabantur dehortari homines ab illis quantum poterant, præferentes monogamiam Polygamiæ, vt quæ pudicitiam maiorem astrueret & indicaret. Non vituperantur etiam quintæ nuptiæ, sed commendatur magis monogamia. *Quem nunc habes non est tuus*, nimirum coniunx legitimus sed scortator, hæc est fornicatio gentium. Non putabant aliqui errore excæcati, simplicem fornicationem esse peccatum, & ideò rescripserunt, apostoli Act. 15. *Vt abstinerent à fornicatione*. Refert Sonnius Modernus Theologus in explicatione Decalogi, Dubitasse nõnullos an simplex fornicatio sit peccatum. Nam vterque liber est & solutus, & quòd fit de vtriusque procedit beneplacito, quid igitur mali cõmiserunt? Respondétque ibidem fusè declarans quæ mala sint in fornicatione. Nam tales corruperunt legitimum vsum generationis, insuper violauerunt ordinem naturæ primitùs institutæ. Tertiò egerunt contra bonum prolis. Quartò peccarunt in proprium corpus, in quibus profectò offendũt multò grauius Christiani quàm Ethnici. Apostolus clamat *fugite fornicationem*. 1. Corint. 6. Vides quàm multa mala sint in fornicatione, maximè Christianorum? Primùm profanatio proprij corporis, quòd consecratum erat in templum Spiritus sancti. Secundò contrectatio rei alienæ inuito Domino, quia nemo est suus, sed Domini, Emptus pretio magno vt seruiat non fornicationi sed Domino. Tertiò dehonestatio membri Christi, vnusquisque enim nostrum per fidem & Baptisma aptatus est in membrum Christi, quando autem se iungit scorto in turpitudine, fit statim impuræ meretricis membrum, hæc itaque mala concurrunt in actu simplicis fornicationis. Repugnare voluntati Dei, nonne malum? *Hæc est autem voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione*. 1. Thessal. 4. Clara est apostoli sententia, *fornicatores & adulteros iudicabit Deus*. Hebr. 13. & rursus. *Neque fornicarij, neque adulteri regnum Dei possidebunt*. 1. Cor. 6.

Domine vt video propheta es. Euthymius sic commentatur,

Act. 15. *Sonnius in explica. Decalogi.* *1. Cor. 6.* *1. The. 4.* *Heb. 13.* *1. Cor. 6.* *Euthymius.*

tur, non indignè tulit quòd manifestè argueretur, neque pro iniuria duxit interpretationem, sed admirata perfectã eius cognitionem, verè prophetam eum esse deprehendit, & exinde nihil mundanum aut temporale cum interrogat, sed statim de dogmatibus. Vides quomodo proficiat: Quem primò Iudæum, deinde Dominum, Prophetam tandem nuncupauit, & Messyam eum esse credidit, talémque agnouit. *Propheta olim dicti videntes.* 1. Regul. 9. quia cognoscebant secreta. 1. *Reg.* 9.

Patres nostri in monte hoc adorauerunt &c. Licet Samaritana esset carne peccatrix, tamen multa bona in se habebat, Ad sanctos Patriarchas reuerentiam se habere ostendebat, Erátque sollicita de quærenda veritate diuini cultus, Tum demum magnam fidem & spem in Christum venturum habebat, ideò Messyas se illi clarè reuelauit. Et quia isti scrupulus erat, meliórne cultus foret Iudæorum an Samaritanorum, rogat idcirco qui hac in re & controuersia tremendum censeat Christus. Obserua pariter mulieris huius prudentiam. Nec enim omnibus ancipitem quæstionem dissoluendam proposuit, sed & quem prophetam esse experta est. Hoc facto nos instruens, doctos ac exercitatos in Theologica viros, de rebus fidei consulere. Quòd D. Irenæus vir Apostolicus lib. 3. cap. 4. contra hæreses sic confirmat. Si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de pręsenti quæstione sumere, quòd certum & re liquidum est? Scribit D. Hieronymus tomo. 1. epistolarum, epist. ad Pammachium, super obitu Paulinæ vxoris consolatione: Fœlices, inquit Fabius, essent artes, si de illis soli artifices iudicarent. Poëtam non potest nosse, nisi qui versum potest struere. Philosophos non intelligit, nisi qui scit dogmatum varietates. Addo insuper, Theologicam controuersiam dirimere non potest, nisi qui in lege & prophetis sacrísque bibliis versatus fuerit, atque instructus, Religionis controuersia à Prophetis olim dicidebatur, vt 3. Reg. 18. temporibus Eliæ & Achab, cùm inter Baalistas & veros Dei auitæque religionis cultores, ortum esset dissidium, totitus negotij pondus, ad verum Dei Prophetam Elyam deuolutum est, & per eũdem ingenti miraculo terminatum decisúmque fuit. Rectè enim dixit Propertius poëta lib. 2. scribens ad Mæcenatem.

D. Iren. li. 3. c. 4. con. hær.

D. Hier. to. 1. epi. ad Pammachiũ

Quintil.

Proper-tius li. 2. *Nauita de ventis,de tauris narrat arator:*
Enumerat,miles,vulnera,pastor oues.

Horati⁹ lib.2 epistol.1. Et Horatius lib.2.epistolarum epi.1.

Quod medicorum est
Promittunt medici,tractant fabrilia fabri,
Scribimus indocti doctique poëmata passim.

Cassiod. lib. 37. c. 36. Huc referas, quòd in tripartita lib.7.cap. 36. memoriæ prodidit Cassiodorus. Quum D. Basilius, cum Valente Imperatore de diuinis sermonem faceret, Demosthenes quidam super epulas constitutus, culpauit eum, Barbarismum committens, ad quem D. Basilius, Tuum est, ait, de pulmentariis cogitare, non dogmata diuina decoquere. Notum est Prouerbium, quòd Plinius lib. 35.cap.10. Plin.libr. 35.c. 10. De Apelle pictore egregio retulit & scriptis commendauit, Ne sutor vltra crepidam. Valerius, libr.8.cap.12. Suæ artis vnumquemque & actorem & disputatorem optimum esse ne dubitemus, inquit. Sed antequàm longiùs progrediamur, prouerbij supra memorati, ex iisdem scriptoribus pandamus originem. Sic autem legitur apud Plinium. Vbi suprà. Apelles perfecta opera proponebat in pergula (gallicè *gallerie ou l'on se pourmeine*, dicitur) transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia quæ notarentur auscultabat, vulgum diligentiorem iudicem, quàm se, præferens, ferúntque à sutore reprehensum, quòd in crepidis vna intus pauciores fecisset ansas, (ansam autem pro fibula quæ calceis insuitur, hìc accipi, nequis hæreat certum est) eodem, postero die, superbo emendatione pristinæ admonitionis cauillante circa crus, indignatum prospexisse, denuntiantem, *ne supra crepidam sutor iudicaret*, quòd & ipsum in prouerbiũ venit. Apud Valerium autem loco præcitato sic proditur. Mirificè & ille artifex, qui in opere suo moneri se à sutore de crepida, & ansulis passus: de crure etiam disputare incipientem, supra plantam ascendere vetuit. An non, Deut.17. apertè pronunciatur & disertè cauetur Deu. 17. his verbis, *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinẽ & sanguinem, causam & causam leprã & non lepram, venies ad sacerdotes Leuitici generis, quarésque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.* Et Malach. 2. Malach.2.ait propheta. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituũ est.*

est? Concludo itaq; in hoc vulgato adagio. *Quàm quisque norit artem in ea se exerceat,* Nec scripturam passim omnes sibi vendicent, quòd deplorat, D. Hieronymus, epistola ad Paulinum his verbis: Sola scripturarũ ars est, quàm sibi passim omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequã discant. Prudenter ergò egit hęc Samaritana, à propheta, quẽ talem esse certissimè deprehenderat, edoceri cupiens, non à vulgari & imperito, reiq; tam arduæ minimè gnaro. Vide autem eiusdem mansuetudinem & patientem facilitatem. Audiens siquidem ab homine peregrino delicta sua, non est irritata, nec dixit, Abi quia Hebræus es & nostræ nationi inimicus, sed ei honorem prophetę detulit, *Ascẽsiones posuit in corde suo* gradatim ad maiora conscendens, *Patres nostri,* inquit, *in monte hoc, Garizim adorauerũt &c.* Habetur Deut. 27. quòd *in monte Garizin sex Patriarchæ benedixerũt populo Dei.* Patres dixit, interprete Euthymio, Iacob & filios eius. Nam Iacob ibi constituit altare & adorauit Deum, vt supra attigimus. Mulier itaque quæstionem proposuit, putans Samaritanorum dogma melius esse quam Iudæorũ, & honoratiorem locum esse montis illius, quam Ierosolyma. Christus verò primum eleuat vtriúsque loci dignitatem, eo quòd breui futurum esset, vt cultus diuinus in vtroque cessaret: Deinde Iudæos præponit, & postmodum diuini cultus dogma manifestat. Prædicítque dissolutionẽ Samaritici simul & Iudaici cultus, quam passi sunt, exterminati post Christi passionem à Romanis.

D. Hier. episto. ad Paul.

Deu. 27.

Euthymius.

A patribus Samaritana ducit argumentum, quod magnam vim in religionis negotio magnúmque momentum, habere solet, *Patres nostri*, ait, *in monte hoc adorauerũt,* à quibus discedere nequaquam conuenit. *Ne transgrediaris,* inquit sapiens. Prouer. 22. *Terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Paulò suprà eadem dixerat Domino. *Nũ tu maior es patre nostro Iacob qui dedit nobis puteũ & ipse ex eo bibit, &c.* Sic & nos Catholici, In re & negotio Religionis disserimus. Patres nostri sic senserunt. Ita credere par est, quum hæc sit fides antiquorum patrum, à quibus ne latum quidem vnguem dissentire oportet. Vulcatius Gallicanus in Amdio Cassio circa principia, Epistola diui Marci ad perfectum suum citatur, Scis, inquit, versum à bono poëta dictum & omnibus frequentatum:

Pro. 22.

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

D. Aug. to.5.libr. de ciuit. Dei.c.21 D.August.tom.5.lib.2.de ciuitate Dei, cap. 21. Hoc de carmine ita perhibet: Ipse Tullius in principio quinti libri (De republica videlicet) commemorat poëtæ Ennij versum: quo dixerat.

Ennius. *Moribus antiquis res stat Romana virisque.*

Quemquidem ille versum, inquit, vel breuitate, vel veritate tanquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur. Nam neque viri, nisi ita morata ciuitas fuisset: neque mores, nisi hi viri præfuissent, aut fundare, aut tandiu tenere potuissent tantam, & tam iuste latéque imperantem rempublicam. Itaque antè nostram memoriam, & mos ipse patrius præstantes viros adhibebat, & veterum morem ac maiorum instituta retinebant excellentes viri. At nostra ætate, de viris quid dicam? Mores enim ipsi interierunt virorum penuria nostris vitiis, Rempub. verbo retinemus reipsa verò iampridem amisimus. Hæc *Viues.* Cicero fatebatur ait ibi Augustinus. Scoliastes Viues ad verbum, Virorum penuria: hoc ponit glossema: idem Salustius in Catilina dicit: Remp. tanquam effœtam iam olim, nullum clarum virum producere. Hactenus ibi. Potest ergo dicere Respublic. nostra Gallicana quod Paralyticus in piscina, Hominem non habeo. Et quod Samaritana, licet alio sensu, Domine non habeo virum. Sed ipsa Salustij verba hic recensenda. fol. 26. statim post orationem. M. Catonis sic scribit. Postquam luxu, atque desidia ciuitas corrupta est, Rursus Respubl. magnitudine sua, Imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat. At velut effœta parentum multis temporibus ac tempestatibus, haud sanè quisquam Romæ virtute magnus fuit, Hæc ille. Obserua autem quod effœta dicitur quæ parere desiit, quasi frequenti partu lassata, quasi diceret Remp. fœtu patrum & parentum patriæ quales maiores & aui fuerunt ac proaui destitutam esse, eneruatam, exhaustam, & lassatam, à similitudine mulierum quas partus debiles reddit illarum enim effœtæ sunt vires ob frequentem partum, effœtum etiam corpus, id est debile & infirmum, *Otho Brũfelsius in c.4. Ioã. vulcati⁹ Gallic.* quia vacuum viribus & eneruatum: sic intelligendus Salustius. Hic verò insurgit, Otho Brunfelsius rei medices doctor, qui annotationes quasdam in 4. Euangelia euulgauit: in quibus, ad ca.4. Ioannis, versans ista verba, *Num tu maior es patre nostro Iacob?* Hoc, inquit, argumentum est

hodie

hodiernum, dum obiectant Samaritani nostri, cum prædi- ,,
catur eis verbum vitæ, Nunquid dicentes, maior es Au- ,,
gustino, Hieronymo, Ambrosio, & reliquis patribus no- ,,
stris? An proferes quippiam recens quod illi nescierunt? ,,
At illi omnes contra te sentiunt. Illi nobis protulerunt ,,
de puteis scripturarum, de fontibus Israël (vt loquitur ,,
vates regius) & biberunt ex eis, sic senserunt & scripse- ,,
runt. Quibus respondere oportet. *Omnis qui biberit ex aqua* ,,
hac, sitiet iterum. Omnis doctrina quæ non est ex Euange- ,,
lio Christi Iesu, vana & stulta est, & satiare non potest. ,,
Hierem. 2. *Et nūc quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam* ,,
turbidam? & quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquā fla- ,,
minis? Eximius locus, ait ille, contra traditiones omnes ho- ,,
minum, quòd illis nemo obligetur. Aqua verò Spiritus ,,
Dei, vbi semel penetrauit cor, nunquam est otiosa, sed ,,
salit perpetuo, & profert fructus suos, rigans vt Apollo, ,,
etiam alia arentia corda, vt fructum plus adferant. Quan- ,,
tum igitur peccant & insaniunt, insani principes & po- ,,
pulus Papistarum, qui cum Palestinis. Gene. 26. *Obstruere* ,,
volunt omnes puteos Dei, & implere humo: Adeò, vt dicant
cum Abimelech: *Recede à nobis.* Hucúsque medicus il-
le. Nota quod Samaritana componebat patrē suum Iacob
contra Christum persuasum habēs (errore decepta) ipsum
suum patrem Christo longè præstantiorem. A quo errore
omnino absunt Catholici, ita patribus deferentes, vt ta-
men cum Christo consentiant, quem omnium supremum
ingenuè agnoscunt: eúmque vt talem humillimè adorant,
frustra igitur cauillatur medicaster, qui dum Theologus
vult videri & haberi, contra decātatum illud prouerbium.
Ne mittas falcem in messem alienam, agit, & hæreticum se,
non autem orthodoxum, palam apertísque verbis prodit,
excurrens in latissimum illum, suique similibus & malè
feriatis hominibus familiarissimum ab iniuriis & calum-
niis, locum, quasi verò, Sanctæ memoriæ, Venerandæque
antiquitatis patres, Augustinus, Ambrosius, Hierony-
mus, Gregorius, &c. huius notæ celeberrimi Ecclesiæ do-
ctores, non ex scripturarum limpidissimis clarissimísque
fontibus, hausissent, sed ex lacunis & cisternis detritis ac
dissipatis, riuulísque turbidis, & limo cœnóq; illitis, quod
hæreticorum est proprium. Tanti viri, scilicet, traditio-
nes & figmenta hominum docuerunt modò, & puteos
aquarum viuentium fluenta nimirum scripturarum ob-
struxerunt

ſtruxerunt implentes humo? Quum memorabile ſit quod de Gregorio Nazianzeno ac Baſilio tradit Eccleſiaſtica hiſtoria Ruffino authore li.11. c.9. Illi in monaſterio per annos (vt aiunt) tredecim, omnibus Græcorum ſæcularium libris remotis, ſolis diuinis ſcripturæ voluminibus operam dabant earúmque intelligentiam, non ex propria præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis & authoritate ſequebantur, quos & ipſos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat. Quorum præcipuè in prophetas Commentarios diſcutientes, theſauros ſapientiæ & ſcientiæ reconditos in vaſis fictilibus perquirebant. Hæc ibi. In quibus audis, quod propria præſumptio excluditur, & maiorum ſcripta atque authoritates expelluntur ſine quibus conari intelligere quod ſcriptum eſt, dicitur à ſcriptore Eccleſiaſtico præſumptio, ſecundum quæ de ſe ſcribit Baſilius in Epiſtolis præſertim epiſtol. 60. Eccleſiæ Antiochenæ deſtinata. Fidem, inquit, nos neque recentiorem ab aliis conſcriptam acceptamus: neque ipſi mentis noſtræ fœtus aliis obtrudere audemus: ne humana putentur pietatis verba ſed quæ à ſanctis patribus edocti ſumus, ea rogantibus nos annuntiamus. Item Epiſt.61. conqueritur ſcribens, Patrum dogmata contemnuntur, Apoſtolicæ traditiones annihilantur, recentiorum hominum inuenta Eccleſiis inſeruntur. Epiſtola item. 62. Eccleſiæ Neocœſarienſi ſcripta, in Encomio Gregorij Neocœſarienſis ſanctiſſimi viri, dicit, quod ille fuerit cuſtos rituum paternorum, inimicus autem nouandarum rerum ſtudio, Et Epiſtola 69.

Ruf. Hiſto. lib. 11. cap. 9.

D. Baſilius epiſt. 60. 61. & 62. act. 69. & c. 70.

Italis & Gallis miſſa: indubiè inquit ſub finem Epiſtolę, ſumma laude dignum iudico, quòd vobis à Domino conceſſum eſt, vt fucatum à probato puróque diſcernatis: patrum autem fidem ſine vlla præuaricatione prædicetis, quam & nos ſuſcepimus, cognouimúſque ex Apoſtolicis characteribus formatam. Rurſus epiſt.70. Gallię & Italiæ Epiſcopis conſcripta, deflet ſuæ tempeſtatis calamitatem, his vocibus, vnum iam crimen eſt, quod vehementer punitur: ſi paternas quis traditiones diligenter obſeruet, Ob hanc cauſam paternis ſedibus abiguntur pij, & ad ſolitudines migrare coguntur. Rurſus ibidem. Non impugnamur propter pecunias, Non propter aliquid aliud rerum temporalium, Sed propter hæreditatem paternam, propter ſanam fidem. Hactenus Baſilius ille, cognomine

magnus.

magnus. Et Sedulius presbyter Carminum lib. 1. non procul à principio, sic cecinit.

Iudicio est antiqua fides & cana priorum
Testis origo patrum, nullisque abolenda per æuum
Temporibus.

Quod si 3. Reg. 21. Naboth interpellatus à rege Achab, vt vineam suam illi traderet. Respondit. *Absit vt ego patrum meorum tradam hæreditatem*, Sícque Naboth vitem suam proprio cruore defendit, Quomodo nos prodemus fidem patrum nostrorum & maiorum? Hinc affine est, quod 1. Mach. 2. Libera voce & ingenuè professus est Mathathias, *Et si omnes gentes*, inquit, *regi Antiocho obediunt vt discedant vnusquisque à seruitute legis patrum suorum & consentiant mandatis eius. Ego & filij mei obediemus legi patrum nostrorum.* Vt autem auitæ religionis nouatores & refractarios, filios Belial, hoc est sine iugo, reuincamus, prolato ab his etiam qui foris sunt testimonio: Platonem imprimis citabimus. Leo à Castro in Isayæ, cap. 7. Valde appositè scribit in hunc modum: Vetus illud verbum, non mouenda ne moueris in vera religione (vt inquit Plato,) si semel de eius veritate constiterit, debet valere potissimum, nam cùm receptam & statam religionem Deo ipso authore habeamus, quod optabat Plato, vt aliquando hominibus contingeret, sanxerátque vir sapientissimus, vt capitale esset, cùm id contigisset, siquis inde vel syllabam demutasset. Cur vero à Spiritu sancto dictata, audeat quisquam demutare? Hæc ibi. Quæ latius paulò expendere in animo est. Igitur diuinus Plato tribus in locis de legibus veteris illius dicti meminit Dialog. Nempè 3. circa medium aduersus eum, inquiens, qui agrorum quærit possessionem turbare, & nouas tabulas introducere omnes reclamant, ne moueat non mouenda: Agros quippe diuidenti, & nouas tabulas introducenti apertè omnes maledicunt, vt quisque quo se vertat ignoret. Idem Dialogo. 8. In medio hoc statuit, Prima sit terminalis Iouis hæc lex: Nemo fines atquè terminos agri moueat, sed putet id esse verum quod dici solet: hîc immobilia mouet. Et denique Dialog. 11. circa exordium, Ego virtutem diuitiis proposuerim, quippe cùm benè de multis dicatur quæ immobilia sunt mouenda non esse perpulchre etiam de hoc velut vno ex illis dicetur.

Leo à Castro.

Plato Dial.

Idē Dia.

dicetur. Hactenus Plato. Et cur hodie nos Orthodoxi hæreticis non obijciemus, quod antiquorum nitantur pessundare authoritatem ? Quod nihil aliud est quam velle Euangelij robur & fidem conuellere, scribente Diuo Gregorio Nazianzeno Epistol.2. ad Cledonium aduersus Appollinarium circa finem. Si inquit 30. his annis fides originem habuit cum 400. ferè anni ab eo tempore fluxerint, quo Christus palam conspectus est inane tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiam fides nostra. Et martyres quidem frustra martyrium subierunt, bene frustra etiam tales tantíque antistites populo præfuerunt. hęc ille. Meminerimus illius legis quæ incipit Testamenta au-
Lex. tem C.de Testamentis & quemadmodum testamenta ordinentur in qua Imperatores Arcadius & Honorius. A.A. sic statuunt. Mos namque retinendus est fidelissimæ vetustatis, quem si quis in hac vrbe voluerit mutare irritam mortuorum videri faciet voluntatem. Nos itáque omnes aduersariorum & contrà sentientium impetus infringamus, nihil clamantes magis, quàm *Patres nostri id annuntiauerunt nobis*, Catholici scriptores nulla tela frequentius in suos hostes contorquere solent, quam susceptam ab antiquis patribus doctrinam. Vnde contra Arrianos, illa extitit maiorum defensio.

Nos patres illos Nicænos agnoscimus, illorum filij &
D. Basilius epist. 60. hæredes sumus, sic enim D.Basilius epist.60.Est itaque Ecclesiæ nostræ à patribus administratæ, etiam à patribus, qui Niceæ conuenêre, conscripta fides quam nos non detrectabimus ipsa quoq; verba literis annotare. Credimus in vnum Deum, &c. Symboli Niceni Concilij. Secundum hæc Ecclesiasticæ fidei adhæresimus. D.Itē Gregorius Nazianzenus ad Cledonium epist.2.circa exordium, Nos fidei Nicenæ quæ à sanctis patribus illic ad euersionem hæresis Arrianæ collectis, promulgata est, nec quicquam vnquam prætulisse nec præferre posse, perspectum habe. Verùm fidei illius esse, Deóque fauente fore. Hæc ille Theologus κατ᾽ ἐξοχὴν dictus. Et nos iubemur interrogare generationem pristinam, (vt apud Iobum c.8.) *Et diligenter inuestigare patrum memoriam ? Hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terram.) Et ipsi* nempe maiores, *docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo*
Deut.32 *proferent eloquia.* & Deut.32. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: Maiores tuos & dicent tibi.* Hæc Spiritussanctus in scri

in scripturis, *Quas à Christo iubemur scrutari.* Ioan.5. Et vt hunc locum finiam, commodum arbitror quod Ecclesiasticus cap. 8. concionatur. *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum.* Quòd quia renuunt hæretici deridentes patrum venerandam antiquitatem miserè hallucinantur, & in errores labuntur inextricabiles. Apud Cassiodorum tripartitæ, lib. 12. c.4. In hæresim lapsus describitur Nestorius quòd decenter non esset eruditus, qui dum naturaliter eloquens fuisset se putabat doctum, & libris antiquorum interpretum dedignabatur incumbere, omnibúsque se meliorem putabat esse, apparet igitur Nestorium ignorasse lectiones antiquorum. Hæc ibi. Tales planè sunt moderni hæretici, qui grauissimam patrum authoritatem floccifaciunt, proculcant, & magno supercilio damnant, ac reijciunt. Sicut hic medicus pseudotheologus Caluinus similiter » qui in epistolam liminari destructionis verius quam in- » stitutionis Christianæ religionis, ad Francorum regem, » sic scribit, Calumniosè nobis patres opponunt, quorum » authoritate si dirimendum certamen esset, melior victo- » riæ pars (vt modestissimè loquar) ad nos inclinaret. Non » sine causa, inquiunt, à Solomone admonemur, ne trans- » grediamur terminos antiquos, quos posuerunt patres no- » stri. Hactenus Epicuri de grege porcus grunire in sanctorum patrum piam venerandámque memoriam ac debacchari studuit in quos profligatæ famæ hæreticos perbellè quadrat quod Cassiodorus tripartitæ historiæ, lib. 10. c.11. scripsisse comperitur. Viles homines, & qui per seipsos nequeunt apparere, vituperando meliores, esse se aliquid conantur ostendere. Hæc ibi. Vt mihi quidem videtur, hæreseos nota non minus inurenda illis est qui dicunt Ecclesiam in religione & fide à patribus antiquis deceptam fuisse, quàm qui suspicaretur à sanctis Christi Apostolis patribus ac ducib⁹ nostris potuisse fideles falli. In re namque religionis nostræ concorditer nunquam errarunt patres & Ecclesiæ doctores, quoniã hoc Christi pollicitationi, & perpetuæ spiritus præsentiæ maximè repugnat. Verba vtique illa Christi, *Vt maneat vobiscum spiritus veritatis in æternum, & rursum, ille vos docebit omnia quæcunque dixero vobis.* Ioan. 14. Non ad Apostolos modò, nec propter ipsos tantum sed ad Ecclesiam & propter nos etiam dicta sunt,

Ioan.5. *Eccles 8.* *Cassiod. hist. li.12 cap.4.* *Cassiodorus li. 10.c.11.* *Ioan.14.*

ſunt,qui non minus ſpiritu illuſtratore indigemus. Verum de his hactenus ſatis,ſi tamen vnquam ſatis,cùm frequens ſit hæreticis in ore iactatum illud de patribus dicterium. *Homines erant,errare potuerunt*,de quo alias, aduerte, optime lector, Chriſtum Dominum Samaritanam non ideò reprehendiſſe, quòd obiecta prætenſaque patrum authoritate,auitáque religione,dixerit. *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt*, Sed ad hoc non reſpondit, verùm ad fundamentum rei procedit,ediſſerens non quid illi fecerint, ſed quid nunc facere incumbat, ad rem ipſam nimirum reſpondens, ne quid fruſtra terat verborum. Licet enim patres in illo Samariæ monte ſacrificaſſent ibíque adoraſſent, tamen cultus ille ac ritus, adueniente Meſſia,(vt pote exiſtente veritate ceſſant vmbræ ac figuræ) commutari debuit:vnde non valet hæc ratiocinatio. Patres veteris legis aut etiam in lege naturæ Patriarchæ, ſic vel ſic ſacrificauerunt,his duntaxat locis præfixis & deſignatis, Hieroſolymis nempè, vel in monte Garizin, vſi ſunt his vel illis ritibus, circuncisſionis ſignaculo, agno Paſchali & huius generis ſacrificiis,ergo & nos poſt ſuſceptum Euangelium, quia patres noſtri ſic & ibi adorauerunt, eodem modo ſacrificabimus? Abſit, dicit enim Apoſtolus : *Si circuncidamini Chriſtus nihil vobis proderit*, Gal. 5. Valida autē eſt hæc argumentatio. Credidit Iacob, Crediderunt Patriarchæ & patres antiqui hunc vel illum articulum ergo & nos ſimiliter credere conuenit,*Habentes eundem ſpiritum fidei cum ipſis*, inquit idem Apoſtolus, &, (vt habet Axioma Theologicum) *Eadem eſt fides antiquorum & noſtra*,quo ad fidei ſubſtantiam, licet variata ſint tempora.Ritus quidem, ceremoniæ & ſacramenta varia fuerunt illis & nobis, fides autem & mediator idem. Nec differens, *Vnus Dominus, vna fides*, ait Paulus, *ſed omnia in figura contingebant illis, & vmbram gerebat lex futurorum bonorum.* Nunc Chriſti reſponſionem expendamus.

Gal.5.

Mulier crede mihi venit hora quando neque in monte hoc neque Ieroſolymis adorabitis, &c. Scribit Ariſtoteles libro de reprehenſionibus Sophiſtarum c.2. Credere & indubitatam fidem habere eum oportet,qui diſcere aliquid velit. Et Theodoretus de curatione Græcarum affectionum, libro 1.Par eſt vt prius credat,qui velit addiſcere.Nunquam enim prima elementa perdiſcet qui literatori fidem non habeat,ita eſſe primam ita ſecundum literā appellandam.

Ariſtot. Elēchor. c.2.

Theod. lib.1. de cur.græc. affect.

Sicque

Sícque de ſimilibus, vt illic fuſius traditur, ſcriptum eſt, *Credite prophetis, & cuncta euenient proſpera.* 2. Para. 20. Me *2. Para. 20.* autem eſſe prophetã, minimè dubiis indiciis & argumentis deprendiſti, Ergo mulier crede mihi, Primùm ſibi credi poſtulat, viam ad magna ſibi parans myſteria. Nam Iſai. 7. *Iſai. 7.* *Niſi credideritis nõ intelligetis,* Chriſtus annulo fidei eam ſibi deſpondet, *Crede mihi*, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hebr. 11. *Et accedentem ad Deum oportet credere.* ibid. *Hebr. 11.* *Venit tempus quando neque hic neque Ieroſolymis adorabitis.* Subaudienda eſt excluſionis particula tantum. q. d. Non tantum in illis locis ſed vbique tempore Euangelij ſacrificabitur. Mal. 1. *In omni loco nomini meo ſacrificatur, & offertur* *Mal. 1.* *oblatio munda.* Fruſtra hinc eliciunt hæretici, nullam locorum diſcretionem, nullúmque delectum habendum eſſe, ad faciendas preces publicas & ſolemnes, ſtat enim ſententia, *Adorabo ad templum ſanctum tuum,* & *domus mea, domus orationis vocabitur*, Vt ſupra alibi retulimus. In omni quidem loco Deum adorare fas eſt. Iudæorum enim error erat iſte, qui contenderent Deum nuſquam adorandum, niſi Hieroſolymis, in templo: aut certè Samaritanorum qui ſcilicet negabant Deum vſquam adorandum, niſi in monte Garizin, idque Patrum exemplo, qui Deum verum ibidem coluerunt. Verum eſt quod dicit Samaritana, in montibus adoraſſe patres, & poſter[illegible]rum ad templum & tabernaculum alligatos fuiſſe, quo[illegible]lim fuerat in Silo, tunc verò Hieroſolymis, Sed hæc per figuram contingebant, &[illegible]eo ſic conſtituta ſunt, nempè vt eſſent ad tempus ſub Pædagogo, donec veniret ſemen promiſſum patribus, id eſt, Meſſias. At illud tempus iam venit & apparuit qui mittendus fuerat, vt non amplius ſub Pædagogia illa rudi detineamur. Cum venerit quòd perfectum eſt, Non igitur amplius aſtringentur homines neque huic monti, neque quod eſt Hieroſolymis templo. Sed à ſolis ortu vſque ad occaſum propagabitur & excoletur exercebiturque Chriſtiana religio.

Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus. Hîc diſtinguit inter vtriúſque populi cultum. Samaritani quidem mala de Deo ſentiebant putantes eum eſſe corporeum, & loco circumſcriptum, Adde quod diuino cultui immiſcebant idololatriam. Sic Gentiles Athenienſes. Act. 17. arã erexerunt & ſacrarunt ignoto Deo, adorabãt proinde quod ignorabant. Euthymius hunc pertractans locum *Euthy. in Ioan. 4.*

f ſcribit

ſcribit ita quamquam eundem Deum colebant Samaritani & Iudæi : tamen Samaritani ignorabant quod omnium gentium eſſet Dominus: Opinabantur ſiquidem quod ſolis Samaritanis atque Iudæis dominaretur: Iudæi verò cognoſcebant, quòd omnium gentium eſſet Dominus omnipotens ideò dixit, *Vos adoratis quod neſcitis*, id eſt, cuius poteſtatem non cognoſcitis : & ſeipſum Iudæis connumerauit, dicens, *Nos adoramus quod ſcimus*, Quia & ex Iudæis erat progenitus, & Samaritanæ Iudæ⁹ videbatur. Hactenus Euthymius. Quærit Theophylactus hoc loco, Quomodo neſciuerunt Samaritani, quod adorarunt? Loco putabant concludi Deum. Iudæi autem ab hoc errore liberi fuerunt dicente Salomone, *Quem cæli cælorum capere non poſſunt*. Et Propheta Iſaias. *Cælum & terram ego impleo dicit Dominus*, Concinente Dauide atque ſubſcribente *quo ibo, inquit à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum tu illic es, & quæ ſequũtur*. In hæreticos noſtri temporis quadrabit & iſtud, *Vos adoratis quod neſcitis*, In tenebris etenim affectatæ ignorantiæ craſſæ & ſupinæ verſantur, errantes & in errorem mittentes, *Excæcauit eos malitia eorum*, Et
Ariſtoteles. omnis malus, inquit Ariſtoteles, eſt ignorans, *Neſcientes*, ait Apoſtolus, *Quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. An non magna valdéque deploranda cæcitas fuerit, *Dicere bonum malum, [illegible]alum bonum, ponere lucem tenebras, & tenebras lucem? [illegible] ſunt & duces cæcorum*. In eos ergo rectè torquebitur iſtud, *Vos adoratis quod neſcitis*, Adorant enim hæreſes & falſa dogmata quæ ſunt Idola ſ[illegible]ualia, & doctrinas peregrinas ſuorum anteſignanorum mordicus tuentur. Nouam ſibi confingent fidem ac religionem. At verò nos Catholici, Dei opt. max. beneficio & gratia adoramus quod ſcimus. *Præceptis ſalutaribus moniti & diuina inſtitutione formati*, Vt ſancta mater canit Eccleſ. In ea enim (*Quæ eſt columna & firmamentum veritatis*, Doctore diuo Apoſtolo) præſidet ſpiritus veritatis, docens eam omnem veritatem ad ſalutem neceſſariam. Verum Deum in trinitate, candide & ſyncere adoramus, Verum Chriſti corpus in ſacramento, ſine impietate, imò magno cum fidei Catholicæ (cui nõ ſubeſt falſum) fructu ac merito ado-
D. Aug. in Pſalm. mus, & (quod ingenuè profitetur D. Auguſt. ſuper pſalmos) nemo illam carnem manducat niſi prius adorauerit. Non enim poteſt ſolui ſcriptura. *Adorate ſcabellum pedum eius quoniam ſanctum eſt*. Et iterum, *Manducauerunt & adorauerunt*

rauerunt omnes pingues terra. Quæ duo loca idem Ecclesiæ lumen beatus Augustinus, de sacra Eucharistia pretiosaque & viuifica Domini carne in Augustissimo altaris sacramento dilucidè exponit, commentariis in Psalmos editis. Sequitur in textu.

Quia salus ex Iudæis est Samaritanorum quidem salus, ait Euthymius, ex Iudæis est: Nam ab illis didicerunt Deum cognoscere, & idola respuere, *Notus in Iudæa Deus*, inquit psalmographus, aut alio modo. Salus mundi ex Iudæis est, quum ab eis Christus sit incarnatus, nam, vt scribit D. Paulus ad Hebræos, *Semen Abrahæ apprehendit*, *Factus est ex semine Dauid secundum carnem*, ait alibi idem doctor & Apostolus. *De Syon exibit lex.* Isaiæ. 2. Virgo θεότοκος ex Iudæis habuit originem iuxta cuiusdam Christiani poëtæ versiculum. *Euthym. in Ioan.* *Isaia. 2.*

Sicut spina rosam genuit Iudæa Mariam.

Apostoli similiter Iudæi fuerunt origine, qui orbi salutem annunciauerunt.

Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate, &c. Insignis locus, profectò, de adoratione, qui à veteribus magna cum dexteritate tractatur præsertim verò à Diuo Cyrillo Alexandrino, is tomo. 2. tractatum habet seu opusculum per formam dialogi ad Palladium de adoratione & cultu in spiritu & veritate, vbi inter cætera has proponit similitudines, qui in tabulis & picturis artificium suum ostentant, non statim quando pingere incipiunt, absolutam & ex omni parte perfectam speciem pingendo exprimunt, sed adumbrant prius & coloribus obscurioribus effigiant, & deinde vt libuerit lineamenta adhuc opaca decentibus & congruis coloribus illustrant, atque ita figuram in claram speciem, quæ incomparabiliter melior quàm ab initio apparebat, transmutant. Porrò & fabri ærarij statuam solidaturi, primùm obscuram speciem in cæra faciunt, deinde illi igni liquefactæ æs infundunt, & sic opus suum producunt, vt nouam speciem ac pulchritudinem habeat adiectis ad vmbras variis colorum speciebus, Et apparent quidem dum æs cæram liquefacit, aboleri prima lineamenta. Res autem ipsa non sic habet, verè enim dicere possunt & faber ærarius & pictor: non destruximus vmbras, nec omnino inutiles figuras fecimus, sed impleuimus potius. Nam quòd in vmbris & figuris tantum obscurè deformitérque videbatur, id ad meliorem clario- *D. Cyril. tom. 2. de adora. in spir. & ver.*

remq́ue formam productum, conſpicuum eſt :quæ ad negotium prę́ſens accommodabũtur ad hunc certè modum, Iudæos ſcilicet habuiſſe vmbras legis & veterum ſacrificiorum, quibus viui (vt ita dicam) colores ſucceſſerunt, veritas nempe Euangelij euaneſcentibus vmbris. Debuit ergo veniente Chriſto, ceſſare cultus ille rudis & typicus, in corporalibus brutorum victimis & hoſtiis, & ſubſequi cultus in ſpiritu & veritate. Pueris etiam notiſſimum diſtichon, Catoni vulgò inſcriptum habet:

Catonis diſticha.

Si Deus eſt animus nobis vt carmina dicunt
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

Pythagoræ carminum.

Citari etiam ſolent aurea carmina Pythagorę quę ſic Græcè incipiunt.

Αθανάτυς μὲν πρῶτα θεὺς, νόμω ὡς διάκειυται,
Τίμα. Latinè ſic reddere poſſumus,

Immortales primum Deos lege vt diſpoſiti ſunt.

Stephanus Niger in commẽtariis. Pythag. carm.

Cole ſeu honora. Extant commentarioli Stephani nigri in eadem, vbi ita habetur: Pythagoras à diuinarum rerum cultu, id eſt, à religione ſumpſit exordium. Nec immeritò. Nouerat enim vir maximo ingenio, ſummáque doctrina præditus ſanctæ vitæ fundamentum Deorum eſſe venerationem. Nos igitur primùm omnium Deus eſſe colendos docuit, idq́ue vt ſeſe habent legitimè faciendum admonuit. Neque enim vnicuique pro arbitrio nouos fingere Deos, nouos religionis ritus inducere licet, ſed ſecundum maiorum leges colendi, patriíſque moribus atque inſtitutis vnumquémque vitam agere oportet. Eſt igitur legibus parendum, diíque legitimè colendi. Et, quod Romanæ eloquentiæ parens Cicero libr. 2. de legibus ſcriptum reliquit, in lege eſt vt de ritibus patriis colantur optimi: De quo cùm conſulerent Athenienſes Apollinem Pythium, quas potiſſimum religiones tenerent: oraculum editum eſt, eas quæ eſſent in more maiorum quò cum iterum veniſſent, maiorúmque morem dixiſſent ſæpè eſſe mutatum, quæſiuiſſentque quem morem potiſſimùm ſequerentur è variis: Reſpondit optimum. Et profectò ita eſt, vt id habendum ſit antiquiſſimum & Deo proximum, quod ſit optimum, hactenus Cicero.

Cicero li. 2. de legibus.

Virg. lib. 1. Georg.

Virgilius lib. 1. Georgicon dictis conſentit ſcribens:

Phocylides.

In primis venerare Deos, &c. Quod & Phocilides initio poëmatis ſui admonitorij græcè dixit.

Πρῶτα θεὸν τίμα μετέπειτα δὲ σεῖο γονῆας.

Primum

Primum cole Deum, postea verò tuos parentes.

Et Isocrates Paræne si ad Demonicū conformiter scripsit dicens. πρῶτον μὲν εὐσέβει τὰ πρὸς τοὺς θεούς, quod significat, Imprimis Deos religiosè colito. Hactenus Ethnici de Deorum cultu, qui si vnicum Deum venerandum esse statuissent, pluralitatémque falsorum damnassent Deorum (*Omnes enim Dÿ gentium dæmonia*, ait Diuinus vates) proximè ad veritatem Christianam accessissent. Hæc est enim Religionis summa, *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies*, &, *Israël si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Dupliciter colebatur Deus in mundo ante aduentum Christi, à Iudæis carnaliter, in pecudibus scilicet & brutis animantibus: à Gentibus autem Hypocriticè: Videbantur enim gentes Deum colere, quum mera esset idololatria, Stat enim Decretum. *Non potestis Deo seruire & Mammonæ*, assertore Christo, Et *Non habebis Deos alienos coram me.* Sic Christus duo coniungit. Spiritum opponit carnali cultui Iudæorum: Veritatem autem ficto cultui gentium, Vel, *adorare in spiritu* est corde credere ad Iustitiam, *Adorare in veritate*, est ore confiteri ad salutem. *In Spiritu adorare*, est spiritum adoptionis filiorum Dei recepisse in quo clamamus Abba Pater. *In veritate autem*, est in filio manendo (*qui est veritas* Ioan. *Ioan. 14.*
14.) patrem inuocare, & in nomine filij orare ipso interprete, *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Vult ergo dicere Christus, Veri adoratores manifesta distinctione personarum adorabunt vnum Deum Patrem Filium & Spiritum sanctum. At dices, Quare Spiritum veritati præposuit, dicens, *In spiritu & veritate?* Respondeo, Quia sicut nemo venit ad patrem nisi per filium, ita filium nemo agnoscit nisi per Spiritum sanctum. *Nam nemo potest dicere Dominus Iesus*, inquit Vas electionis Paulus, *nisi* *Rom. 8.*
in Spiritu sancto, Ipsa quoque adoratio propria Spiritus sancti operatio est. Vnde *Quid oremus ipsi nescimus sed ipse spiritus postulat pro nobis*, hoc est, postulare nos facit, *gemitibus inenarrabilibus*, Rom. 8.

Obserua, Quod adorandus est Deus in spiritu, contra fucum & simulationem Hypocritarum qui labiis Deum honorant, Cor autem eorum longè à Deo est, *Cui ser-* *Rom. 1.*
uio in spiritu meo Romanor. 1. In veritate autem contra hæresim, quæ veritati Catholicæ contraria est. In Spiritu contra adorationem Samaritanorum qui localem quen-

 dam

dam cultum habebant, in veritate verò aduersus cultum Iudaicum qui erat in figuris & vmbra, cui opponitur

Ioan. 1. veritas, non tanquam mendacio, sed tanquam res signata ipsi signo, Ioann. 1. *Lex per Mosem data est,* (quæ figuras continebat,) *Veritas per Christum facta est*, quia figuras adimpleuit & à legalibus ritibus, cæremoniis, ac sacrificiis nos exemit. Oportet ergo adorare, in veritate rectæ cognitionis & in Spiritu ardentis deuotionis. Non sufficit cultus exterior, opus est etiam interiore. Ille est corporis, Iste verò Spiritus, vterque coniungatur

Psal. 83. necesse est, dicente psalmista, Psalmo. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Non damnantur Cęremoniæ Ecclesiasticæ. (est enim illarum vsus pedagogia quædam ac institutio nequaquam contemnenda) Sed præponitur cor, dicente domino, *Fili præbe mihi cor tuum*, Sunt piæ ac religiosæ Cęremoniæ velut capilli Sampsonis, quibus rescissis ablata est per consequens fortitudo & robur eius, vt habetur in historia Iudicum. Sic deuotionis populi neruus in huiusmodi externis exercitiis magna ex parte consistit: quibus velut gradibus quibusdam ad Deum feruntur, & vt in quadam præfatione Missæ canitur, *per hæc visibilia in inuisibilium amorem rapiuntur pij viri*, qui quoniam nedum animo & spiritu inuisibili, sed etiam carne sensili & visibili constant, nedum spirituali & interiore cultu, ac inuisibili religione, verum etiam corporali ac exteriore indigent religionis exercitio. Contra hæreticos laudo externum cultum, Contra malos Christianos carnaliter viuentes moneo & inculco vt deposito peccati onere & graui sarcina spiritualem induant hominem. *Expoliantes veterem cum actibus suis vt sursum corda habeant ad Dominum*, Non iam secundum carnem sed secundum spiritum viuentes, adorent, in spiritu humilitatis, & in ve-

Theophi. in Ioan. ritate vitæ iustitiæ & doctrinæ. Theophylactus, huius loci non pœnitendam adfert illustrationem & expositionem, breuem quidem sed acutam. Quod dicitur, in Spiritu, opponitur literæ, Non enim lex literæ à nobis obseruatur, sed lex Spiritus. *Nam litera quidem occidit, Spiritus autem viuificat.* Et quod dicit, in veritate opponitur vmbræ & figuræ. Euthymius pariter sic interpretatur. *Veri adoratores adorabunt patrem* non in corpore sed in spiritu, hoc est, non per corporales victimas sed

per

per Spirituales: nec in vmbris & figuris, ſed in veritate: nec cultum loco circumſcribentes, veluti Iudæi & Samaritani, ſed in omni loco dominationis eius benedicentes dominum, vt loquitur Pſalmographus, Nam & pater tales quærit qui oderent eum, Puta non figuratiuos ſed veros, non corporaliter ſed ſpiritualiter immolantes. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant, in ſpiritu & veritate oportet adorare, &c.* Deus eſt Spiritus, hoc eſt incorporeus, ſpiritualis quædam eſſentia & inuiſibilis, ideò etiam colentes eum, ſpiritualiter colere oportet, non in vmbra ſed in veritate: Spiritualis autem cultus est animi modeſtia Pſalmus 50. *Sacrificium*, inquit, *Deo ſpritus contribulatus cor contritum &c.* Item oratio Pſalm. 49 *Immola Deo*, ait, *ſacrificium laudis.* Et vt vno verbo dicam, omnis virtus ſpiritualis. Pſalm. 50. *Tunc acceptabis* dixit, *Sacrificium iuſtitiæ:* vbi dictio Iuſtitiæ, pro omni virtute accipitur, per quam homo iuſtus efficitur. Hæc Euthymius. Nota, quod adoratur Deus à Christianis in Euchariſtia. *In veritate quidem*, quia Ioann. 6. *Caro mea verè eſt cibus.* Deinde etiam in Spiritu quia ibi inuiſibiliter exiſtit & præſens eſt, non autem localiter, circumſcriptiuè & ſub modò quantitatiuo continetur. Sed de adoratione Euchariſtiæ opportuniùs quandoque (Deo fauente) dicemus. Reſtat vt Brunfelſianam maledicentiam & amarulentam debacchationem ſeu inuectiuam diluamus, Ille ad hæc verba, *Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate*, hanc edidit annotationem. » Non eſt amplius loco adſtructus » cultus Dei, ſed in quouis loco, & in quauis gente com- » placitum eſt patri qui ad ſe puras & fideles manus le- » uauerint. Ceſſent igitur cum omnibus templis & ex- » celſis, etiam omnes Cęremoniæ externæ, omnes ima- » gines ad hoc ſculptæ, vt nobis in memoriam reduce- » rent diuina, ſiue, vt inquiunt, vt libri eſſent laicorum, » quia in ſpiritu & veritate adoratur Deus, non in exter- » nis figuris. Quæ ſi non ſapiunt hæreſim, & ab Eccleſiæ » praxi defectionem, apoſtaſiámque manifeſtam, tota Sanctorum patrum cohors aberrauit. hactenus quod vel cogitaſſe & in animum induxiſſe, aperta eſt in Spiritum ſanctum Eccleſiæ doctorem ac rectorem blaſphemia. De templorum orationis gratia excitatorum vſu, déque Cęremoniis externis iam ſatis ſuprà à nobis

Pſal. 50.

Pſal. 50.

Ioan. 6.

Brunfelſiani loc.

dictum putamus, de imaginibus verò & picturis alibi non extra rem nos dicturos confidimus & speramus. *Scio quod Messias venit &c.* Venit in tempore præsenti legendum est, nam Græcè ἔρχεται legitur. Quod Græci ait in an-
Erasmus in annos. notationibus Erasmus, nonnumquam vsurpant pro futuro, tametsi præsentis temporis vox est, quasi dicat mulier. Scio Messiam in foribus esse: *Propè est vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur.* Sed vnde Samaritanis,
Euthymius in Ioannē. inquirit Euthymius, expectatio aduẽtus Christi à Mosaicis scripturis. Scripsit enim Moses, *prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me illum audietis*, Deuteron. 18. Quadrant ea quæ in hunc locum Theophy a-
Theophi. ctus etiam commentatur.

Dicit ei Iesus, Ego sum qui loquor tecum. hîc Euthy. Iudæis instantibus ac dicentibus, *Quousque animam nostram suspē-*
Ioan. 10. *sam tenes, Dic nobis, an tu sis Christus. Ioann. 10.* Non respondit hoc manifestè: Huic autem protinus seipsum manifestauit: Nam hæc æquior illis erat. Siquidem ipsi non vt crederent discere quærebant, sed vt reprehenderent: ipsi verò statim postquàm didicit, credidit. *Continuò venerunt discipuli & mirabantur quia cum muliere loquebatur.* Illud scilicet mirabantur, Christum cum Samaritana paupercula tam familiariter colloquutum esse. Non erat quidem Apostolis noua aut suspecta res Christum cum muliere colloqui. Sed quoniam abhorrebant Iudæi à commercio Samaritanorum, videri possent discipuli voluisse dirimere colloquium Christi cum muliere, verùm non ausi sunt hoc facere. Nec simplices discipuli, & candido erga præceptorem animo sinistri quippiam aut mali de illo suspicantur, ob reuerentiam & obseruantiam quam erga eum habebant. Tacuerunt, ait Euthymius, honorem ipsi deferentes: Siquidem instructi erant ne omnia magistri facta curiosè inquirerent: simul etiam sciebant quod spiritualibus illius vulneribus Pharmacum apponeret: alioqui si Pharisæis similes fuissent, Statim dixissent cum Pharisæo: Luc. 7. *Hic si esset propheta sciret vtique & qualis est ista mulier, quia peccatrix est*: & ex gente apostatrice. Et Matth. 11.

Ecce amicus publicanorum & peccatorum. Non calumniãtur autem discipuli, sed admirantur, quòd tam insignis propheta humilem & abiectam dignabatur alloqui mulierculam. Apertissimum exemplum humanæ ciuilitatis &

tis & vrbanitatis in Iesu. Confundit Prædicatores, qui acceptis personis, magnatibus & diuitibus tantùm applicant se: humiles & ex infima plebe dedignantur. Contra quos clamat Apostolus: *Græcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Exemplum etiam proponitur discipulorum, ne temere iudicemus, aut calumniemur, quæ ignoramus quo animo fiant, aut fiunt ab iis quorum nota est vitæ integritas.

Reliquit Hydriam suam mulier & abiit in ciuitatem &c. Oblita rei corporalis tota est in Christo annuntiando, & sicut vinum hornum. Quòd recens expressum est, sæuit & bullit: sic mustum Spiritus sancti quos semel impleuerit, caducis ac temporalibus spretis, ad spiritualia valdè vrget, mentésque & affectus ciet atque excitat. Sic Maria dulcedine verbi diuini capta, prandium negligit domesticum. Luc.10. *Sedebat secus pedes Domini, & audiebat verbum eius,* Matthæus à Christo vocatus teloneum reliquit, Apostoli in mari piscantes, *relictis retibus & naui sequuti sunt Saluatorem:* Sic ait Theophylactus, in tantùm accensum est cor mulieris dictis Dominicis, vt & aquam fontis relinqueret. Sic igitur statim prætulit aquam Christi fonti Iacob, & fit Apostola, docétque & attrahit totam ciuitatem.

Luc.10.

Theophi. Ioan.

Videte, inquit, *videte eum qui dixit mihi omnia quæcunque feci,* & quamuis posset dicere, venite, videte prophetam prophetantem, at non sic: contemnit autem suam gloriá, & ad hoc solùm spectat, vt prædicet veritatem.

Nec dicit *Hic est Christus* affirmatiuè, Sed *Nunquid hic est Christus?* Volens etiam illos calculum addere, & facere sermonem creditu faciliorem. Etenim si affirmasset hunc esse Christum, fortassis refugissent quidam sententiam eius, neque tam diffamatæ credidissent. Videte, inquit Euthymius, mulieris sapientiam. Non dixit, Venite videte Christum, quum tamen crederet esse Christum, ne de huiusmodi re à se ipsa iudicare videretur: Maximum enim videbatur cognoscere eum qui expectabatur, sed alios vocat iudices. Vtque illos magis attrahat, offert eis veluti quandam escam, suorum videlicet peccatorum detectionem. Sciebat enim quod si sermones illius vel solùm gustarent, protinus & ipsi irretirentur. Dicens autem nunquid est Christus? tanquam addubitans loquitur, vt ab illis detur sententia.

Euthymius in Ioan.

Cùm verò Christus vnum tantùm ei peccatum reuelasset, ipsa vt fortius moneret homines, & induceret ad Christum, *Dixit mihi omnia*, inquit, ex vno reuelato non dubitabat alia eum scire.

Rogabant eum discipuli vt manducaret. Quibus Respon. *Meus cibus est vt faciam voluntatem patris.* Voluntas patris salus est hominum, hanc autem, ait idem Euthymius, vocat cibum suum, ostendens desiderium quòd de hominum habebat salute. Nam sicut qui edit cibum concupiscit, ita & ipse hominum salutem. Et Theophylactus, hunc cibum vos discipuli mei nescitis. Crassi enim quum vos adhuc sitis, & intelligere nequeatis, quæ obscurius à me dicuntur, nescitis quòd salutem cibum hominum nominem. Ignoratis etiam quòd Samaritani credituri sunt mihi, & saluabuntur. *Vt perficiam opus patris.* Prophetæ quidem & lex minimè potuerunt perficere opus Dei. Imperfecti enim erant, vtpote figuras & vmbras futurorum continentes. At Dominus perfecit opus Dei nostram dico salutem & renouationem. *Nihil ad perfectum adduxit lex*, inquit Apostolus. Opus Dei in paradiso illa terrestri cœptum erat, sed non perfectum, impediente dæmonis astu incarnatus est autem filius Dei, vt huiusmodi perficiat opus, hominis nimirum salutem sicut in symbolo cani solet, inter sacra missarum solemnia: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis & incarnatus est, &c.*

Nónne dicitis, adhuc quatuor menses sunt & messis venit? Euthymius. De sensibili messe dicebant, ipse verò de intellectuali nomine loquitur, & hanc ostendit instare ad fidem paratos dicens Samaritanos. Nam & fides messis est, quæ ab infidelitate metitur vel separatur, & confertur ad Christum. Quemadmodum enim albæ segetes paratæ sunt ad messem, ita & illi ad fidem. Adde quòd Messis est Euangelij status, Messores sunt Apostoli & Prædicatores. Luc. 10. *Messis multa, operary pauci. Rogate ergo Dominum Messis, vt mittat operarios in Messem suam.* De qua Messe atq; Messoribus multa Christus sermocinatur, atq; vt attentos eos reddat hoc vtitur Epiphonemate.

Luc. 10.

Leuate oculos vestros, & videte regiones: Oculos vestros spirituales & corporales attollite, Persius satyra. 2. exclamat.

Persi. sa. 2.

O curua in terris animæ & cœlestium manes.

Et

Et Ouidius lib.1.Metamorphoseōs scribit, *Ouid. li. 1. metamorph.*

Pronáque cùm spectent animalia cætera terram
Os homini sublime dedit,cœlúmque videre
Iussit,& erectos ad sydera tollere vultus.

Boëtius quoque de consolatione Philosophiæ libro 5. metro,6. *Boëtius de Cōso. lib.5.metro.6.*

Vnica gens hominum celsum leuat altius cacumen
Atque leuis recto stat corpore,despicitque terras
Hac (nisi terrenis malè desipis) admonet figura,
Qui recto cœlum vultu petis,exerisque frontem
In sublime feras animum quoque,

Dominus alibi Apostolos compellans & alloquens, *Leuate capita vestra*, inquit,Abrahamo. Genes.15. dictum est: *Suspice cœlum*, Psal.de impiis contrà scripsit.*Oculos suos statuerunt declinare in terram.* In vita Patrum versa in Gallicum sermonem fol.261. Habetur hoc simile. Sicut porcus non potest eleuare oculos ad cœlum, sed semper deprimit conspectum terram versus, sic luxuriosi anima nihil nisi de terrenis cogitat, neque contemplationis oculum sursum attollit. Leuate ô Mundani oculos & videte. Verùm de iis me iam scripsisse, satis memini. Et ne singulas percurramus periodos, ad huius lectionis Euangelicæ finem properandum nobis est. *Gen. 15.*

Multò plures, inquit, crediderunt propter sermonem & doctrinam ipsius Domini, & mulieri dicebant. Iam non propter verba tua credimus, sed ipsi audiuimus & cognouimus quod hic verè sit saluator mundi.

Fuerunt ait Euthymius,Samaritani multò æquiores Iudæis, illi enim exiuerunt ad eum, & orabant illum vt veniret ad se, quúmque nullum vidissent signum, crediderunt in eum. Iudæi verò ad se magis venientem persequebantur. Et apud se manere volentem, grauiter ferebant, quúmque multa vidissent signa, non credebant. Alio autem tempore Samaritani non exceperunt eum, vt pote amicum Iudęorum,qui aduersus se inimicitias exercebant. Nam hoc scripsit Lucas cap. 9. Sed illi erant alij ab istis: Illi siquidem vicum quendam Samariæ inhabitabant, isti verò ciuitatem. Hæc ille. Vide profectum fidei: Primò propter verbum mulieris, deinceps propter verbum Christi. Initiò quidem multi, subinde multò plures crediderunt, magna narrabat de Christo mulier, nunc coram & in præsentia Christi, maiora experiũtur.3.Reg.10. Dicebat Regina *Euthymius in Ioan.* *Luc.9.* *3.Reg.10*

Regina Saba Salomoni regi. *Verus est sermo quem audiui in terra mea super sapientia tua, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nuntiata non fuerit: maior est sapientia, & opera tua, quàm rumor quem audiui.* Sic Samaritani dicere poterant postquàm Christum susceperunt. Hic Lubens finirem, nisi me eloquentissimi Cornelij concionatoris Itali, eloquentiæ torrens in sui admirationem raperet, & vt ex illo biberem haurirémque aliqua inuitaret, ille concionem edidit de Samaritana valdè elegantem quæ extat, lib.3. Sub hoc titulo de admirabili gentium vocatione ad sanctam Christi fidem. In prima parte sunt, inquit septem Dialogi inter Christum & Samaritanam. Tres de aqua, duo de secretis suæ vitæ, & duo de altissimis religionis mysteriis. In quinque primis colloquiis proponit Christus & mulier respondet. In duobus vltimis quasi effecta sanctissima & doctissima, illa prima interrogat, & disputat in vtramque partem de fundamento totius Theologiæ (quòd est cultus diuinus, primum præceptum naturæ & legis & gratiæ,) & Christus, qui eam sibi desponsauit, & aureo fidei annulo eam subarrauit. *Mulier crede mihi.* Eidem respondet verbis claris & apertis, detegítque sacrosancta illa arcana, quibus digna non fuit incredula synagoga, quia contra omne ius à Christo secessit & fecit diuortium. Benè dictum est à Ioanne quòd Samaria inter Iudæam & Galilæam media erat. Galilæi erãt Christi amici, vnde & Iulianus apostata (sicut in historiis legitur Ecclesiasticis) Christum nominabat Galilæum. *Vicisti Galilea,* Christianos etiam vocare solebat ille, Galilæos. Iudæi autem habebant legem Mosaicam Ioan. 9. *Nos Moysi discipuli sumus.* Inter duas has leges, nouam veterémque, Mosaicam & Euangelicam, est ratio naturalis in populo gentili. Mulier Samaritana, delphini instar alios pisces ad retia attrahentis, cùm ad puteum aquæ credidisset prima, conterraneos suos ad Christum pellexit. Eam Christus prçstolabatur ad fontem. En gratia præueniẽs. Samaritana autem auscultat & credit, Ecce quomodo subsequitur cùm libero arbitrio. Sic incipit Euangelium.

Cornel. Ital.

Hist. Eccles.

Ios. 9.

Venit Iesus in ciuitatem Samariæ. Præuenit Christus Gentiles, quia ab illis præueniri non potest. *Inuentus sum à non quærentibus me. Erat ibi fons* Iacob. O qualis fons Christus. Nascitur in paradiso, vt Dei filius, ascendit à terra vt Mariæ filius. Vniuersum irrigat mundum sua doctrina,

purificat omnia ſancto Baptiſmo, Exit & diuiditur in 4. flumina per 4. Euangelia. Gen. 2. *Egrediebatur fluuius de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in 4. capita.* Conuertitur in ſanguinem vt aqua Ægypti, per ſuam paſſionem, *Et paruus fons in lucem ſolémque conuerſus eſt.* Heſter c. 10. per triumphalem reſurrectionem, ô quantum hęc SS. aqua differt ab aliis, iſta eſt in hoc mundo gratia, in altero eſt gloria. O quàm malæ ſunt huius mundi aquæ, non fontium ſed paludum, aquę, inquam, ex ſuperbia craſſæ, turbidæ ex iniuſtitia, amaræ ex odio & inuidia, aquæ mortuæ ex otio & negligentia, aquæ putridæ ex luxuria, malè ſanæ & peſtilentes ex auaritia. *Heſt. 10.*

Chriſtus, ait Euangeliſta, *ſedebat ſic ſuper fontem:* quod ſic miſticè & allegoricè parte 2. Idem interpretatur. Quoniam apud Poëtas & oratores ſæpè leguntur fontes eloquentiæ, fontéſque ſcientiæ, & fontes eruditionis. Ideo ſedere Chriſtum ſuper fontẽ, hoc eſt, ſuper Philoſophiam, ſuper lumen naturale, ſuper rationem humanam, quæ veluti radius quidam & deriuatio à diuina ſapientia, in ſacris ſcripturis legimus quòd ſapientia diuina ſedet ſuper hominem. *Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ,* & de SS. Act. 2. *Seditque ſupra ſingulos eorum.* Sic ſedebat Chriſtus ſuper doctrinam Philoſophorum ad lumen naturæ adiunxit lumen gratiæ. Oculo interiori mentis & intellectus porrexit ſpeculum fidei. O quanta accreuit cognitio Græcis & Barbaris ex Euangelio Chriſti, *Eratis aliquando tenebræ* ô Philoſophi, *nunc autem lux, facti eſtis per Chriſtum noſtrum,* Sedebat ſic ſuper fontem. Fõs vnus ſedebat ſuper alterum fontem, fons diuinæ ſapientiæ ſuper fontem ſapientiæ humanæ. Fons ſapientiæ verbum Dei. Eccleſ. 1. *Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* Sedebat ſic ſuper fontem. O quale, Sic, quantamque emphaſim cõtinet, ſedebat cum tanta maieſtate, cum tanta exiſtimatione & reputatione, cum tanta ratione, an non rationi conſentaneum eſt quòd ſenſus ſubdatur intellectui, & homo Deo? Sic æquum eſt humanam ſapientiam inclinari ac demittere ſeſe & ſubijci diuinæ, quòd moriturus cognouit Antiochus 2. Mach. 9. cœpit ille ex graui ſuperbia ad agnitionẽ ſui venire, diuina admonitus plaga, & ait, *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Sedebat ſic ſuper fontem, cum tanto honore fontis. Quantus eſt Philoſophiæ honor, coniunctam ipſam eſſe fidei & penetrare diuinæ ſapientiæ myſteria, *Act. 2.* *Eccl. 1.* *2. Mac. 9*

Isa.7. mysteria, *nisi credideritis non intelligetis.* Isayæ. 7. Tres pu-
Gen. 21. teos in Genesi inuenimus, c. 21. puteum iuramenti quem
& 26. fodit Abraham, & c.26. puteum latitudinis, Puteum deni-
que abundantiæ ibidem, quos fodit Isaac. Non est vnicus
fons Philosophiæ, sed tripartitus. Puteus latitudinis est
Philosophia naturalis, quæ dilatatur, & complectitur res
omnes naturales & physicas motui & tempori subiectas,
sicque infinitam creatoris virtutem testatur. Dicente Apo-
Rom.1. stolo Rom.1. *Inuisibilia ipsius per ea quæ facta sunt à creatura
mundi intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus
& diuinitas.* Puteus abundantiæ est Philosophia moralis
vnde erumpunt & fluunt aquæ largissimæ morum, Ethico-
rum, politicorum, œconomicorum & monasticæ vitæ. Pu-
teus iuramenti, est Philosophia rationalis siue logica, quæ
acuit ingenium, subtilem reddens intellectum ad discer-
nendum verùm à falso, syllogismum, à paralogismo, id
est, à sophistica & hallucinatoria captione seu tendicula.
Estque iuramenti instar, quod vt legitimum sit debet fieri
in veritate, non de falso & mendacio (esset enim periu-
rium,) & vetitum legimus iurare in nomine Dei menda-
citer, lege ita sanciente: Non assumes nomen Dei tui in
vanum. Mendacium autem seu falsum per dialecticam ar-
tem, seu rationale organum, à vero discernimus. Ecce no-
ster Salomon qui scripsit philosophiam rationalem in Pro-
uerbiis, naturalem in Ecclesiaste, de moribus per allego-
Matt. 12 riam in Cãticis. Et ecce plusquàm Salomon hîc. Matth.12.
At verò quæ reperiri potest celsior sublimiórque Philoso-
phia, Euangelio Ioannis, quod sic incipit: *In principio erat
verbum, &c.* Transcendit tanquam Aquila: Omnia hæc in-
feriora, ipsúmque iustitiæ solem, inconniuentibus oculis,
fixáque acie continetur ac contemplatur. Sedebat super
fontem non iuxta fontem, non procul à fonte sed supra
fontem, non hunc vel illum, sed supra fontem simpliciter
& indeterminatè, hoc est, suprà omnem fontem, qui sua
Hest. 10. eminentia omnem continet, & quod Hester. 10. legitur:
*Paruus fons creuit in fluuium, & in aquas plurimas redunda-
uit.* Sic Christi fons impleuit nedum Iudæam, nedum Sa-
mariam, sed fines orbis terræ. *Eritis mihi testes in Hierusa-
lem, & in omni Iudæa & Samaria & vsque ad vltimum terræ.*
Sic mare magnum efficitur Puteus iste, & fons Euangeli-
cus. *Reliquit mulier hydriam.* Hydriam deserere, est vetera
& antiqua peccata relinquere ad quæ non oportet iterum
redire,

redire,ne compleatur illud prouerbium. *Canis reuersus ad vomitum.* Videamus itaque fratres, vt seriò cum Samaritana non nimis serò, sed dum tempus habemus, & à Domino,cuique nostrum dicente: *Da mihi bibere, Sitio.* Sitio, inquam & valdè desidero tuam salutem, resipiscentiam, conuersionem & emendationem in meliùs, inuitamur: peccatorum occasiones effugiamus. Hydriam veterem relinquamus,& ad Dominum, verum piissimúmque animarum nostrarum custodem seu Samaritanum, qui languores nostros ipse portauit, & lethalia vulnera nostra apposito oleo & vino sanauit atque curauit: Luc. 10. conuertamur. Faxit Deus, vt cum Samaritide ista, & conciuibus suis bonis Samaritanis in Christum ex animo credentibus, in fide patrum nostrorum firmi & stabiles permaneamus, Amen. *Luc. 10.*



SABBATO, POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMAE.

De Adultera Ioan. 8.

Perrexit Iesus in montem Oliueti & diluculò iterùm venit in templum.



ADVLTERAE huius historiã esse authenticam, ne subeat vlla dubitatio, proponam ea quæ Catarinus primùm aduersus Erasmum & Caietanum, deinde Sixtus Senensis contra Anabaptistas hæreticos responderunt. Prior annotationibus aduersus Caietanum hac de historia (quàm egregium misericordiæ & clementiæ diuinæ exemplum nominat, epitheto valdè accommodato) sic scribit. Quotannis in Ecclesiis repetitur, & à sacris concionatoribus non sine fructu magno exponitur. Erasmus autem, qui nihil non mouit, & post eum Caietanus, non satis esse authenticam, neque constare

Catarinus, & Sixtus Senensis.

constare esse partem Euangelij Ioannis, audent scribere. Sed dicunt, Theophylactus, & ante illum Chrysostomus,

Nonnius poëta Græcus ac Nonnius poëta panopolitanus hanc historiam in suis ad Ioannem Commentariis & paraphrasibus prætermiserunt: idcircò non erit authentica. At cur non potius in aliam partem argumentantur? *Cyrillus Alex.* Cyrillus Alexandrinus doctor Græcus celeberrimus, in hanc historiam commentarios edidit, ergo non est in dubium reuocanda, præsertim cùm magno Ecclesiæ consensu, legatur in missa, hoc tempore, & pro suggestu, plebi enarretur.

D. Ambros. epist.58. Citat.D. Ambrosius epist.58.ad studium, & paraphrasticōs interpretatur eandem historiam, cuius verba subscribam: Cùm adulteram reperissent Iudæi, obtulerunt eam saluatori, captantes vt si absolueret eam, videretur legem soluere, qui dixerat: *Non veni legem soluere, sed adimplere*, si damnaret, videretur aduersus finem venisse propositi sui, hoc igitur præuidens Dominus, scribebat in terra.

Hier.22. Quid scribebat nisi illud Propheticum: Hierem. 22. *Terra, terra, scribe hos viros abdicatos*, quòd de Iechonia lectum est in Hieremia Propheta? Cùm Iudæi interpellant, in terra scribuntur nomina Iudæorum. Cùm adeunt Christiani, non scribuntur in terra fidelium nomina, sed in cœlo. *Nec ego te condemnabo &c.* Non damnat quasi redemptio, corrigit, quasi vita, quasi fons abluit, & quia quando se inclinat Iesus, ideò inclinat, vt iacentes eleuet, ideo erit remissio peccatorum: *Nec ego te damnabo.*

D.Amb. libr.3.de Spiritu sancto c. 2.& epistol.76. Hæc ibi D.Ambrosius, & lib.3. de SS. cap. 2. *Dominus*, ait, *digito scribebat in terra*, cùm à Iudæis adultera esset oblata, significans per figuram quando de peccatis alterius iudicamus, nostri nos debere meminisse peccati. Rursus, altera ad studium epistola, nempe in ordine 76. disertis verbis pronunciat dicens. Semper quidem decantata quæstio & celebris absolutio fuit mulieris eius quæ in libro Euangelij quòd secundum Ioannem scribitur, adulterij rea oblata Christo est. Id enim Iudæorum commenta est tergiuersatio, vt si contra legem absolueretur, contra legem prolata Domini IESV sententia teneretur. Si autem damnata esset ex lege, vacare Christi videretur gratiâ. Oblata erat adultera, hac fraude vt si eam absolueret, legem soluere videretur, sin verò damnaret, propositum sui mutaret aduentus, quia peccata omnium remissurus aduenit, denique ipse: ait Ioan. 8. *Ego non*

iudico

iudico quemquam, Reſpondit Dominus. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, &c.* Quid tam diuinum quàm iſta ſententia, vt is peccata puniat qui exors ipſe peccati ſit? Nónne ſe magis ipſe condemnat, qui in alio damnat quòd ipſe committit? *Scribebat in terra.* Quid? vtique dicens: *Feſtucam quæ in oculo eſt fratris tui vides, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non vides?* Libido enim velut feſtuca eſt, citò accenditur, properè conſumitur. Sacrilegium perfidiæ, quo Iudæi negabant propriæ ſalutis authorem, ſceleris magnitudinem perſonabat. Scribebat autem in terra digito quo legem ſcripſerat, peccatores in terra ſcribuntur, iuſti in cœlo ſicut habes dictum ad diſcipulos: *Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Luc.10. Secundò ſcripſit, vt gemino testamento Iudæos ſcias eſſe damnatos. Benè ait, quòd exierunt foras, qui nolebant eſſe cum Chriſto. Solus remanet Ieſus, quia non poteſt hoc cuiquam hominum cum Chriſto eſſe commune, vt peccata condonet. Solius hoc munus eſt Chriſti, qui tulit peccatum mundi. Eleuans Chriſtus caput, dixit mulieri, *vbi ſunt qui te accuſabant?* Vide myſteria & clementiam Chriſti. *Luc.10.*

Cùm accuſatur mulier, caput Chriſtus inclinat, eleuat autem vbi defecit accuſator. Ita nullum damnari vult, abſolui omnes. *Nemo te condemnauit?* Quomodo vtique interrogat quod videbat? Sed interrogat nobis, vt noſceremus non eſſe lapidatam. Eſt etiam humani affectus hæc conſuetudo, vt interrogemus ſæpiſſimè quod videmus. *Nec ego te damnabo.* Aduerte quomodo propriam ſententiam temperauit, vt Iudæi de abſolutione mulieri calumniari nihil poſſent, ſed in ſe magis calumniam retorquerent ſi queri vellent. Dimittitur enim mulier, non abſoluitur, quia deerat accuſator, non quia innocens approbatur. Quid ergo quererentur, qui priores à perſecutione criminis, & ab executione ſupplicij deſtiterunt? Addidit Deus, *Vade, & amodò vide ne pecces.* Emendauit ream, non crimen abſoluit. Etenim ſeueriore ſententia culpa damnatur, ſi vnuſquiſque crimen ſuum oderit, & in ſe incipiat condemnare delictum. Etenim cùm reus occiditur, perſona magis quàm culpa punitur, vbi verò culpa deponitur, abſolutio perſonæ eſt, pœna peccati.

Hactenus D. Ambroſius inſignis eccleſiæ doctor immortali, (iuxta nominis ſui etymum,) laude & honore digniſſimus. Poſterior, nempe Sixtus Senenſis, variis in

 locis,

Sixtus Senē. lib. 1. de Euangelio Ioan. *D. Hier. li. 2. cont. Pelag. 2. epist.*

locis, præsentem absoluit quæstionem. libr. 1. De Euangelio Ioannis sic scribit. Mulieris in adulterio deprehensæ historiam, ecclesia multis annis post Euangelium Ioannis in canone recepit, & partem esse Euangelij Ioannis declarauit, cùm antea in aliquod exemplaribus Græcorum & Latinorum non extaret, sicut Hieronymus in secundo aduersus Pelagianos volumine dicit.. Eius verba recitabo. Habentur tom. 2. epistolarum circa medium dialogi 2. aduersus Pelagianos, In Euangelio secundum Ioannem in multis & Gręcis & Latinis codicibus inuenitur de adultera muliere, quæ accusata est apud Dominum. Vehementer vrgebant Scribæ & Pharisæi, sed *Christus digito scribebat in terra*, eorum videlicet qui accusabant, & omnium peccata mortalium, secundum quòd scriptum est in Propheta Hierem. 17. *Relinquentes autem te, in terra scribentur.* Tandem dixit, *Qui sine peccato est, &c.* Græcè scriptum est, ἀναμάρτητος. Et quia accusatores omnes fugiunt (dederat enim verecundiæ eorum clementissimus Iudex spatium recedendi) solus remansit cum muliere. Præcepit Dominus, ne vlterius peccaret: Sed vtrum ea fecerit, nécne, scriptura non dicit. Hæc D. Hieronymus, & Euthymius in commentariis Ioannis in fine septimi capitis, Scire oportet, inquit, quòd ea quæ ab hoc loco habentur vsque ad illum. Dixit Iesus: *Ego sum lux mundi*, in exactioribus exemplaribus, aut non inueniuntur, aut obelo confossa sunt, eo quòd illegitima videantur & addita. Et huius argumentum est, quòd nullus ea sit interpretatus: nobis tamen animus est, etiam hæc declarare, quòd vtilitate non careant, sicut & caput de muliere in adulterio deprehensa, quòd inter hæc ponitur, hæc ille, qui more Græcorum loquitur, ostendens quibusdam notham & adulterinam videri huius adulteræ historiam, cùm sit legitima.

Euthym. in Ioā. 8.

Existimant autem quidam ex vetustioribus præsentem historiam huc fuisse translatam, ex Euangelio quodam Apocrypho secundum Hebræos, in quo narrationem talem fuisse descriptam Eusebius in tertio Ecclesiasticæ historiæ ex testimonio Papiæ indicat, capite vltimo, in fine prænominati libri tertij, his verbis. Simul & historiam quandam subiungit, de muliere adultera, quæ accusata est à Iudæis apud dominum. Habetur autem in Euangelio, quòd dicitur secundum Hebræos scripta ista Parabola. Hæc ibi. Cæterùm sacrosancta Ecclesia, hanc historiam

Euseb. li. 3. histor. eccl. c. vl.

singulis

ſingulis annis in ſacris myſteriis ſub nomine Ioannis Euangeliſtæ decantans, parem ei autoritatem detulit, cum cæteris eiuſdem Euangelij capitulis, & D. Ambr. ſupra recitatus ſecunda ad ſtudium epiſtola, hanc ipſam aſſerit celebrem ſemper in eccleſia fuiſſe & tanquam Euangelicam Ioannis ſcripturam fidelium omnium ore decātatam. Hactenus Sixtus, qui lib. 6. Biblioth. annot. 198. expendit, an principium octaui capituli Ioannis ſit authenticum, de quo dubitauit Caietanus, cui opponit ſe Catarinus. Rurſus idem lib. 7. de Euangelio Ioannis hæreſi. 5. obiectione 4. ſcribit Anabaptiſtas mulieris adulteræ hiſtoriam fuiſſe ſupperadditam Euangelio Ieſu, conqueri, producto Papiæ apud Euſebium, & Hieronymi contra Pelagianos teſtimonio, de quo ſuprà. *Sixtus Sent. in Biblio. li. 6. anno 198. & lib. 7.*

Reſpondet autem hoc modo: inſaniant quantum velint Anabaptiſtæ, quoniam Eccleſia Catholica ei parem authoritatem detulit cum cæteris Ioannis Euangeliſtæ capitulis. Nec propterea quòd Papias citauerit eam ex Euangelio ſecundum Hebræos, credendum eſt, quòd in Euangelio Ioannis ſcripta non fuerit, vel quod eadem vera non ſit, quia legatur, in Euangelio ſecundum Hebræos: alioquin nihil in ſacris libris verum erit, quod in aliis gentium ſcripturis inueniatur ſcriptum: Vana ſunt hæc argumenta, & reſponſione indigna. Illud verò quod ad fidem hiſtoriæ labefactādam iidem hæretici afferunt, nempè Græcos hiſtoriam iſtam in commentariis ſuis non habere, reſpondeo, quod licet in illis, hiſtoria illa explicata non ſit, non tamen ab eis repudiata eſt. Et poſſibile eſt Chryſoſtomum eam hiſtoriam expoſuiſſe, & eam deinde expoſitionem à quopiam hæretico, cui hiſtoria illa, vel hiſtoriæ explanatio non placuerit, è codice Chryſoſtomi fuiſſe detractam, hucúſque Sixti verba. Eraſmus autem in annotationibus, ex cap. 8. Ioannis, hiſtoria, inquit, de muliere adultera non habetur in pleríſque Græcis exemplaribus. In nonnullis adiecta erat in calce, Atque ideò Chryſoſtomus nullam facit huius mentionem, ediſſerens Euangelium Ioannis, & ad eundem modum legit Theophylactus, cum alioqui perpetuam in totum Ioannis Euangelium commentationem ſcripſerit. *Eraſ. in annotat.*

Quibus leuibus coniecturis ſuprà reſponſum eſt. Hanc hiſtoriam non adiectam eſſe, ſed vere eſſe D. Ioannis, probat Eccleſiæ conſenſus, quippe qui, vt Euangelio dignam

comprobarit. Veniat in mentem Diui Augustini grauissimum Apophtegma, *Euangelio non crederem nisi me Catholica Ecclesia commoueret authoritas.* Hæc ille tom. 6. contra Epistolam fundamenti cap. 5. Citat & D. Chrysostomus homil.60. in Ioannem circa principia, hanc historiam, leuiter attingens illam. Cùm rogauerunt, inquit, an liceret censum dari Cæsari, & an lapidanda esset adultera: non dicendi studium, sed maleuolam mentem præ se tulerunt. hæc ille. Quòd minimè facturus videretur, si eam apocrypham, non autem Canonicam & Authenticam existimasset. Beza suum addit calculum, sub finem septimi capitis in Ioannem. Ad me quidem quod attinet, non dissimulo "mihi meritò suspectum esse, quòd veteres illi (Chrysosto- "mum, Theophylactum, Nonnum, Eusebiumque intelli- "git) reiecerint, Deinde quòd narrat Ioannem solum fuisse "relictum cum muliere in templo, nescio quàm sit pro- "babile: Et quod scribit Iesum digito scripsisse in terra, "nouum mihi & insolens videtur, nec possum coniicere "quomodo possit satis commodè explicari.

D.Chry. in Ioan. hom. 60.

Beza in 7.c.Ioan.

"Tanta denique lectionis varietas facit vt de totius historiæ fide dubitem. Hæc vesanus ille censor, qui magno supercilio, prætenso veterum nomine & authoritate, (quam conculcare nihilíque facere solet,) hanc repudiat historiam: & tanquam absurda reiicit, quæ hac comprehenduntur historia, de cuius fide sic dubitare non abnuit, ô monstrum in extremas terras deportandum! Rectè quidem à Theologis dictum est. *Qui dubitat in fide, infidelis est.* Tales itáque Bezas sebas ac rebelles seu refractarios, cum infidelibus iure optimo computabimus. Sed nunc ad ipsam historiam aggrediamur.

Perrexit Iesus in montem Oliueti & diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & docebat eos: Studium Christi erga populi salutem his declaratur, non enim conquiescit vel otiatur, sed totus est in theoria & praxi seu in vita contemplatiua pernoctando, in oratione, & in vita actiua prædicando in templo. Huius exemplo non otientur prælati Ecclesiæ, sed in pascendo populo spirituali pabulo sint occupati, vt sicut dicit in hunc locum. D. Cyrillus Alexandrinus prædicationi oratio, & orationi succedat prædicatio. Luc.6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Sic & in edocendo populo diligentem nauabat operam: necessitatibus eorum magna cura prouidens

D.Cyril-lus Alexandr.in Ioan.

Luc.6.

prouidens. Sic & apud Casſiodorum in Tripertita. libr. 7. cap. 34. Legitur, de ſanctis viris Eulogio & Protogene: Sacratiſſimus quidem Eulogius in habitaculo ſuo conſiſtens, tota die totáque nocte, omnium deprecabatur Deum: Protogenes autem literis eruditus, adoleſcentium magiſter effectus eſt, quos diuina erudiebat eloquia, & ad ſacrum baptiſma ſuſcipiendum hortabatur. Si quando verò alicui ſuaſiſſet, vt ſacram gratiam mereretur accipere, ducebat eum ad Eulogium (is erat præſul ſeu Epiſcopus Edeſſenorum Meſopotamiæ) & concutiens ianuam, rogabat vt aperiret, ac ſignum Dominicum, ei qui fuerat renatus, imponeret, ex quo patet confirmationis ſacramentum quod à ſolo Epiſcopo miniſtratur baptizato, intelligi oportere, (Cúmque ille difficilius aperiret, ne intercideret orationem, dicebat potius eſſe neceſſariam ſalutem errantium. *Caſſiod. hiſt. lib. 7. cap. 34.*

Hæc ibi. Populi etiam ad audiendumdominicum verbum feruor atque deuotio deſcribitur, non autem magnatum & principum, Scribarum ac Phariſæorum, qui tentantes dominum, & calumniam illi ſtatuentes in ſequentibus, depinguntur. Vulgò dicitur, *Arcus tenſus rumpitur.* Quomodo igitur abſque intermiſſione Chriſtus, noctu quidem orat, interdiu verò & valde manè docet populum? ô magnum eius erga ſalutem noſtram procurandam deſiderium, erga promouendam vtilitatem electorum ſtudium! Noctes ducit inſomnes, Non dat ſomnum oculis ſuis, nec palpebris ſuis dormitationem, non requiem temporibus ſuis. Sic dicebat ad Laban patriarcha Iacob. Geneſ. 31. *Die noctúque æſtu vrebar & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis: ſicque per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi.* Sic Luc. 2. *Paſtores cuſtodiebant vigilias noctis ſuper gregem ſuum.* Sic. 2. Timoth. 4. Epiſcopum, inſtruit Apoſtolus & concionatorem. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ.* Sic principes populorum, reges, ac iudices ſeu magiſtratus vigilantes eſſe oportet. *Gene. 31. Luc. 2. 2. Timot. 4.*

Plutarchus tom. 3. Opuſculorum de doctrina principum. Perſorum rex, inquit, vnum habebat cubicularium, cui hoc negotij mandatum erat, vt diluculo ingreſſus illi diceret ſurge rex, atque ea cura negotia quę te curare voluit Meſoromaſides. (Erat is Deus Perſarum, vel vt Chriſtianè dicam, Magnum Idolum Perſarum.) Homerus dictum Agamemnoni memorat, (Et nunc reges intelligite eru- *Pluta. to. 3. opuſc. de doctr. princip. Homer.*

 dimini

Psal.2. dimini qui iudicatis terrã. Psa.2.) ἰλιαδ.β. circa principiũ.

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε, id est,
Non oportet per totam noctem dormire consiliarium virum,
Cui populi sunt commissi, & tot curæ sunt.

Homer⁹ ἰλιαδ. α. Idem depingit Agamemnonem regem vigilantem nec capientem somnum præ officio boni magistratus. ἰλιαδ. K. Hoc est lib.10. ipso statim exordio, sic.

Ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες παναχαιῶν
εὗδον παννύχιοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ
ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν
ὕπνος ἔχε γλυκερὸς, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα, idest,
Alij quidem apud naues optimates Achiuorum
Dormiebant per noctes, molli domiti somno:
Verùm non Atridem Agamemnonem pastorem populorum
Somnus tenebat dulcis, multa in mentibus voluentem.

Plutarchus tom.3. Opusculorum, Num seni gerenda sit *Plutar. to.3.opuscu. Num seni ger. sit re.* Respublica, post principia, profert quorundam exempla qui ita ad artem quam exercebant, contentione animi toti erant veluti affixi, vt de nulla alia re omnino cogitarent. Niciam pictorem vsque adeò artis suæ operibus oblectatum ferunt, vt à domesticis & familiaribus suis sæpè fuerit percontatus, num lauisset, num prandium comedisset. Quinetiam Archimedem Geometricæ tabulæ affixum ministri vi auellere, & vt lauaret, vestibus sæpè exuere solebant: interim tamen à meditationibus & studiis, etiam dum vngeretur, diuelli non poterat. Nam corpusculum vnguentis delibutum, vndique figurarum notis depingebat. Et Carneades referente Valerio libr. 8. *Valer. li. 8.c.7.* cap.7. de studio & industria, laboriosus & diuturnus sapiẽtiæ miles extitit, cui idem viuendi ac Philosophandi finis fuit. Ita se mirificum doctrinæ operibus addixerat, vt cum cibi capiendi caussa recubuisset, cogitationibus inhærens manum ad mensam porrigere obliuisceretur. Sed cum Melissa, quem vxoris loco habebat, temperato inter studia non interpellandi, sed inediæ succurendi officio, dexteram suam necessariis vsibus aptabat. His autem omnibus longè addictior in salute nostra operanda fuit Christus, in spiritualibus quàm occupatissimus, adeò vt, *Plutarc. vbi supra.* ad puteum Iacob post meridiem adhuc ieiunus, necdum tamen cibum caperet, & per totam noctem frequenter non dormiret. Scribit Plutarchus loco præcitato, Num seni

ſeni gerenda ſit Reſp. poſt media, Dionyſius ſenior interroganti cuidam num otioſus eſſet, Abſit, ne mihi tale quicquam vnquam contingat, reſpondit, Arcum autem continuò intentum rumpi ſolere, itidem & animũ, quum is remittitur, aiunt. Refertur autẽ in Epitaphio Theophraſti, apud Laërtium de vita philoſophorum. libr. 5. Carmen Græcum ad hoc propoſitum, quod ſic Latinè vertitur. *Laërti. lib. 5.*

Haud vanè quidam, ſtudij, ſi fortè relaxes,
Rumpi arcum dixit quiſquis homo ille fuit.
Nam vegetus Theophraſtus erat firmúſque labore
Laxauit poſtquam membra labore obiit.

In Eraſmi chiliadibus, chil. 4. cent. 5. ad 77. Sic reperitur etiam, quibuſdam paululùm immutatis. *Eraſ. in chil.*

Ad montem Oliueti perrexiſſe memoratur. Mons verò Oliueti, inquit, Cyrillus ibi, altitudinem & copiam diuinæ ſignificat miſericordiæ, per Meſſiæ aduentum nobis affluenter oſtenſæ. Nempè olei nomine in ſcripturis Dei miſericordia ſæpiùs exprimitur, quòd illius natura, huius conditioni congruat. Superfertur enim oleum cæteris liquoribus, atq; ſupernatat: ita miſericordia omnibus ſupereminet Dei operibus, & plus cæteris in homines eluceſcit. *Miſericordia enim ſuperexaltat iudicium.* Iac. 2. & in Pſalm. *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Inſuper oleũ dolores vulnerum mitigat, & ſanat tumores ac vlcera. Hinc. Luc. 10. *Alligauit vulnera eius & infudit oleum & vinum.* Dei verò miſericordia plagas animæ noſtræ curat, omnemque depellit languorem peccati, vt inquit pſaltes, *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, &c.* Demùm qui palæſtram ſubire debebant, aut luctam, oleo delibuti prodibant in medium, quo eorum corpora ad id genus certaminis eſſent accommodatiora. Sic in acie contra aërias poteſtates certaturis ſuam Deus miſericordiam elargitur: ea nos præuenit, ſuggeritque vires, quibus in tam difficili prælio ope ſua muniti tandem victores euadamus, Pſalmiſta, *Dominus illuminatio mea quem timebo? Deus meus miſericordia eius præueniet me.* Porrò diluculum, quo Chriſtus venit in templum, exortũ nouæ gratiæ deſignat per aſſumptionem carnis mundo exhibitum. Tunc enim depulſa caligine errorum atque vitiorum exortum eſt in tenebris lumen rectis corde, ambulantibúſque in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Solet enim ſcriptura, diei nomi- *Cyrill. alexand. in Ioan.* *Iac. 2.* *Luc. 10.*

Rom. 13. ne. Euangelicę gratię tempus designare. Rom. 13. *Nox præcessit, dies autē appropinquauit, sicut in die honestè ambulemus.* Hęc ille. D. August. to. 9. tract. 33. in Ioann. exponens hoc Euangelium, *in montem Oliueti*, inquit, *perrexit*, in montem fructuosum, in montem vnguenti, in montem Chrismatis Christi nomen à Chrismate dictum est. Chrisma autem Gręcè, latinè vnctio nuncupatur. Ideo autem nos vnxit, quia luctatores contra Diabolum fecit.

D. Aug. to. 9. tracta. 33. in Ioannē.

Omnis populus venit ad eum &c. Vt oues ad pastorem, discipuli ad magistrum, afflicti ad consolatorem, ęgri ad medicum, lassati & onerati, ad eum qui reficere ac refocillare eos posset & vellet Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, &c. & inuenietis requiem animabus vestris.* Omnes Christus ad se pelliciebat & attrahebat: Vt Adamas trahit chalibem, magnes ferrum, & electrum siue succinum stipulam, Panthera cæteras animātes, Delphinus reliquos pisces, primum mobile suo motu ciet & torquet, alios orbes inferiores, sol vapores & exhalationes sursum tollit, & Eliotropium siue solsequium sequitur solis motum. Sic vniuersus ad Christum cōfluebat populus, omnia trahebat ad seipsum. in Canticis dicitur: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Mat. 11.

Adducunt mulierem in adulterio deprehensam, & eam statuunt in medio. Statuitur Misera cum misericordia. *Cogitauerunt consilia quæ non potuerunt stabilire*, inquit Regius vates. *Non est enim consilium contra Dominum.* Prouerb. 21. *nec sapientiam vincit malitia.* Sap. 7. Dixerant illi, apud semetipsos, inquit, D. Augustin. vbi supra. Verax putatur, māsuetus videtur, de Iustitia illi quærenda calumnia est: Offeramus ei mulierem in adulterio deprehensam, Dicamus quid de illa in lege præceptum sit: si eam iusserit lapidare, mansuetudinem non habebit: si eam dimitti censuerit, iustitiam non tenebit, vt autem mansuetudinem, inquiūt, non perdat, in qua populis iam amabilis factus est, sine dubio eam dimitti debere dicturus est, hinc nos inueniemus accusandi occasionem, & eum reum faciemus, tanquam legis præuaricatorem, dicentes ei: hostis es legis, contra Moysem respondes, imò contra eum qui per Moysem legem dedit: reus es mortis, cum illa & tu ipse lapidandus es. *Dicunt ei Magister, Hæc mulier, &c.* Cyrillus Magistrum vocant, cuius discipuli omnino esse recusant. Cæco enim à Christo illuminato, capit. 9. huius Euangel. dixe

Prou. 21. Sap 7.

Cyrill. Alex. in Ioannē. Ioan. 9.

dixerunt: *Tu discipulus illius sis, nos Moysi discipuli sumus.* Magistrum vocant, cuius cœlestem irrident doctrinam. Luc. 16. Audiebant omnia hæc Pharisæi qui erant auari: & deridebant illum. Imò totum eorum erat studium, calumniari verba Christi, & reprehendere: Matth. 22. *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt vt caperent eum in sermone.* Denique Magistrum vocant, quem improbis vocibus, populi seductorem esse delatrant. *Mat. 22.*

Namque *nonnullis dicentibus de domino quod bonus esset. Ioann. 7.* Pharisæi cum suis sectatoribus dixerunt: *Non, sed seducit turbas,* & postquam reuersi sunt eorum ministri non adducto Domino, cùm dicerent : *Nunquam sic locutus est homo, Responderunt eis Pharisæi. Nunquid & vos seducti estis? Ibidem.* Mortuo item Christo conuenerunt Pharisæi ad Pilatum Matth. 27. dicentes. *Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, Post tres dies resurgam.* Cæterùm qui alios enecare veneno student, illud melle circumlitum & temperatum porrigunt, vt Lurida veneni lues, mellis permixta dulcedini, lateat magis, faciliùs ingrediatur ignota, & maiorem inferat perniciem non præuisa, ita his verborum blanditiis & palpatione adulatoria, Pharisæi suæ malitiæ virus abscondere satagunt, vt suarum fraudum laqueis Dominum faciliùs implicent, & incautum inuoluant. Proponunt quidem in adulterio deprehensam, Mosis legem adducunt, vt si eam à pœna legis absoluat, impunitámque sinat abire, protinus vt præuaricatorem legis iustè accusare videantur & persequi: Sin verò eam pro legis sententia dicat saxis opprimendam, continuò eum ludibrio habeant, quòd misericordiam magnopere verbis prædicet, quam tamen opere non comprobet, seruata legis seueritate, reddant exinde eum odiosum & inuisum populo, cui gratissimum ipsum esse compertum habebant, ob misericordiam & clementiam, accedentes ad se publicanos & peccatores, cum incredibili benignitate in suum admittens consortium, & cum eis manducans, hactenus Cyrillus Cui concinit ac subscribit Euthymius in hoc Euangelium sic dicens : Cognoscentes eum misericordem esse, ac compatientem, cogitabant quòd esset illi parciturus, & ita habituri essent aduersus eum accusationem, vt pote legis transgressione illi parcentem, quæ secundum legem lapidanda erat. Quæri non immeritò potest. Cui mulierculam ducunt solam, *Ioan. 7.* *Mat. 27.* *Euthymius in Ioannē.*

quia non cum ea mœchum quoque, cùm in ipso facto, ἐν ἔργῳ ἐπ' αὐτοφώρῳ, hoc est, manifestè ita vt negari nõ possit (sic cum Iurisconsultis appositè dicitur) in facinore ipso deprehensam esse dicant? Personarum ergo respectu peccarunt. Quod Anacharsis Scytha de legibus dicebat: Leges Aranearum telis similes esse inter Iudæorum proceres iam obtinuerat: Eleganter dixit Poëta:

Anacharsis.

Ouidius.

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Valerius lib. 7. c. 2.

Valerius libr. 7. cap. 2. de sapienter dictis. Quàm subtiliter Anacharsis leges aranearum telis comparabat: Nam vt illas infirmiora animalia retinere, valentiora transmittere, ita his humiles & pauperes constringi, diuites & præpotentes non alligari videmus. Virum oportuit pudicitiam potius colere, & libidinem frenare, cùm vir sit mulieris caput, & à virtute dicatur, Constantiórque in bono & ad malum minus inclinatus esse debuerit. Mulier autem à mollitie dicta, infirmior esse dicitur ob sexum. Apostolorum coriphæo dicente. 1. Petr. 3. *Viri, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, &c.* Opportunum videtur citare D. Augustini sententiam ad rem maximè facientem. Is tom. 6. de Adulterinis coniugiis ad Pollentium libr. 2. capit. 7.. Nonnulli inimici veræ fidei, ait, credo metuentes peccandi impunitatem dari vxoribus suis. Illud quòd de Adulteræ indulgentia dominus fecit, abstulerunt de Codicibus suis, (Nota hæc verba, Optime lector,) quasi permissionem peccandi tribuerit qui dixit: Deinceps noli peccare Accusatores conscientia territi recesserunt, Isti autem & ægroti medicum reprehendunt. Rursus ibi Capit. 8. Respondent, Sed nos viri sumus. Quasi non propterea magis debeant illicitas cõcupiscentias viriliter frenare quia viri sunt, quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis huius exemplum se præbere quia viri sunt, quasi non propterea minus debeant libidine superari, quia viri sunt, quasi non propterea minus debeant lasciuienti carni seruire quia viri sunt, & tamen indignantur si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cum tanto grauiùs eos puniri oportuerit, quantomagis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. *Caput mulieris vir, &c.* Legant quid Imperator Antonius non vtique Christianus de hac re constituerit, vbi maritus vxorem de adulterij crimine accusare nõ sinitur, cui

1. Pet. 3.

D. Aug. to. 6. de adult. cõiugiis li. 2. cap. 7. & 8.

cui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, Ita vt ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse conuicerit. Supradicti Imperatoris apud Gregorianum leguntur verba. Periniquum, ait, mihi videtur esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibet, quæ res potest & virum damnare. Hucusque protenduntur. August. verba. Obserua interim quod propter hæreditatis tráslationem ad alios non legitimos filios ac hæredes, sed nothos ac spurios propter & alias circunstantias, grauior est vxoris adulteræ culpa quàm viri, sed quoad ipsum adulterij factum, vtrinque peccatur ex æquo, & pœnam vtrisque Deus constituit. *Gregorianus codex.*

Aduerte quoque quòd adulteriũ furto grauiùs & atrocius scelus est, Prouerb. 6. *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit* (nempe in comparatione ad grauiora & deteriora crimina) *Furatur enim vt esurientem impleat animam, deprehensus quoque reddet septuplum. Qui adulter est propter cordis inopiam perdet animam suam, &c.* Ratio in promptu est. Nam leuior est facultatum, quàm honoris & famæ iactura, Fertque ægriùs homo iniuriam sibi illatam in coniuge & vxore sua quæ est animæ suæ dimidium, vt cum poëta loquar, vel meliùs, vt sacra loquitur pagina, *Vxor & ipse sunt vna caro, debéntque esse cor vnũ & anima vna* quàm detrimentum bonorum suorum terrenotum. Confert autem sapiens furtum cum Adulterio: Nam & adulterio furtum coniunctum est quia illegitimæ & adulterinæ proles supponuntur, & quoniam pro legitimæ habentur, hæreditatem alienam intercipiunt. Homicidium quoque coniunctum est adulterio, quod Dauidis erga Vriam factum, aliáque exempla facilè probant. Grande ergo crimen est Adulterium, quod secum tot inuoluit scelera & quod apud omnes ferè nationes pœna aliqua vindicatur sicut hìc etiam dicitur. *Prou. 6.*

Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Extat lex Leuit. 20. *Qui adulterium perpetrauerit cum vxore proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.* Deuter. 22. *Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, id est, adulter & adultera, & auferes malum de Israël,* Subiũgitur ibidem. *Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea, educes vtrumque ad portam ciuitatis & lapidibus obruentur, illa quia non clamauit cùm esset in ciuitate, iste, quia humiliauit vxorẽ proximi sui & auferes malum* *Leuit. 20 Deut. 22*

malum de medio tui. Consequitur itaque in more fuisse positum vt adulteri lapidarentur. Erat enim hæc praxis crimi-
Gen. 12. nalis. Ex sacra Genesis historia, cap. 12. Sara sublata est in Ægypto in domũ Pharaonis, flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abraham, licet ignoraret vxorem esse alterius.
Gen. 20. Abimelech item, Genes. 20. Rex Gerare, ignorans tulit eandem cui Dominus per somnium, *En morieris*, ait, *propter mulierem quam tulisti, habet enim virum & non dimisi vt tangeres illam. Redde viro suo vxorem, & orabit pro te quia propheta est & viues. Orante Abraham sanauit Deus Abimelech & vxorem ancillásque eius, & pepererunt. Concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Sa-*
Gen. 38. *ram.* Genes. 38. de Thamar legitur. *Producite eum vt comburatur, quia nuntiatum est de ea quòd fornicata esset & videre-*
Gen. 19. *tur vterus illius intumescere, &c.* c. 19. Patriarcha Ioseph vitæ periculum ac discrimen subire præoptauit, quàm thorum alienum nempe domini sui polluere. In libro Iudicum ca.
Iudic. 19. & 20. 19. agitur de Leuitæ vxore à Beniamitis in Gabaa constuprata & de exorto inde bello, & cap. 20. ob id in conflictu maxima pars Benjamin interiisse describitur. In historia Regum, Dauid à Domino punitur, ob adulterium cũ Bersabee perpetratum primò in Absalonis filij sui rebellione, & Semei iniuriis ac contumeliis, & denique multis aliis modis quos colligere licet ex eadem sacra historia.
Hiere. 5. inter Babylonicæ captiuitatis causas apud Hieremiam capit. 5. Hæc quoque ponitur. *Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinnièbat. Nunquid super his non visitabo?* Apud Danielem 13. cap. legitur quomodo duo senes falsi Iudices, grauiter puniti sunt, quia Susannam violare & opprimere voluerunt. Sic iustum Dei aduersus adulteros relucet iudicium. Tobiæ. cap. 4. *Præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Ex quo patet Adulterium crimen esse, In profanis historiis celebrantur clades, cedes, bella, & maxima quæque incommoda quæ obuenerunt ob Helenæ raptum & ob Lucretiæ stuprum, hinc illæ lachrymæ, Periit Ilium, ideo Romanorum reges pulsi, & Reipublicæ forma mutata. Quid plura? Deficeret me, sanè tempus enarrantem incommoda & mala quæ propter adulterium inuecta sunt & importata in mundum. Nunc quòd erat inter manus prosequamur. Apud exteras gentes variè supplicium de adulteris sumptum est.

Narrat

Narrat Valerius lib.6.ca.5. de Iustitia, quomodo Zaleucus Locrensium legislator, ius constituerit, vt adulterij crimine damnatus vtróque oculo carere deberet. Cúmque filius eius reus ageretur, & tota ciuitas in honorem patris pœnæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit. Ad vltimũ precibus populi euictus, suo priùs, deinde filij oculo eruto, vsum videndi vtrique reliquit, se inter misericordem patrem & iustum legislatorem partitus. De hoc quoque sic Ælianus scripsit variæ historiæ lib. 13. cap. 24. Zaleucus legislator Locrensium iussit, vt adultero deprehenso, vterque oculus effoderetur. Quæ verò minimè expectarat, ea præter spem atque opinionem ipsi fortuna quędam obtulit.

Nam filius eius deprehensus in adulterio, pœnam à paterna lege statutam luere debuit. Ibi ne quod semel omnium sententiis confirmatum erat, irritum fieret, ipse, pro altero filij oculo, sibi alterum eximi passus est, vt ne prorsus cæcus fieret adolescens. Hæc ibi. Diodorus Siculus Bibliothecæ lib.1.parte 2. cap.3. de Legibus ac iudiciis Ægyptiorum, Ei, inquit, qui liberam mulierem violasset, virilia execabantur, quoniam vno crimine tria haud parua scelera complexus esset, nimirum corruptelam, iniuriam, & liberorum confusionem, Si quis sine vi adulterauerat, virgis cædebatur, ad mille plagas, mulier, naso mutilabatur. Existimabant enim mulierem sese ad illicitam incontinentiam exornantem, oportere ea parte mutilari, qua maximè facies exornatur. Idem libro 1.part. 2.cap.1. circa finem, ostendit adulteria fuisse igne punita. Sesostris (in genitiuo) filius, Ægypti rex oculis captus, decimo post anno responso ei reddito, lotium mulieris acciperet, quæ nullum nisi proprium nosset virum, ab vxore propria incipiens, cùm multas expertus esset, nullam reperit incorruptam præter Hortulani cuiusdam quam visu restituto vxorem cepit, reliquas omnes in villa quadam viuas combussit quem locum postea Ægyptij sacram glebam vocauerunt. Hoc ipsum sic Herodotus narrat lib. 2. circa media. Defuncto Sesostre regnum suscepisse Pheronem eius filium aiebant, eique contigisse vt luminibus caperetur, decimóque cæcum fuisse, vndecimo autem anno, ei oraculum aduenit, visum ei rediturum, si oculos, abluisset lotio mulieris, quæ ad suum solum virũ accessisset, aliorum virorum expers. Eum ergo ante omnia vrinam

Diodor⁹ li.1.part. 2.c.3. & 1.cap.

Herodotus lib.2.

vxoris

vxoris expertum, quum nihil amplius cerneret, cæterarum deinceps vrinam expertum tandem vidiſſe. Túmque omnes mulieres quas fuiſſet expertus (præter eam cuius lotio lotus viſum recepiſſet) vnam in vrbem coëgiſſet, quæ ἐρυθρὴ βῶλος, id eſt, rubra gleba, dicitur, & eas illic coactas cum ipſa vrbe omnes concremaſſe, & eam cuius lotio lotus viſum recepiſſet, vxorem duxiſſe. Hactenus ille. Concordant ea quæ de Thamar prolata ſunt quam Iudas ſocer eius & populi iudex, quia pactas cum filio ſuo Zela nuptias prophanaſſe putabat, & datam in futurum matrimonium fidem præuaricatam fuiſſe exiſtimabat: rapi ſine mora vt combureretur iuſſit, periſſétque illo iudicio, niſi pignora ſocero ingeſſiſſet quibus clarè conuincebat ſeſe ab illo grauidam eſſe. In eadem quoque geneſi ſacra edictum continetur de vxore Iſaac *qui tetigerit viri illius vxorem morte moriatur*, ergo patet in lege naturæ adulterium fuiſſe capitale, & ignis vſtulatione fuiſſe vindicatum. Apud Valerium lib. 6. cap. 1. de pudicitia, Sampronius Muſca Gallium deprehenſum in adulterio, flagellis cecidit. Carbo Accienus à Vibieno, item Pontius à P. Ceruio deprehenſi caſtrati ſunt. Et Suetonius in Auguſto §. 67. Proculum, inquit ex acceptiſſimis libertis ille mori coëgit, compertum adulterare matronas. Flauius Vopiſcus Syracuſius in Diuo Aureliano ſcribit circa principia, ſolus omnium militem qui adulterium cum hoſpitis vxore cõmiſerat, ita puniuit vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis delegaret eaſdémque ſubitò dimitteret, vt ſciſſus ille vtrinque penderet. Quæ res ingentem timorem omnibus fecit, vt nimirum ſciſſus ac diſtractus à ſe quemadmodum quod vnum eſt mulierem à marito, ſeiunxit, ille vtrinque pendens ederet aliis pulcherrimum exemplum publicæ diſciplinæ, vt annotat Ærodius lib. 5. Decretorum, titul. 6. ad Le. Iuliam de adulteriis. In fine vitæ Aureliani ſic habetur apud Vopiſcum Ancillam ſuam, quæ adulterium cum ſeruo ſuo fecerat, capite puniuit. Iulius Capitolinus in Oppilio, Macrino imperatore circa finem, adulterij reos, ſcribit, ſemper viuos ſimul incendit iunctis corporibus. Stobæus ſermone quadrageſimo ſecundo, de Legibus, ex Nicolai ſcriptis de moribus gentium, refert dicens: apud Biſidas adulterij coniunctus per vrbem vnà cum muliere circumducitur ſuper Aſino, ad dies aliquot.

Valerius lib. 6. c. 1.

Suetoni⁹ in Auguſto. §. 67.

Vopiſcus.

Iuli⁹ Capitolinus in Macrino Imp.

Stobæus ſermone. 42.

Hinc

Hinc valdè cõforme eſt ac conſonum quod narratur apud Plutarchum tomo primo Opuſculorum in problematis de quæſtionibus Græcis quæſtione ſecunda quæ eſt apud Cinnæos Onobatis, nomen hoc à conſenſo aſino eſt factum. Deprehenſam in adulterio mulierem in forum *Plutarc.* producebant, & in lapide omnibus conſpicuo ſiſtebant, *to. 1. Opuſculorũ* Deinde aſino impoſitam, circa vrbem circunducebant. Poſteà rurſum in eodem lapide adſtare coacta, infamis *quæſt. 2.* per totam habebatur vitam, & vocabatur Onobatis. Lapidem autem ob eam rem vt pollutum abhominabantur, hactenus Plutarchus. Meminit Eraſmus in Chiliad. quarta, centuria ſexta Adagio vigeſimo ſexto, ὀνοβάτις. dicebatur quod aſinum equitaſſet. *Eraſmus in Chil.*

Sic apud Cumanos ſumma ignominia ſupplicij loco erat in vltionem adulterij. Nunc apud Chriſtianos ludus eſt adulterium apud quos verè matrimonium eſt ſacramentum. Idem Chiliad. 1. cent. 9. Adag. vigeſimonono Tenedia bipennis. Tenedius quidam rex, inquit, legem tulit in adulteros vt vtriuſque corpus ſecuri conſcideretur: eiúſque legis exemplum etiam in filium edidit proinde in numiſmate iuſſit inſculpi ex altera parte ſecurim, altera duos vultus ex eadem ceruice prominentes cuius rei meminit & Stephanus in vrbium *Stephanus de* Catalogo ac Heraclides de politiis. *Vrbibus.*

Prior ille in dictione τένεδος ſic Græcè habet, ὥς φησιν *Heraclides de Politiis.* Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Τενεδίων πολιτείᾳ, ὅτι βασιλεύς τις ἐν Τενέδῳ νόμον ἔθηκε τὸν καταλαμβάνοντα μοιχοὺς, ἀναιρεῖν πελέκει ἀμφοτέρους. ἐπειδὴ δὲ συνέβη τὸν υἱὸν αὐτοῦ καταληφθῆναι μοιχὸν, ἐκύρωσε καὶ περὶ τοῦ παιδὸς τηρηθῆναι τὸν νόμον. διὰ τοῦτο φησὶ καὶ ἐπὶ τοῦ νομίσματος τῶν Τενεδίων κεχαράχθαι ἐν μὲν τῷ ἑτέρῳ μέρει, πέλεκυν ἐπὶ δὲ τοῦ ἑτέρου, δύο κεφαλὰς, εἰς ὑπόμνησιν τοῦ περὶ τὸν παῖδα παθήματος. Latinè ſic verto ſicut dicit Ariſtoteles in republica Tenediorum, quod rex quidam in Tenedo legem tulit, reos peragentem Mœchos: vt ambo ſecuri tollerentur ac ferirentur.

Poſtquam autem accidit filium eius in adulterio comprehendi, ratam habuit & ſeruandam eſſe legem approbauit in proprium filium. Propter hoc, inquit, & in numiſmate Tenediorum imprimi fecit ex altera quidem parte ſecurim, in altera autem duo capita, in recordatione eius, quem filius eius ſubierat paſſionis. Poſterior referente Hærodio libro quinto Decretorum titulo ſexto ad legem Iuliam

Iuliam de adulteriis coercendis in hanc ſcripſit ſententiam : Tenues rex Tenediorum cùm legem poſuiſſet vt ſi quis adulterum deprehendiſſet, eum ſecuri interficeret: filio ſuo deprehenſo, interroganti quid fieri oporteret, reſpondit, lege vtendum eſſe & deinceps ob hanc cauſam in altera parte numiſmatis ſecurim, in altera viri atque mulieris imaginem inſculpſit dependentem ex vno collo, vt demonſtraret (opinor) vno ictu feriri oportere adulterum & adulteram, ſeque iſtius iuris auctorem, aut laudatorem eſſe. Hæc ibi. A. Gellius lib. 10. Cap. 23. verba M. Catonis adſcripſit ex oratione quæ inſcribitur de dote, in adulterio vxores deprehenſas ius fuiſſe maritis necare, ibi ſcriptum eſt verùm tam viro quàm mulieri debuit lex eſſe æqualis.

A. Gelli⁹ lib. 10. ca. 23.

Ex Hæraclide de politiis reipub. Athenienſium narratur ad hunc modum Hippomenes vnus de Codridis, cùm apud filiam Linonam adulterum deprehendiſſet hũc quidem vna cum filia ad currum illigatum interfecit: illam verò cum equo ſub iugum conſtrinxit, donec mortem obiret. In republ. autem Tenediorum ſic habetur apud eundem, legem quandam poſuiſſe rex Tenues fertur, ſi quis adulterum deprehendiſſet vt eum ſecuri trucidaret. Deprehenſo vero filio ipſius cùm is qui deprehenderat, regem quid faciendum rogaſſet, reſpondit, lege vteretur. Et ob hanc cauſam in altera parte numiſmatum ſuorum ſæcurim inſculpſit, in altera viri atque mulieris faciem ex vno collo dependentem, hęc ibi. In repl. Leprehatarum ſic narratur. Leprehenſes, ſi quos adulteros ceperint, vinctos per vrbem totum triduum circunducunt, & perpetuam infămiæ notam illis inurunt.

Mulierem verò per vndecim dies amictam tunica pellucida diſcinctáque in foro ſtatuunt & infamia afficiunt. Hæc ibi. *Apud Romanos*, lex Iulia lata erat de adulteriis, lege 23. D. ad legem Iuliam de adulteriis. Labeo ita probat & Ponopius ſcripſit in ipſis rebus venereis deprehenſum occidi, & hoc eſt quod Solon & Draco dicunt ἐν ἔργῳ lege decima tertia §. index adulterij D. eodem. Iudex adulterij ante oculos habere debet, & inquirere an maritus pudicè viuens mulieri quoque bonos mores colendi author fuerit, periniquum enim videtur eſſe, vt pudicitiam vir ab vxore exigat quam ipſe non exhibeat, quæ res poteſt & virum damnare. Et lege 30. in Fine C. ad legem

Iuliam

Iuliam de adulteriis, ſacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet. Lege item 12. tabularum tit. 11. de iniuriis ſic caueatur: *Mœchum in adulterio deprehenſum necato.* Imperatoris Leonis Conſtitutio. 32. de adulteris manifeſtè deprehenſis, pro maxima miſericordia ſtatuit, vt Naſus deteſtandis illis ambobus abſcindatur, atque vt reſcindatur peccati occaſio, mulier in poſterum in monaſterium velut in exilium detrudatur.

Polydorus Virgilius libro vltimo hiſtoriæ angelicæ. Henricus octauus Anglorum Rex, inquit, Annam Bulleyne vxorem ſuam in adulterio deprehenſam, cum ſuis mœchis capite repentè puniuit. Apud Turcas etiam non manet impunitum aut inultum adulterij crimen, Alchoranum ſiquidem ſeu collectio præceptorum impiiſſimi ac impuriſſimi Mahometi ita fert Azoara ſeu cap. 34. Omnis adulterans centum ictus ſuſcipiat in multorum præſentia. Narrat tom. 1. Operum, Apologia pro mercede conductis circa principia Lucianus, Salæthi cuiuſdam legem contra adulteros duriſſimam quam Crotoniatis tuliſſet, Iuſſitque eos in ignem coniici. Paulò pòſt cum fratris ſui vxore in adulterio fuit deprehenſus: qui quod fecit (vt ipſe dum cauſam diceret fatebatur) amore captus fecit, & voluntarius, nihil reluctans in ignem animo magno inſiliit: tametſi Crotoniatæ hominis miſerebantur: & ſi luberet exulandi facultatem permittebant. Hæc ille. Memoria digniſſimum eſt quod Plutarchus tom. 1. Opuſc. in Apoph. laconic. de Licurgo ſcribens, affirmat, tantam fuiſſe illo tempore mulierum pudicitiam, vt crimen adulterij apud ipſas habitum ſit pro incredibili, ac ſermo memoria fertur Geradatæ cuiuſdam è priſcis ſpartanis, qui interrogatus ab hoſpite, qua pœna Spartæ in adulteros vindicetur. Nihil enim ſe videre hac de re à Lycurgo ſtatutum: Reſpondit nullus apud nos ſit adulter, Inferenti, quid autem ſi aliquando exiſteret? Taurum, inquit, pendere cogitur, tantæ magnitudinis vt capite tranſmontem taygetum porrecto ex Eurota fluuio bibat.

Polydor' Virg.

Mahometus in Alchorano ſuo.

Plutarchus to. 1. Opuſc. Apoph.

Dicenti, quomodo poſſit tantus inueniri? Subiecit: quo verò pacto Spartæ poſſit adulter exiſtere, Vbi diuitiæ, luxus & fucus ignominioſa cenſentur, Verecundia autem, modeſtia & ſubditorum obedientia obtinent? Hæc ibi. Iuſtinus Hiſtoricus libro quadrageſimoprimo de Parthis ſcribit vxores dulcedine variæ libidinis ſingulos plures

habere, nec vlla delicta, inquit, adulteriis grauius vindicant. Quamobrem fœminis non conuiuia tantum virorum, verum etiam conspectum interdicunt.

Athenis, cùm regnarent reges, Hippomenes rex filiam Linonam ad currum alligatam cum adultero interfecit, vt tradit Heraclides referente Herodio vbi supra ad legem Iuliam de adulteriis. Iulius Cæsar (vt Suetonius inquit in eius vita §. quadragesimo octauo) libertum gratissimum, ob adulteratam equitis Romani vxorem (quamuis nullo quærente) capitali pœna affecit. Adulterorum multitudinem conuincit.

Heraclides. *Herodi⁹.* *Suetoni⁹.*

Quod Dion apud Xiphilinum in Seuero Imp. circa finem scribit: Seuerum leges de mœchis tulisse, ex quibus quamplurimæ cædes factæ sunt. Ego quidem, inquit, Dion Nicænes ibidem, cùm consul essem, inueni scriptum in tabulis, tria millia mœchorum morte esse mulctata: sed quum iam multi mortales in hanc pœnam inciderant cœpi de his quærere negligentius. Hæc ibi. Refert libr. 28. sub principium Amianus Marcellinus, quomodo Cethergus senator sub Valentiniano Imperatore, adulterij reus delatus ceruice periit abscissa, & aliquot interpositis subdit: Ex fœmineo sexu peremptæ sunt Originis altæ complures, adulteriorum flagitiis obnoxiæ vel stuprorum. Inter quas notiores fuere Claritas & Flauiana: ergo Adulterium erat capitale crimen, quod declarat Arnobius aduersus gentes libro quarto circa medium, Ad libidinem homines proni, inquit, adulteria tamen legibus vindicant, & capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis se lectuli expugnatione iecisse. Patet itaque crimen fuisse capitale adulterium à quo abhorruit Alexáder magnus teste Plutarcho tomo. 1. Opusc. in Apoph. regum & Imper. Adductam ad se iam facta nocte puellam, quæ vnà cubaret, interrogauit, Cur tam serò veniret.

Dion apud Xiphilinum in Seuero Imp. *Arnobi⁹ cõtra gentiles li. 4.* *Plutarc. tom. 1.*

Quæ cùm respondisset præstolatam se dum maritus somno se daret: acerbè increpauit famulos, quod parum abfuisset quin ipsorum culpa adulter fieret. Non ita continens fuit quartus Francorum rex Childericus, qui Francorum regno eiectus est, propter adulteria in primarias atque nobiliores fœminas. Sic enim de eo Guaguinus lib. 1. scripsit: Childericus Merronei filius cùm regnum accepisset: libidine & adulteriis apud suos viluit. Nam stu-

pratis

pratis multorum vxoribus: proceres communicato concilio destituere eum regno statuūt. Quamobrem ad tempus secedere & exulare cogitur &c. Hæc Guaguinus. Est locus memorabilis apud Procopium lib.1.de bello Gothorum, post principia, ex causa adulterij legatum puniri & occidi posse. Nam cùm id Theodatus obiiceret Petro, & aliis legatis Iustiniani Imp.non recusant quin ex ea caussa in eos iure animaduerti posset,sed falsum crimē esse dicūt quod obiiciebatur.Sic igitur Procopius: refert Theodatus his cœpit oratores ipsos ad se euocatos affari.Magna quędam & inclita oratorum dignitas est, & apud omnes mortales alioquin honorabilis.

Procopi' lib 1. de bello Gothorum.

Sed tamdiu id in se muneris retinent, quoad ipsi suæ Legationis officium seruent:nam hominem occidere, qui legatione fungatur, tunc quidem & iure pro humanis legibus licet cùm regem videbitur contumelia affecisse, vel si cum muliere cubuerit, alteri cuiquam nupta. Istiusmodi Theodatus in Petrum oratorem iactauit, non quia cum áliena is fœmina rem habuisset,sed vt criminationes confirmarentur, quibus iure agi id videretur, quod legatos ad se & principum oratores necaret. Hinc ita Oratores respondent haud quaquam Gothorum princeps, res ita se habet, ac ipse disseruisti, qui enim hoc munere fungitur, nec volens quidem mœchari sat potest, nimirum cui ne aquam quidem gustare sine custodibus non id permittentibus facile sit.

Orator verò qualiacumque à principe se delegante acceperit,profert: quæ si minus proba vel rectiora videntur, non ipse propterea iure est incusandus,sed qui miserit fortè culpandus. Oratoris quippe officium est, suum cum fide ministerium exequi.Palam est igitur atrocem iniuriam per adulterium fieri, quæ contra legatum (cuius alioqui inuiolabilis est dignitas) si tale crimen admiserit, morte vindicatur.

Narrat Pausanias in Messenicis siue libro quarto circa medium, Messenios, vt olim Troianos, diuerso tamen modo,Adulterium ad extremum exitium perpulisse.Vnus si quidem Emperami clari hominis inter Spartanos seruus cùm Domini pecus pasceret quotidie ferè boues præ se propè Messenios agebat: Ibi Messenij in suburbano habitantis vxorem aquatum venientem (ad fluuium propinquum pascuis) conspicatus,eius amore captus est. Fœmi-

Pausanias.

nam primò domus ad colloquium, deinde ad ſtupri conſuetudinem pellexit. Obſeruabat hic quo tempore eius vir cuſtodias obiret, ſuam enim quæque vicem ciuitatis pars arcis præſidium obtinebat: (erat tunc inter Lacedæmonios & Meſſenios hoſtile bellum, & arx Meſſeniorum obſeſſa, atque occupata ab hoſte eam oppugnante,) qua itaque hora domo ille diſcedebat. Bubulcus ad eius vxorem ventitabat.

Fortè ita accidit, vt eſſet illi nocturna vigilia cum præſidiariis militibus obeunda: per effuſiſſimos verò ea nocte imbres ſtationem deſerere cogerentur qui excubabant: neque enim proiectum muri neque turres habebant, quo cœli incommoda effugerent: & eo quidem ſecuriùs abiere, quòd pluuia & hyberna nocte, ſilente Luna, negotium ne ſibi hoſtis faceſſeret, nihil verebantur. Præterea Ariſthomenes Meſſeniorum dux, quia vulnus ipſe in pugna quadam non ita dudum acceperat, vigilias circumire non poterat. Imperatoris itaque metu ſoluti milites, eò licentiùs præſidium deſeruere: & ſanè in eo deſertorum numero Spartani Paſtoris amicæ vir fuit. Domum itaque rediit ille, cùm intus eſſet adulter: id vbi ſenſit mulier quàm celerrime potuit, ocultato amatore, virum Hilarius etiam multo quam conſueuerat accipit. Percunctatur deinde, quamobrem ſpe ſua celeriùs rediiſſet: hîc ille, qui neque corruptam vxorem, neque Mœchum domi ſuæ latêre poterat ſuſpicari, veram exponit facti cauſam, tempeſtatis vi, non ſe magis quàm ſocios omnes è præſidio pulſos. Subauſcultabat paſtor: ſimul ac itaque nudatam arcem præſidio intellexit, quàm raptum potuit in caſtra Lacedæmoniorum effugit. Bubulci Dominus Emperannus copiis quæ arcem Meſſeniorum obſidebant præfectus tum fuerat (abſente rege) ad eum perductus deprecatur primùm noxam fugæ Bubulcus, deinde docet, appoſitum illud eſſe ad Arcem capiendam tempus, quæ ex Meſſenij oratione exceperat, ſingula totidem verbis referens. Habita eſt eius verbis fides, ac mox eundem ſeruum ſuum itineris ducem ſequutus Emperanis, via per difficili, per denſiſſimas tenebras, nihil imbre remittente, ſuperatis tamen animi alacritate difficultatibus ad arcem agmen deduxit: ibi ſcalis admotis, & quo quiſque eniti valuit modo munimenta tranſcenderunt meſſenij terram eam, in qua ſola iam ex omni Meſſenia patriæ nomen remanſerat,

ferat, tutari conabantur hostem esse intra muros sentientes, & se quasi intra retia captos, ac vndique circunuentos & oppressos animaduertentes. Attamen arx capta est ab hostibus, rerum potiti sunt Lacedæmonij, & victi sunt atque fugati Messenij, Lacedæmoniíque Messeniorum quotcunque relicti sunt in publicorum seruitiorum numerum eos conscripserunt. Hactenus Pausanias. Vide quomodo ex adulterio, eorum profecta est & originem habuit perditio & internecio, ergo *cane peius & angue*, oderimus ac vitemus adulterij scelus, quod Brutæ etiam animantes seuerè vlciscuntur, vt sequentibus historiis palàm fit.

Narrat Plinius de Leone lib.8. cap.16. in principio capitis, odore pardi coitum sentit in adultera Leo, totáque vi consurgit in pœnam. Idcirco aut culpa flumine abluitur, aut longius comitatur. In eodem lib. cap. 5. de Elephantis scripsit: pudore nunquàm nisi in abdito coëunt: nec adulteria nouere, nullaue propter fœminas inter se prælia, cæteris animalibus pernicialia. Hæc Plinius. Quo loco proferam quod Poëta elegans Appositissimè & scitissimè cecinit lib.1. Amorum Elegia 10. *Plin. lib. 8.cap.16. & cap.5.* *Ouidius.*

Sumite in exemplum pecudes ratione carentes
Turpe erit in genium mitius esse feris.

Nec absimile est quod refert Ælianus lib. 3. cap. 44. de animalibus ad hunc modum. Ex auibus castissimi ab omni stupro Palumbes, vt enim mas & fœmina tanquam nuptiis alligati sunt, mutua consensione adeò ad stabile & certum connubium per summam castimoniam adhærescunt, vt neuter alienum cubile attingat. *Ælia. li. 3.ca.44. de animalibus.*

Si autem impudico amore capti ad alienam venerem libidinis oculos adiecerint, eos reliqui circumsedentes marem quidem mares discerpunt, fœminas verò fœminæ disperdunt. Huiusce etiam modi lex castitatis ad turtures pertinet, sanctáque & sincera permanet: tum etiam ad columbas albas manat, præterquam quòd non vtramque occidunt, nam marem duntaxat perimunt: fœminam, verò illius misericordia permoti, impunitam atque inultam in viduitate reliquam ætatem ducere permittunt hæc Ælianus. Idem eodem lib. cap. 42. de Porphirionis pulcherrimæ auis moribus & eius in adulteras odio scribit: acerrima riualitate ardet seu zelotypus est vehementer, & mulieres quæ sunt sine viro obseruat: quod si cum

matre familiàs ſtuprum fieri cognouerit ſe ſtrangulat: hæc Ælianus. Obſerua, Athenæum dipnoſophiſtarum libro 9. cap. 12. De Porphyrione quoque ita referre cuius hęc ſunt verba. Polemon libro 5. eorum quæ ad Antigonum ac Adæum ſcripſit. Porphyrionem ait auem, domi educatum, mulieres, quæ ſunt ſub viri imperio diligenter obſeruare eiuſmodíque habere ſenſum adulterium admittentis, vt quando hoc cognouerit, Domino ſignificet ſibíque vitam ſuffocatione finiat.

Hæc ibi. Idem libro 8. de Animalibus capit. 20. memorandam deſcribit hiſtoriam quam referre non pigeat. Ciconia riuali inuidia laborare fertur, ſeu quòd ſit zelotypa, nam cùm in Cramióne Theſſaliæ eximia forma mulier, cui nomen eſſet Alcinoë, à coniuge peregrè profecto domi relicta, ſtupri conſuetudinem cum ſeruo quodam feciſſet: hoc quidem ipſum Ciconia intelligens, vxoris nempè in dominũ perfidiam, non ſuſtinuit, quominus quam mox facto impetu, eam ſenſu oculorum orbans, iniuriam in dominum illatam vlciſceretur. Idem libro 7. de animalibus capit. 25. Caniculam Siculam adulteris infenſiſſimam fuiſſe auditione accepiſſe commemorat (quòd alibi ſi bona memoria ſum me dicere memini.) Cùm adultera mulier coniugem ſuum peregrè redire audiſſet, illum qui cum ea ſtupri conſuetudinem haberet, in latebras benè penitus (vt ipſa putabat) occultauit, verùm & ſi ſerui ac ianitores pecunia corrupti, cùm dominam ad occultationem adulterij iuuabant, tum adultero confidentiam ad inferendum ſtuprum afferebant: tamen perparuus canis, partim locum illum quo adulter abdebatur allatrabat, partim pedibus fores conſtupratoris receptatrices eo vſque conuellere adoriebatur, Domino vt non mediocris terror iniiceretur, ex eóque ſuſpicaretur ibi malum aliquod latere, quare fores effregit, adulterum comprehendit: qui eo animo cinctus gladio noctem expectabat vt primò Dominum domus interficeret, deinde verò quàm antè dixi, vxorem duceret, hæc illic.

Idem libro 11. De animalibus cap. 15. Aliud quiddã prodigij plenum adiicit ad hanc formam ſcribens obtrectationem ac riualitatem vehementem diuerſorum animalium Porphyrionis, Canis & Ciconiæ diximus ſuis locis. Nunc mihi exponendum videtur Elephanti odium in eos qui cum alienis vxoribus ſtuprum faciunt. Nam cùm vxorem

rem ſui domitoris & altoris ſtuprari manifeſtò deprehendiſſet, ambos, & eum qui ſtuprum inferebat, & eam qua cum id faciebat cornibus transfigens, interfecit, ac in ſtragulis conſtupratis & lecto adulterato, iacentes reliquit: vt cùm primùm ſuus rector veniſſet, & manifeſtò nefarium facinus, & ſe huius vindicem cognoſceret. Hoc quidem factum, ab India huc ad nos manauit. At Romæ aliud ſimile eueniſſe audio ſub Optimo Imperatore Tito, præterquam quòd addunt, ibi Elephantum non vtrumque modò occidiſſe, ſed & ſtragula veſte eos texiſſe, & nutritio aduenienti ſtragula reieciſſe, & retexiſſe, & proximè inter ſe iacentes demonſtraſſe. Ita ille tum facile iniuriam illatam ſibi fuiſſe intellexit, tum etiam maximè facinus ei liquebat, vbi cornu quo ipſos confixiſſet, cruentum perſpexit: Hæc Ælianus.

Idem libro primo de Animalibus capite 57. Memoriæ mandauit quomodo Pſyli homines ſic nuncupati (qui ſerpentibus quadam vi aduerſantur,) experiantur, an Proles ipſorum legitima ſit: Libicy homines aiunt, virum cui ſua vxor venerit in ſuſpicionē adulterij, quiq; ex ea ſuſceptos liberos adulterino ſanguine natos ſuſpicetur, experimenti cauſa in doliū Ceraſtarum plenum (ſunt autē ceraſtæ ſerpentes colore albi gemina ſupra frontem gerentes cornua Cochleæ cornibus ſimilia, non ſimiliter tamen atque illius tenera) infantem puerum coniicere, ſicque iniiciendo, tanquam artificem aurum igni, ingenuitatem puerilem experiri.

Ceraſtas protinus inſultare, acerbóſque fieri, innatum malum puero minitantes, eos vt puer attigit remolleſcere, vndè Libies ille ſe legitimum patrem agnoſcit. Hæc verò ſi Affri comminiſcuntur, non me ſed ſemetipſos fallunt, hactenus Ælianus. Quibus exemplis Leonis, Elephātis, Palenobi ac Turturis, Porphyrionis, Caniculæ, Siculæ & Ciconiæ, facilè eluceſcit ipſis etiam brutis ratione carētibus inſtinctu quodam naturæ odioſum, ac deteſtabile facinus eſſe adulterium, & rurſus conuincitur, nedum apud Hebræos ex Dei lege, ſed etiam apud exteras gentes explorationem fieri adulterij, adeò crimen horrendum ſemper habitum eſt apud omnes adulterium. Suprà Pſyllorum liberos ſuos, ſpurij ne an legitimi eſſent, explorantium, hiſtoriam narrauimus, alteram nunc de Galiis antiquis ſeu Celtis ac Germanis ſubiiciemus. Scribit enim Iu-

lianus Imperator, Apostata, ob abiuratum desertúmque Christi cultum dictus, Epistola ad Maximinum Philosophum inter Epistolas eiusdem Græco, Latinas extat f. 577. Quòd Galli in flumine Rheni suos probant filios. Certè, inquit, Gallis iniuriam nullam facit Rhenus, qui spurios infantes vndis abripit tanquam impuri lactis vindex: quos autem ex puro semine ortos agnouit, in summa aqua suspendit matrísque trementis manibus, quasi verum incorruptumque casti & laudabilis coniugij testimonium seruato infante persoluit. Hæc ille. Quod ne incredibile videatur in primo Græcorum Epigrammatum, Ε'ις Κριτὰς etiam reperitur sic Græcè incipit:

Iul. Imp. Apostat.

Θαρσαλέοι Κελτοὶ, ποταμῷ, &c.

Sic versibus latinis sonat.

Audaces rapido dubios in gurgite partus.
Explorant Celtæ donec diiudicat vnda.
Hæ nunquam capiunt gentes noua pignora matrum:
Quàm priùs imponant clypeo: tum flumina monstrant
An genus obliquum fuerit, post, mater ad vndas
Egeriam tendit natos visuras recentes,
Et suspensa, tenet censoris flumina Rheni.

Vel aliter

Anxia dispiciens cui nobilis annuat vnda. Post Egeriam expono, post partum. Mater ad vndas tendit, & suspensa seu anceps & anxia mater, natos tenet ad flumina Rheni censoris. Vult dicere, quod faciebant Celtæ seu Germani iudicium tale vt matris pudicitiam explorarent. Nam si mater castitatem seruasset, fluitabat infans in summo flumine, si adulterium commisisset mergebatur. Brodeus Turonensis in hoc Epigrãma annotat ex Theophilacto non citato loco, & ex Claudiano Poëta sequentia. Theophilactus. καὶ τῷ κελτικῷ ποταμῷ ἐστιν ἐφάμιλλος, νόθου καὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἔλεγχος ἐστιν ἀληθέστατος. sic interpretor, & celtico fluuio est similis, nothi & virtutis ac malitiæ iudex est ac examen probatione verissima certissimáque. Et Claudianus, *Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus*, hæc ibi. Sed de his abundè dictum. Nunc ad mores componendos sermonem conuertamus & proponamus Ouidianos versus ad remedium & præcautionem, vt scilicet adulteria fugiamus: Is de remedio amoris lib. 1. Post principia, canit.

Otia si tollas periere cupidinis artes.

Post

Post pauca subdit,

Quaritur Aegystus quare sit factus adulter:
In promptu causa est: desidiosus erat.

Simile quoddam Dauidi regi contigisse sacra narrat historia. Obserua Christum non abstulisse pœnam adulteræ, sed ei indulsisse pœnitenti, vt in sequentibus latius dicetur, &c.

Adulter, ait Festus & adultera dicuntur, quia & ille ad alterã, & hæc ad alterũ se conferũt. Vnde adulterium ex eo dicitur, quòd ad alterius thorum accedatur. Est autem adulteriũ (vt finiũt Theologi) violatio vel pollutio thori, vel proprij, vt dum maritus cum solita rẽ habet, vel alieni vt dum solutus alienam contingit. Vir autem & mulier, quantum ad fidem matrimonij attinet æqualiter peccant. Quantũ verò ad donum rationis spectat, vir amplius delinquit, quia pertinet ad virũ virtute vincere & exẽplo regere fœminam. Mulier adultera grauius peccat, quam vir, ratiõe scandali & incertitudinis prolis, quæ si marito matris tanquam proprius filius attribuatur: legitimi hæredes iacturam incurrunt, & ideò vterque adulter tenetur pro viribus satisfacere lęsis, & tamen cùm tantum sit onus conscientiæ, iustè cum Propheta cõquerimur & deflemus. Hier. 23. *Adulteriis repleta est terra*, & Oseę 4. *Homicidium, furtum, & adulterium inundauerunt.* Exaggerat Ecclesiasticus c. 33. Crimen adulterij ex parte vtriusque his verbis. *Festus.* *Hier. 23.* *Osea. 4.* *Eccl. 33.*

Omnis homo qui trãsgreditur lectum suum, contemnens, in animam suam & dicens, Quis me videt? tenebra circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circunspicit me. Quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus. Et nõ intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, Et nõ cognouit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circũspicientes omnes vias hominum, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, & vbi non sperauit apprehendetur, Remittit scilicet ad illud, Leuit. 20. De adulterorum supplicio. *Pracepit enim Moyses huiusmodi lapidare. Sic & mulier omnis relinquens virum suum, prosequitur ibi, & statuens hareditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege altissimi incredibilis fuit, & secundò in virum suum deliquit, dum virum suum dereliquit, tertiò in adulterio fornicata est & ex alio viro filios statuit sibi, hac in Ecclesiã adducetur & in filios eius respicietur, non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructũ, & dedecus illius non delebitur.* *Leui. 20.*

Sicque non tantum adultera in seipsa punietur, verum etiam in filiis suis. Sapient. 4. *Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentũ collocabunt.* Quæ omnia satis indicant grauitatẽ & enormitatem, vt ita dicam adulterij, quinimò suspectum adulterium ex Domini concessione olim inquirebant Iudæi sacrificio zelotypiæ, cum grãdi supplicio vindice Dei manu, vt amplissimè Numerorum quinto, cap. describitur. Vir, inquit sacer contextus, *Cuius vxor errauerit, maritumque contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuẽta in stupro: Si spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione apetitur: adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro ea: huiusmodi sacrificiũ zelotypiæ dicebatur, & oblatio inuestigans adulterium. Sacerdos, statuet mulierem corã Domino assumétque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. Ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta cõgessit, adiurabitq; eã & dicet. Si non dormiuit vir alienus tecũ, & si non polluta es deserto mariti thoro, non tibi nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi. Sin aũt declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cũ altero viro, his maledictionibus subiacebis. Det te Dominus in maledictionẽ, exẽplumq; cunctorũ in populo, putrescere faciat femur tuũ, & tumens vterus tuus disrũpatur. Ingredientur aquæ maledictæ in ventrẽ tuum, & Respondebit mulier: Amen, Amen. Scribétq; sacerdos in libello ista maledicta & delebit ea aquis amarissimis, & dabit ei bibere. Quas cùm exhausserit, tollet sacerdos de manu eius sacrificiũ zelotypiæ, si polluta est, & contẽpto viro adulterij rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur. Sin autem faciet liberos.* Hæc ibi. Sic olim Iudæi mariti vxorum pudicitiam explorabant, & data est hæc lex (vt obseruat ibi de Oleastro) ne Iudæi zelo ducti, in vxores sæuirent, eas occidendo, & vt illæ explorationis huius metu, ab adulterio cauerent. Maritus quidem nulla pœna afficiebatur, propter huiusmodi exploratiõe, & mulier portabat pœnam iniquitatis suæ, si fuerat polluta, nihil quidem videtur lex disponere de viro si fœmina esset innocens, sed innuit eum nullo pacto debere puniri propter hoc: & damnum fœminæ prolis gaudio compensabatur: & gloria innocentiæ. Fœminas Deus in lege voluit màximum

Sapient. 4. *Nume. 5.* *De Oleastro.*

vitæ

vitæ discrimen subire, vt eas ab adulterio deterreret: cùm scirent indubiè, scelus suum posse facilè deprehendi: docemur etiam Deum multos sine culpa voluisse tormento explorari, non tamen immunes à præmio dereliquit. Permisit enim hic innocentem fœminam infamia adulterij vri & notari, aquas amarissimas bibere: sed omnia hæc comperta innocentia, noua prole remunerare. Similiter grauia esse patienda, vt malam suspicionem, animo proximi possis auferre.

Et hinc ortam puto illam consuetudinem, qua quidem ad ostendendam innocentiam suam, cum alicuius criminis infamia laborarent, super viuos carbones nudis pedibus incedere volebant, aut candens ferrum manibus attrectare, & mirum valde est fœminam tam periculosum subire discrimen, adulterum verò ab huiusmodi periculo expertem. Mitior enim lex semper fuit in adulterio cum viris: quàm cum fœminis, quoniam plura & grauiora mala sequuntur ex fœminæ quam viri adulterio: vt prolis incertitudo manifestè ostendit. Hactenus de Oleastro. Saxo Grammaticus per ferrum candens purgatam fuisse adulterij suspicionem ac infamiam describit hoc miraculo historiæ danicæ, lib. 14. fol.162. Apud Izarentinam clarum inauditi generis miraculum incidit. *Saxo Grāmatic.lib.14*

Matrona quædam à viro immerens adulterij insimulata, cùm purgandæ infamiæ gratia candenti laminæ dexteram obtulisset, subito ferrum quod exceptura erat, perinde atque innoxiæ manus contactum fugiens, neglecto pondere sublime se extulit, pendulóque motu gradientis fœminæ incessum comitans, cùm ante aram iactandum erat, inter religiosam astantium admirationem proprio impulsu humi decidit. Ea res & mulieris infamiam leuauit, & visentium animos religioni proniores effecit. Nec temere quidem pudicitiam suam, tam ancipitis argumenti iudicio credidit, cui corporis animíque fiduciam certæ synceritatis conscientia ministrauit. Hæc Saxo ille. Quæ quidem exploratio siue probatio, sacris canonibus interdicitur: in ea enim Deus tentari videtur. Extat in decretis statutum 2.quæst.4.cap. Memiam, ex beato Gregorio Papa. Vulgarem ac nulla canonica sanctione fulcitam legem, feruentis scilicet aquę, ignitique ferri contactum, apostolica authoritate prohibemus firmissimè. Ibidem c. Omnibus vobis, in fine, ex Leone Papa ad Carolum *Decretū & decretales.*

Regem,

Regem, iuramento, candentis ferri vel feruentis aquæ purgatio, non est addenda c. sequenti consulisti, ex Stephano 5. Ferri candendis vel aquæ feruentis examinatione confessionem est torqueri à quolibet sacri non censent canones. Extra de purgatione vulgari, cap.3. Ex Honorio 3. Ferri candentis iudicium est penitus interdictum. Finem imponere statuo huic de adulterij exploratione & supplicio tractatui, si duo memoranda exempla subiecero. Alterum apud Hieronymum, alterum autem apud Kzantzium legitur.

Hier. to. 1. epist. de mul. septies icta.

Itaque prior ille tomo. 1. Epistolarum ad Innocentium de muliere septies icta, describit eius rei miraculum quæ sua ætate acciderat, Vercellis scilicet, Consularis oblatam sibi quandam mulierculam vnà cum adultero, nam hoc crimen maritus impegerat, pœnali carceris horrore circundedit. Ex quo loco palam apparet (obseruauit ibi Erasmus) adhuc ætate. D. Hieronymi adulterium capite solere puniri, Nunc magnatum lusus est. Neque multo post, cùm liuidas carnes vngula cruenta pulsaret, ad exquirendam veritatem, infelicissimus iuuenis volens compendio mortis longos cruciatus vitare, dum in suum mentitur sanguinem, accusauit alienum, solúsque omnium miser, meritò iussus est percuti, qui non reliquit innoxiæ vnde posset negare.

Erasmus

At verò mulier sexu fortior suo, in eculeo suspexit ad cœlum, & volutis per ora lachrymis: Tu inquit, testis es Domine Iesu, cui occultum nihil est, non ideo me negare velle, ne peream, sed ideò mentiri nolle, ne peccem. At tu miser homo, si interire festinas, cur duos interimis innocentes? Equidem & ipsa cupio mori, sed non quasi adultera, præsto iugulum, innocētiam tamen mecum feram. Igitur consularis truculentus & ferus, duplicari tormenta iubet, crines ligantur ad stipitem, vicinus pedibus ignis apponitur, vtrumque latus carnifex fodit, nec papillis dantur induciæ: immota mulier manet, dum conscientiæ bono fruitur: vetuit circa se sæuire tormenta. Iudex crudelis quasi superatus attollitur. Illa Deum deprecatur, soluuntur membra compagibus. Vna interim vox est cæde, vre, lacera. Non feci. Si dictis tollitur fides, veniet dies, quę hoc crimen diligenter excutiat, habeo iudicem meum: ex templo ira excitus consularis. Quid miramini, inquit, circunstātes, si torqueri mulier mauult, quam perire? Adulterium certè

certè ſine duobus committi non potuit. Pari igitur prolata in vtrumque ſententia, damnatos carnifex trahit, totus ad ſpectaculum populus effunditur, & quidem miſerrimi iuuenis ad primum ſtatim ictum amputatur gladio caput, poſtquam verò ad fœminam ventum eſt, & flexis in terram poplitibus, ſuper trementem ceruicem micans eleuatus eſt gladius, ad primum corporis tactum ſtetit mucro lætalis, & leuiter perſtringens cutem raſuræ modicæ ſanguinem aſperſit, victam dexteram gladio marceſcente miratus, in ſecundos impetus torquet. Languidus rurſus in fœminam mucro delabitur, & quaſi ferrum eam timeret attingere, circa ceruicem torpet innoxiam. Itaque furens & anhelans lictor totas expedit vires. Iam igitur & tertius ictus fruſtratus erat, iam ſpiculator exterritus & non credens ferro, mucronem aptabat in iugulum, vt qui ſecare non poterat, ſaltem corpori conderetur, ô omnibus res innaudita ſeculis. Ad capulum gladius reflectitur, & velut Dominum ſuum victus aſpiciens, confeſſus eſt ſe ferire non poſſe.

Tandem ergo ad fœminam vindicandam populus armatur. Omnis ætas, omnis ſexus carnificem fugat. Nouus enſis, nouus percuſſor apponitur, ſtat victima Chriſto tantum fauente munita, ſemel percuſſa concutitur, iterum repetita quaſſatur, tertio vulnerata proſternitur. O diuinæ potentiæ ſublimanda maieſtas, quæ prius fuerat quarto percuſſa nec læſa, ideò poſt paululum viſa eſt mori, ne pro eo periret innoxius. Clerici quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt & ex more tumulum parant: ſubito fœminæ palpitat pectus, iam ſpirat, iam videt, iam ſubleuatur & loquitur. Anus interim quædam quæ Eccleſiæ ſuſtentabatur opibus debitum cœlo ſpiritum reddidit, & quaſi de induſtria ordine currente rerum, vicarium tumulo corpus operitur. Quæritur cadauer occiſæ, ſepulchrum monſtratur: carnifice confuſo clam domi mulier refocillatur. Et ne fortè creber medici ad Eccleſiam commeatus ſuſpicione panderet viam, cum quibuſdam virginibus ad ſecretiorem villulam ſecto crine tranſmittitur. Ibi paulatim virili habitu veſte mutata, in cicatricem vulnus obducitur. Et ô verè ius ſummum, ſumma, malitia: poſt tanta miracula adhuc ſæuiunt leges. Sed Euagris noſter Imperatorem de induſtria adit, precibus fatigat, merito leuit, ſolicitudine pro

dine promeretur, vt reddita vitæ, redderet libertati. Hucusque D. Hyeronimus. Posterior, nempe Krantzius Saxoniæ. libro 4.cap.26. Sub Othone tertio Imperatore, circa annum salutis millesimum contigisse narrat quod sequitur. Imperator ille coniugem habuit Mariam filiam regis Arragonum quæ iniecit oculos cuidam nobili, quem vocauit in amplexum. Horruit ille crimen, & quibus potuit verbis se de manu fœminæ excussit. Contempta vertitur in furorem, & crimen quod conceperat, vertit in noxium, accusans illum apud Cæsarem de pertentata ab illo sua pudicitia (hic subit animum meum recordatio historiæ sacræ de Domina Ioseph, & pudicitia rara eiusdem Patriarchæ) facilè Cæsar credidit, (vt sunt mariti in zelotypiam procliui,) iussit mox vinciri accusatum, & gladio cædi. Ille moriturus innocentiam suam Deo commendabat, vxorique quæstus cum lachrymis ibat ad mortem. Caput viri coniunx rapit, & amplectitur nemine obluctante, quod iusto dolore torqueretur: obseruabat Cæsarem pro tribunali sedentem, & accurrens acclamabat, iustitiam & iudicium, Cæsar ait, quis te mulier læsit? Tu, inquit illa, proiecto capite, hunc mihi virum per summam iniustitiam abstulisti.

Krant. Sax. lib. 4.c. 26.

In Gen.

Et in promptu tenens ferrum ignitum in conspectu omnium pertulit illæsa. Quàm inquiens, ego immunis sum ab igne, tã erat maritus à crimine quod imputabatur, stupuêre qui aderant. Nam & in memoriam reduxêre, quod viderant lac pro cruore profluere, quum miles ille gladio feriretur & cæderetur. Cæsar miratus, vbi rem diligentiùs perquirit, reperit ab Imperatrice per calumniam accusatum innoxium, & zelans pro iustitia, reginam iussit concremari, seque qui præcipitasset sententiam, magno ære mulctauit, rependens mulieri pro morte viri aliquot arces. Hæc ille. Quæ sufficiant.

Cyrillus Alexãd.

Iesus inclinans se digito scribebat in terrã, &c. Hoc sic exponit Cyrillus Alexandrinus, Sapientia huius mundi (quę stultitia est apud Deum) putabat vndique se conclusisse Dominum sine retibus, vt non esset euadendi locus sed Dei sapientia mediam inuenit, iustitia misericordiaque temperatam viam: qua captiosos eorum nodos dissolueret facilè, & disrumperet. Antequam autem hanc aperiret sententiam, inclinauit se & digito scribebat in terram, quo nobis ostendat, quòd antequam iudicium feramus de

proximo,

proximo, ad veritatis inuestigationem descendere, & animum inclinare debemus & discretionis digito singula ad rem propositam attinentia prius discutere: alioqui rectè iudicare non possumus, si prætermissa indagatione veritatis, & examine diligenti, præcipiti & inconsiderato animo, proximum in publico iudicio aut absoluimus aut dānamus. Id faciendum scriptura nobis insinuat, cum describit in Genesi c.11. Post diluuium volentes ædificare excelsam turrim ad sui nominis celebrationem, cuius culmen cœlos contingeret, & deinde subdit: *Descendet autem Dominus, vt videret ciuitatem & turrim quam ædificabant filij Adam.* *Gen.c.11*

Nunquid descensu indiguit Dominus ad videndam turrim, cui omnia antequā fiant sunt agnita, & qui cœlum atque terram implet? An non ideò descendisse scribitur, vt nobis significet examinandam prius esse causam criminis, quam feratur sententia? Et eodem libro cum nefanda Sodomitarum flagitia, vindice ira, esset puniturus, dixit ad Abraham Genes.18. *Clamor Sodorum & Gomorrhæorū multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere cōpleuerint, an non est ita, vt sciam.* Cognouit vtique Dominus Sodomitas & Gomorrhæos tanti criminis esse reos, cuius oculis absconditum est nihil. Descensurum tamen se, & visurum rei veritatem dixit, quo nobis ostendat exacta trutina prius discutiendam esse causam, quàm feratur sententia in aliquem. Idem quoque Mosayca lege caueri, accuratam scilicet inquisitionem de obiecto crimine, præcedere debere iudicium, innuit supra Ioan. 7. Nichodemus, *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audiuerit ab ipso, & cognouerit quid faciat?* Quinimo & apud Romanos iustitiam Dei ignorantes, illum morem seruari, ostendit Portius Festus Præses Iudeæ à Romanis constitutus, dicens: Act.25. *Quòd nō est Romanis consuetudo donare aliquem hominem,* (id est, aliorum voluntati permittere, ad sumendum de ipso supplicium, inferendámque punitionem, dedere ad pœnam & tradere illum supplicio) *Priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei obijciuntur.* Diuina verò lege idem præcipi patet (vt aliàs dicemus) dum iubet Dominus: *Iustum iudicium iudicate.* Quomodo autem iustum tulerit iudiciū, si indicta causa, si nulla obiectorum criminum

Gen. 18. *Ioan.7.* *Act.25.*

criminum facta discussione, damnauerit eum qui accusatur? Nunquid ad vitam reuocari poterit is, qui morte affectus est, si post sumptum de illo vltimum supplicium, perspecta fuerit & cognita eius innocentia, cùm iam amplius nullum adhiberi queat vitæ eius remedium? Hucusque Cyrillus, quæ profecto damnant præceps illud iudicium aduersus innocentiam Ioseph Patriarchæ, aduersus pudicitiam Susannæ & aduersus militem illum Othonis huius nominis tertij Imperatoris, (de quo ex Kzantzio suprà diximus) & aliorum qui iniustæ morti vel carceribus adiudicati sunt Pierius in Hieroglyphicis, lib. 42. De gladio, depingi solitam iustitiam cum libra seu trutina sic refert.

Pieri⁹ li. 42. Hierog.

Veteres Iustitiam cum libratis omnino lancibus in lęua figurabant, sed in dextera non ensem (id enim iuniorum inuentum est,) sed fasces cum ad alligata securi statuebāt merita æquáque ex huiusmodi Hieroglyphico præmia merentibus impendi atque distribui, hinc scelerum conuictis castigationem impendere significantes. Hæc ibi. Narrat Ælianus variæ historiæ, libro 14. capit. 43. Pulchrum & memorabile exemplum huiusmodi. Ptolemæus cum ad tesseras sederet & alea luderet, assistens quidam condemnatorum ipsi nomina recitabat, & crimina in eos collata referebat, vt ille quinam mortis supplicium commeruissent, decerneret. Berenice verò vxor eius, accepto libello è pueri manibus, non permisit ad finem vsque legerentur: dicens non sic obiter aduertendum animum esse, cùm de hominis salute quæritur, sed altiùs cogitandum, & relinquenda ludicra. Non enim similem esse casum tesserarum, & corporum, his auditis delectatum Ptolemæum ferunt, neque postea vnquam inter ludendum de capitalibus causis audiuisse. Hæc ille. Iob 29. *Causam quam ignorabam diligentissimè inuestigabam,* & Salomon in Prouerbiis, cap. 12. *Qui quod noui loquitur Iudex iustitiæ est.* Plutarchus tom. 1. Opuscul. in Apophtegmatis regum & Imperatorum de Philippo Alexandri patre, scribit sic. Iudicio præerat Machetæ cuiusdam, dormitansque non obseruabat quibus ille iuribus se tueretur, ideóque damnabat: tum exclamante Macheta se prouocare iratus.

Aelia. var. hist. lib. 14. c. 43.

Iob 29.

Prou. 12.

Plutarc. tom. 1. Opusc. in apoph.

Ad quem, inquit, prouocas? Ad teipsum, ait ille, ô rex, si quidem vigilans & attentus audias. Ibi excitatus Philippus, quum ad se rectiùs rediisset sentirétque iniuriam

Machetæ fieri, non reſcidit quidem ſententiam ſed mulctam reo imperatam ſuo perſoluit. Hæc Plutarchus. Valerius libr. 6. cap. 2. Quæ libere dicta aut facta ſunt paulò aliter deſcribit, hoc videlicet modo, Mulier quædam Macedonica, à Philippo rege temulento immerenter damnata, prouocarem ad Philippum, inquit, ſed ſobrium: excuſſit crapulam oſcitāti ac præſenti animo reſipiſcere, cauſaque diligentius inſpecta iuſtiorem ſententiam ferre coëgit. Hactenus Valerius.

Inclinatus digito ſcribebat in terra. Legitur in vitis patrum Gallicè impreſſis fol. 229. Ad hunc modum: ſemel duo religioſi venerunt ad Abbatem Pambonem, quorum alter eum interrogauit dicens, pater, ieiuno bis in ſabbato, integro biduo in hebdomada nihil ſumens & nihil aliud præter duos exiguos & paruulos panes ſubcinericos comedi. Tibi ne videtur, me eſſe ſaluandum hoc faciendo, an verò me fuiſſe deceptum? Alter autem dixit ei. Ex opere manuum mearum ſingulis diebus collegi denarios duos, alterum quidem in victum quotidianum mihi ſeruo, alterum autem in eleemoſynas diſtribuo & confero, an ob id ſalutem conſequar, an verò ſim deceptus & ſeductus? Et cum inſtanter & obnixè eum deprecarentur, vt ad rogata dignaretur reſpondere, nihil tamen illis reſpondere voluit quatriduum, cùm recedere pararent, aliquot ex diſcipulis abbatis Pambonis rogauerunt eos ne excandeſcerent vel ægrè ferrent, quod nullum ab eorum magiſtro tuliſſent reſponſum, addentes inſuper, Deum illis retributurum, pr eterea abbatem ſuum hoc in more habere, nihil leuiter temeréve effutire, ſed quod Deus ille reuelaſſet reſpondere ſolitum eſſe.

Venientes igitur duo præfati fratres in cellam Abbatis, accepta ab eo diſcedendi venia & copia illius precibus ſe ex animo commendabant. Quos Abbas interrogauit, ſi diſcedere conſtituiſſent? Illis ſe ita decreuiſſe reſpondentibus Abbas penſatis & perſpectis eorum operibus, digito in terrā ſcribere occœpit hæc verba: Pambo ieiunat bis in hebdomada, duos paruulos panes ſub cineribus coctos, tantum comedens an propterea ſit monachus? Minimè Deinde iterum ſcripſit dicens: Pambo ex ſuo labore duos collegit denarios, eóſque in eleemoſynam pauperibus largitur, An hoc ſolo nomine, ſit monachus? Nequaquam. Et quum paululum tacuiſſet palàm eis dixit eorum opera

quidem bona esse: sed si proprias erga proximos suos conscientias synceras seruarent, hoc est vt ego interpretor, si nihil per inanem gloriam ac ostentationem facerent, sed solo propriæ conscientiæ coram Deo testimonio contenti essent, tunc quidem eos saluos fore: Quibus ex verbis præfati religiosi valdè ædificati, cum gaudio ad propria remearunt.

Hæc in vitis Patrum. Exemplum Christi videtur S. Abbas Pambo imitatus: interrogantes se ad propriam reuocans conscientiam, ne gloriola quadam & aura populari inescati, bonorum suorum operum fructum ac mercedem perderent. Sic & Christus, modò digito scribens in terra, quasi indignos responso Pharisæos à se amandat, ad propriam conscientiam singulos reuocans. Euthymius in Ioannem 8. cap. sic exponit. Quod frequenter facere solent, qui respondere nolunt importuna indignáque rogantibus: Cognita enim illorum machinatione, ostendit se non his attendere quæ dicebant. hæc ibi. In terra scribit Dominus. Nota, quia priùs *in vngue adamantino stylo ferreo peccatum Iuda scriptum fuit:* Hier. 17. modo scribitur in terra, vt delebilius fiat. Digito autem scribebat, *admonens legis scripta digito Dei.* Exod. 31. & Deut. 9. seque Dominum legis ac authorem esse significans: In Daniële cap. 5. *apparuerunt digiti scribentes in pariete. Hæc autem fuit scriptura Mane, Thetel, Phares.* Sicut autem ibi erat exaratum contra Balthazar sacrorum violatorem iudicium, & sententia descripta, ita hìc contra Pharisæos dominum sanctum sanctorum tentantes, & ei insidias struentes nunc describitur sententia.

Euthymius in Ioănem. cap. 8. — *Hier. 17.* — *Exod. 31. & Deut. 9.* — *Dan. 5.*

Quod & indicat illud *Iesus erexit se & dixit: Qui sine peccato est, &c.* Cùm surgere dicitur. Tunc sequitur insigne Iudicium contra impios. Moses Num. 10. *Surge Domine,* (ait) *& dissipentur inimici.* Psalmo 67. *Exurget Deus & dissipentur inimici eius & fugiant qui oderunt eum à facie eius.* Sic & istos à facie Domini confusos abiisse præsens locus Euangelicus indicat. Digito scribebat, ait D. August. in Ioan. legislatorem se indicans. Digito enim Dei lex scripta est, sed propter duros in lapide scripta est. Nunc iam dominus in terra scribebat, quia fructum quærebat. Hæc ibi.

Num. 10. — *Psal. 67.* — *D. Aug. in Ioannem.*

Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat, Euthym. vbi supr. Sagaciter illorum decepit machinationes: simul & seruando legem, & parcendo mulieri. Siquidem

dem

dem ei qui ex ipsis à peccato immunis esset, permisit, vt eam lapidare inciperet: sciens omnes peccatis esse obnoxios, D. Augustinus planè in eandem sententiam duobus in locis scribit: In Ioannem scilicet, & tomo decimo de verbis Domini in Euangelium secundum Ioannem sermone quadragesimo septimo. Ecce Dominus in respondendo & iustitiam seruaturus est, & à mansuetudine non est recessurus. Non dixit, non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. Absit autem vt diceret, lapidetur venit enim non perdere quod inuenerat, sed quærere quòd perierat. Quid ergo respondit?

D. Aug. in Ioannẽ & to. 10. serm. 47. de ver. Domini.

Qui sine peccato est. O responsio sapientiæ: quomodo eos intromisit in se. Foris enim calumniabantur, seipsos intrinsecus non perscrutabantur. Adulteram videbant, se non respiciebant. Præuaricatores legis, legem implere cupiebant, & hoc calumniando, non verè tanquam adulteria castitate damnando. Audistis ergo, impleatur lex, lapidetur adultera. Sed nunquid quia punienda est, lex implenda est à puniendis. Consideret se vnusquisque vestrum, vnusquisque in se intendens peccatorem se inuenit. Ita planè, Ergo aut istam dimittite, aut simul cum illa legis pœnam excipite. Si diceret lapidetur, mansuetus non videretur, Dicit autem qui sine peccato est, prior in illam lapidem iaciat. Hæc vox iustitiæ est.

Puniatur peccatrix sed non à peccatoribus impleatur lex, sed non à præuaricatoribus legis. Hæc vox omnino iustitiæ est, qua iustitia illi tanquam trabali telo percussi se inspicientes. & reos se inuenientes, vnus post vnum omnes recesserunt: Hæc Ecclesiæ doctor Egregius. Ita ferè fit, vt alios accusantes, nos grauioribus vitiis implexi simus. Docet autem hæc historia quod ad accusanda vitia aliorum lyncei sumus: ad nostra videnda Talpæ & cæci. Redigit ergo Christus in memoriam propria flagitia ne ad scrutanda aliena curiosi simus. Deinde indicat Neminem esse immunem à peccatis, & (iuxta tritum illud & vulgatum dictum) *Nemo sine crimine viuit*, vnde Horatius lib. 1. Sermonum Satyra tertia.

Catonis disticha. Horat. li. 1. ser. Satyr. 3.

Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis vrgetur:

Ibidem rursus cecinit:

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,

Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius? at tibi contrà.
Euenit, inquirant vitia vt tua rursus & illi.

Stobæus serm. 23. Refert Stobæus sermone vigesimo tertio de amore sui, quod Esopus vnumquemque nostrûm duas ferre peras aiebat, alteram ante nos, alteram à tergo, & in anteriorem quidem alienos errores condere, in posticam verò nostros, ideoque non videri à nobis: ad quod respexisse videtur & allusisse Catullus Poëta: scribens, folio decimo nono. *Catull⁹.*

Sed non videmus manticæ quid in tergo est.

Persius Satyr. 4. Similiter & Persius Satyra 4.

Vt nemo in sese tentat descendere, nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Vita patrũ speculum exemplorum dist. 2. §. 131. Ex vitis Patrum citatur in speculo exemplorum distinctione 2. §. 131. hæc historia: Factus est aliquando cõuentus in Stichi, & loquebantur Patres de quodam fratre culpabili. Abbas autem Pior tacebat. Posteà verò surgens egressus est, & tollens saccum impleuit eum arena, & portabat eum in humeris suis, & mittens in sportellam, modicum de ipsa arena portabat etiam & ipsam à parte anteriore. Interrogatus autem à patribus quid hoc esset, ille respondit: Saccus iste qui multam arenam habet, mea peccata sunt, & quia multa sunt posui ea supra dorsum meũ, ne doleam pro ipsis & plorem. Ista autem arena modica peccata sunt istius fratris, & sunt ante faciem meam, & in ipsis exerceor iudicans fratrem. Quod non debet ita fieri, sed mea magis peccata, ante me debent esse, & de ipsis cogitare & rogare dominum vt ignoscat mihi. Audientes autem patres dixerunt. Verè hæc est via salutis. hæc ibi. Benè itaque admonuit Christus Matth. 7. *Hypocrita eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui.*

Qui sine peccato est, &c. Non otiosè quæritur: Quare noluerit plecti adulterium, nisi ab his qui absque peccato sunt? Licétne adulteris & aliis criminibus infectis, damnare reliquos maleficos, vel adulteros? Respondeo. Licet administrare ius gladij. Licet ex lege iudicare, & animaduertere in reos & sontes. Licet etiam secundum leges ciuiles ferire gladio adulteros, aut alia statuta pœna eos plectere. Quia propter pacem ciuilem conseruandam permissum est ius gladij, neque damnata est potestas, & nihil tam repugnat charitati & pacifico cõuictui, quam adulterium.

Sed

Sed qui fert sententiam in aliquem prius in se vindicare debet, quod in alio punit; Rom. 2. *Eadem enim agis qua iudicas*. apud Psalmographum. *Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*. Qua conscientia, potest damnare alium, qui & ipse eodem (& fortasse in decuplo plus) nomine, reus est? Rom. 2. *In quo iudicas alterum, teipsum condemnas*. Non peccat igitur, qui sententiam fert, quod sui muneris est: Sed quia non resipiscit, & in se non arguit & emendat, quod in alio punit. Alioqui, si magni fures paruos suspendant, (vt dici solet) vbi ius, & ratio? Refert de Diogene Cynico Laërtius post principia libro sexto. Cùm vidisset aliquando magistratus, quendam ex ærario Phialam furatum, abducentes, Magni, inquit, fures paruum ducunt. Item, apud Erasmum apophtegmatum li. 4. in apopht. Alexandri magni 43. scribitur, Quòd cum pirata captus ad ipsum deductus esset, rogatus qua re fretus auderet instare maria: compendio respondit. Ego, inquit, quoniam id vnico nauigiolo facio, pirata nominor: tu cùm idem facias magna classe, rex appellaris. Alexander admiratus intrepidum animum, donauit illi vitam. Plu. de Alexandro & pirata colloquium describit. D. Augustinus tom. 5. lib. 4. de ciuitate Dei cap. 4. Eleganter & veraciter Alexandro illi magno quidam comprehensus pirata respondit. Cùm idem rex hominem interrogasset, quid ei videretur, vt mare haberet infestum? Ille libera contumacia, Quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo nauigio facio latro vocor, quia tu magna classe, Imperator. Hæc ibi Nonius Marcellus dictione, myoparo, sic ad hoc propositum quoque scribit Myoparo est nauicula piratarum. M. Tullius de Repub. lib. 3. Nam cùm quæreretur ex eo, quo scelere impulsus mare haberet infestum vno myoparone, Eodem, inquit, quo tu orbem terræ. Hactenus Nonius.

Rom. 2. *Rom. 2.* *Laërtius lib. 6. in Dioge.* *Erasmũ. lib. 4. apopht.*

Iesus inclinans se iterum, scribebat. Bis scripsit qui legem & Euangelium dedit: iterum autem scripsit, ait Euthym. in hunc locum, vt dum ipse in eos non respiceret ita illo in scribẽdo occupato, liceret eis sensim abscedere antequam manifestiùs cõdemnarentur: Nam sua summa benignitate etiã ipsis parcebat. Quid tunc & alia vice se inclinãs scripserit in terra, ait Cyril. Alexand. non explanat Euangelista. Quamuis non desint qui affirmẽt Dominum hac secunda inclinatione, notas quasdam terræ inscripsisse, quibus quis-

Euthymius in Ioannẽ. *Cyrillus Alexandrinus in Ioannẽ.*

que accusatiuum sua coram oculis conspiciebat peccata: & menti obiecta cernebat, vnde rubore suffusi, & pudore affecti facilè cognoscebant se non peccati immunem vitã agere. Cæterum docet hac secunda inclinatione sua & inscriptione nos dominus, antequam peccantem fratrẽ corripuerimus, ad intima nostri cordis inclinari debere, & attentiuè ibidem inuestigare, an simili vitio, quod in alio corripimus, aut fortasse grauiore laboremus, quod si deprehenderimus, id humiliter in nobis primùm castigare debemus, & tunc demum cum mansuetudine proximum corripere. Alicubi citaui (si satis memoria teneo) quòd scribit ad hanc rem Plutarchus to.1. Opusculorum De vtilitate ex inimicis capienda, circa media, Plato quoties incidisset in eos qui facerent indecori quippiam, digressus cõsueuit apud se dicere, nunc vbi ego talis? &c.

Plutar. tomo.1. Opusc. de vtil. ex inimi. capienda.

Audientes hæc vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus, Crediderim facilè inquit Cyrill. Alex. seniores grauiorum sibi malorum conscios fuisse, & reos, impletumq; in eis illud scripturæ: *Quod à senibus egressa est iniquitas* Daniel.13.c. Et propterea vehementiore affectos verecundia, primum egressos fuisse, quos tanquam duces & primores cæteri minores ætate comitati sunt singuli abierunt. Nullus enim, doctore Euthym. seipsum à peccato immunem dicere poterat. Fugiunt propria exterriti conscientia. Sic Adam post peccatum & scelus admissum, *abscondit se*. Gen. 3. *Fugit impius nemine persequente* Prouer. 28. *Conscientia mille testes*, ait prouerbium apud Quintilianum lib.5. Institut. Orator. c.11. & Iuuenalis Satyra 13.

Dan. 13.

Euthymius.

Gen. 3.

Prou. 28.

Iuuenalis Satyr. 13. Quintial. li. 5. c.11. Cicero in Miloniana.

Prima est hæc vltio, quod se
Iudice nemo nocens absoluitur.

Cicero etiam oratione pro Milone circa media, scripsit: Magna vis est conscientiæ, Iudices, & magna in vtramque partem: vt neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.

Remansit Iesus solus, & mulier in medio stans. D. August. vbi supra. Relicti sunt duo, miseria & misericordia. Illi ergo attendentes se, & abscessu ipso confessi de se reliquerãt mulierem cum grandi peccato & qui erat sine peccato. Hæc Augustinus. *Fuga crimen arguit estque* suspiciosa, locus insignis extat in nouella 53. de exhibendis & introducendis reis cap.4. Illum exhiberi volumus. *Penè sui accusatorem per fugam factum* Græcè sic. σχεδὸν ἑαυτοῦ κατήγορον

D. Aug. in Ioan.

In auth.

τῇ φυγῇ γινόμενον. Fuga ergo ipsa seipsos produnt ac conscios esse declarant. Mulier in medio stans scilicet inter misericordiam & iudicium.

Vbi sunt qui te accusabant? Cyrillus Alexand. Percontatus est vbi erant, qui modo eam accusauerant: non quòd ignorauerit eos discessisse, sed vt exemplum ostenderet iis, qui in iudicio quenquam absoluturi sunt ab obiecto crimine ipsos liberum debere concedere accusantibus audiendis locum, & quemque ad legitimam accusationem adducendam admittere, nullo enim accusantium secluso, dilucidiùs constabit eius qui in iudicio liberatur, innocentia & integritas. Hæc ille. Sicut autem admittendi sunt accusatores, sic & dandus est defensioni locus, & expurgationi eius qui delatus est, vt scilicet diluere obiecta ei liceat. Hoc enim rationi & æquitati consentaneum est. Plutarchus tomo.3. vitarum in vita Alexandri magni, in medio, scribit de eodem. Iam initiò quum iudicia capitalia disceptaret, fama tenet manum eum altari auri dū diceret accusator admouere solitum, reo vt alteram integram & intactam seruaret à calumniis hæc Plutarchus. Discimus ex hoc loco, *vbi sunt qui te accusabant?* quòd si desit accusator, non erit iudicium ferendum. Idem tom.1. opusculorum in Apophtegmat. Romanorum, Scipio, inquit, C. Licinium videns accedere, sic fatur, Scio hunc peierasse, quia autem nemo accusat eum, non possum ipse actor iudéxque simul esse, debet igitur præsentes habere accusatores reus, vt damnetur.

Cyril. Alex.

Plut. to. 3. vit. in Alexan. magna, & to. 1. opusc. in Apopht. Rom.

Nemo te condemnauit? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo. Patet ex hoc, Euangelium relinquere magistratui suam functionem. Dicit enim Apostolus Roman 13. *Non sine causa gladium portat, Dei enim minyster est, vindex in irà, ei qui malum agit. Itaque qui resistit potestati Dei ordinationi resistit.* D. Augustinus (perdocte vt omnia) sic hoc interpretatur duobus in locis supra commemoratis eadē repetens.

Rom. 13. D. Aug. tom. 9. in Ioan. & to. 10. de verbis Domini in Io. ser. 47.

Nec ego te condemnabo, à quo fortè dānari timuisti, quia in me peccatum non inuenisti, Nec ego te condemnabo. Quid est Domine? Faues ergo peccatis? Non planè ita, attende quòd sequitur. *Vade deinceps? iam noli peccare,* Ergo & Dominus damnauit, sed peccatum non hominem. Si autem peccatorum fautor esset, diceret, nec ego te damnabo, vade viue vt vis, de mea liberatione esto secura. Ego te quantumcunque peccaueris, ab omni pœna etiam à

gehennæ & inferni tortoribus liberabo. Non dixit hoc. Intendant ergo qui amant in Domino manſuetudinem & timeant veritatem. Etenim *dulcis & rectus Dominus*, in-
Pſal.24. quit Pſalmiſta Pſalm.24. Amas quòd dulcis eſt, time quòd rectus eſt, tanquam manſuetus dixit, *Tacui* : ſed tanquam
61. iuſtus, *Nunquid ſemper tacebo? Miſericors & miſerator Do-*
Pſa. 102. *minus*. Pſalm.102. Ita planè, adhuc adde longanimus, adde ... ac & multùm miſericors. Sed time quòd eſt in nouiſſimo, & Verax. Quòd enim modo ſuſtinet peccantes, iudicaturus eſt contemnentes. *An diuitias longanimitatis eius contemnis? Ignoras quia patientia Dei te ad pœnitentiam adducit? Tum autem ſecundum duritiam cordis tui, & cor im-*
Rom.2. *pœnitens theſaurizas tibi iram, &c.* Roman. 2. Manſuetus Dominus, longanimis Dominus, miſericors Dominus, ſed & iuſtus Dominus & verax Dominus. Largitur tibi ſpatium correctionis, ſed tu plus amas dilationem, quam emendationem, Malus fuiſti heri, hodie bonus eſto, ſed expectas & de miſericordia Dei tibi plurimùm polliceris, quaſi ille qui tibi per pœnitentiam proſit ſalutem, promiſerit tibi etiam longam vitam, vnde ſcis quid pariat craſtinus dies? Metuendum eſt ne cùm multum ſperas de miſericordia, incidas in iudicium. Propter illos qui deſperatione periclitantur, propoſuit Deus indulgentiæ portum, propter illos qui ſpe (nempe nimia fiducia) periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit Deus diem mortis incertum. Quando veniat vltimus dies neſcis. Ingratus es, qui hodiernum habes in quo corrigaris. Sic ergo ad iſtam mulierem.

Nec ego te condemnabo. Sed facta ſecura de præterito, caue futura: de leui quòd commiſiſti, obſerua quòd pre-
Aug. to. cepi, vt inuenias quòd promiſi, &c. Hæc D. Auguſtinus.
10.li. 50. Ergo, concludit alibi idem doctor tom.10. libr. quinquaginta Homiliarum, Hom.41. in fine. *Tene certum, dimitte incertum.* Certum autem eſt pœnitentibus & conuerſis, dari veniam, incertum verò nobis longam concedi vitam, in-
Ho.hom. certa denique mortis hora. *Ergo dum tempus habemus pœ-*
14. *nitentiam agamus.*

Horatius lib.1. Carminum Ode 4.

Vitæ ſumma breuis ſpem nos vetat inchoare longam.

Nec ego te condemnabo. Dulce verbum pœnitentibus,
Rom.8. *Deus eſt qui iuſtificat quis eſt qui condemnet?* Roma. 8. *Nihil damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum*

carnem

carnem ambulant ibidem. Non dixit, puniatur adultera sed à malo desistat, Punire namque est fori iudiciarij, dehortari autem à vitiis Christi doctrinæ est, vt ait Theophylactus in 4. Epistolæ ad Ephesios. *Theophi. in Paulũ*

Iam noli amplius peccare. Euthymius in hunc locum. Satis enim erat talis diuulgatio, & coram tot aduersariis erubescentia pro supplicio: maximè quum sciret, quòd illam toto corde pœniteret. Et Cyrillus Alexandrinus ibi obseruat quòd solum ei Dominus iniungit, ne in priora relaberetur mala. Nam incassum sumitur medicina, si post instauratam sanitatem, per vitæ incontinentiam qui conualuit in pristinum incidit morbum: quinimò relapsus in ægritudinẽ periculosior esse solet, & exitio propior, quàm prior ille languor, & quos prima valetudo aduersa nõ extinxit sæpiùs iterata post redditã valetudinẽ ægrotatio sustulit è vita. Haud secus frustrà pœnitentia medicamentum sumitur, si post eam peractam ad præteritæ vitæ sordes reditur. *Euthy. [illegible] Ioan. Cyril. Alexãd.*

Ideo languido dicitur. Ioan. 5. *Iam noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat*. Quibus sanè verbis significauit, per peccati iterationem hominẽ in deteriora prolabi mala. Vxor Loth. Genes. 19. cõuersa retrò ad Sodomam, à qua discesserat, in statuam salis mutata est, & inde sumendum esse nobis exemplum, ne ad deploratas reuertamur peccatorum illecebras, admonuit Dominus. Luc. 17. *Memores estote vxoris Loth*. Semei cùm primæ offensionis in Dauid impetrasset veniam, & iussus esset muros vrbis Hierusalẽ non excedere: quia secundo deprehensus est deliquisse, & mandatum regis neglexisse, morte mulctatus est. 3. Reg. 2. Quid aliud nobis hic Semei casus innuit, nisi tuendam esse Dei iram si iterum atque iterum eadem perpetramus flagitia? *Eiectus immundus spiritus inueniens domum præsidio Dei non munitam, assumpsit alios septem spiritus nequiores se, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*. Hactenus Diuus Cyrillus Doctor Græcus. Postremò quod adulteram non condemnauit Christus, significat gratiam Euãgelij, quæ condonat & ignoscit peccatum agnoscentibus suum. Et quod solus Christus relinquitur significat neminem esse absque peccato, nisi solum Iesum, qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius. Nullus præter hunc vnum, est impeccabilis, per naturam. Hic autem est *ἀναμάρτητος*, Quòd non solùm significat eum qui non *Ioan. 5. Gen. 19. Luc. 17. 3. Reg. 2.*

peccauit,ſed qui peccare nō poſſit. Impeccabilis vno verbo dicitur Latinè & eleganter, quo vſus eſt A. Gellius in noctibus Atticis alicubi. Nec vacare myſterio credendum eſt,quòd poſt inclinationem iteratam, terram verſus, verbum manſuetudinis & clementiæ protulerit. *Nec ego te condemnabo.* Sicut enim, Eſther, cap.4.ſcribitur, quòd ſiue mulier, non vocatus, interius atrium regis intraſſet, abſque vlla cunctatione ſtatim interficiendus erat, niſi fortè rex auream virgam ad eum tetendiſſet, pro ſigno clementiæ,atque ita viueret.

A. Gellius.

Eſther.c. 4.

Inclinatio ergo ſceptri, teſſera erat clementiæ, ſic & Chriſti ad terram inclinatio, argumentum eſt manſuetudinis erga pœnitentem,& conuerſam adulteram. Quemadmodum item iudex primò ſcribit ſententiam quam laturus eſt, deinde ſedens pro tribunali eam recitat. Ita enim cauet lex Imperialis, & ſic reſcripſerunt Imperatores Valens, Valentinianus, & Gratianus. A A A. lege 2.& 3. C.de ſententiis ex periculo recitandis, ita enim legendum eſſe cenſent iuriſconſulti, id eſt, ex labella ſiue libello, ſic enim periculum appellari oſtendit Æmilius probus, deſcribens Imperatorum Græcorum vitas in Epaminonda, poſt medium, vnum ab his petiuit vt in periculo ſuo conſcriberent: Epaminondas à Thebani morte multatus eſt,quòd eos coëgit apud Leuctra ſuperare Lacedæmonios,&c.

Lex.

Aemili9 probus in Epaminõda.

Vbi periculum per iudicem exponēdum eſſe nemo ambigat.Ordinant itaque Imperatores vt iudices non ſubitas ſed deliberatione habita poſt negotium ſententias ponderatas ſibi antè forment, & emendatas ſtatim in libellū ſecuta fidelitate conferant, ſcriptáſque ex libello partibus legant, & lege 3. capit.eodem. Vniuerſi iudices cognitis cauſis, vltimas definitiones de ſcripti recitatione proferant, huic adiicimus ſanctiori vt ſententia quæ dicta fuerit, cùm ſcripta non eſſet, nec nomen quidem ſententiæ habere mereatur. Hactenus Imperatores.Simili modo Chriſtus æquiſſimus iudex, primò ſententiam ſuam ſcripſit in terra. Deinde eam protulit, pro tribunali ſedens, cùm ait mulieri adulteræ: *Vade, & noli ampliùs peccare.* Vbi conſidera, quòd licet Chriſtus nullam ei exteriorem ſatisfactionem iniunxerit, vt pote vel eleemoſynam vel ieiunium, vel orationem aut peregrinationis aut id genus aliquid,non tamen trahendum eſt in conſequentiam.

Ipſe

Ipſe enim dominus eſt, legibus ſolutus, qui poteſt in lege diſpenſare, ſolúſque habet poteſtatem excellentiæ (vt loquuntur Theologi) in ſacramentis, vel inſtituendis vel conferendis, nec alligauit eiſdem poteſtatem ſuam. Ideo poteſt abſoluere à culpa & pœna abſque impoſitione cuiuſcunque exterioris ſatisfactionis. Potuit etiam mouere interiùs prædictam adulteram ad contritionem adeò intenſam, vt illius dolor ac compunctio extinxerit nedum culpam: verùm etiam totalem pœnam. Quæ duo præſtare non valent puri homines, cuiuſcunque authoritatis ordinis, ac gradus, exiſtant. Ideo abſoluendo debent aliquam ſatisfactionem arbitratiam imponere, conſiderata peccati grauitate, & perſonæ confitentis qualitate. Tres enim pœnitentiæ partes ab Eccleſiaſticis Doctoribus aſſignantur, Cordis contritio, Oris confeſſio, & operis ſatisfactio. Nedum enim nos peccati pœnitere oportet, peccata relinquendo, vel à commiſſis ceſſando, ſed etiam dignos pœnitentiæ fructus facere nos neceſſe eſt, ſi ſalutem conſequi volumus, veluti debitor non abſoluitur à priori debito, non multiplicando debita niſi etiam ſoluat ea quæ dudum contraxerat.

Sic & qui alteri iniurias contumeliáſque irrogauit, non ſatisfacit læſo per hoc ſolùm quòd recens & de nouo (vt dici ſolet) alias non irrogat, ſed & de iam illatis oportet vt ſatisfaciat. Ad hunc modum cùm deliquimus nequaquam ſatisfacimus ab iniquitate, ceſſando: niſi etiam voluptates quas diliximus, lamentis & fletibus inſectemur: & puniamus in nobis. Quæ, ne ex nobis dicere videamur, ac confingere, proferam vigilantiſſimi paſtoris Eccleſiæ & Doctoris clariſſimi (iuxta nominis ſui ἐτυμολογίαν) Diui, inquam Gregorij ſententiam & authoritatem. Is Paſtoralis curæ tertia parte admonitione 31. circa finem, ſcribit: Admonendi ſunt qui admiſſa deſerunt: nec tamen plangunt, ne iam relaxatas æſtiment culpas, quas etſi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim ſcriptor ſi à ſcriptione ceſſauerit, quia alia non addidit: etiam illa quæ ſcripſerat deleuit, & ſimili modo, nec qui contumelias irrogat, ſi ſolùm modo tacuerit: ſatisfecit: cùm profectò neceſſe ſit, vt verba præmiſſæ ſuperbiæ verbis ſubiunctæ humilitatis impugnet, nec debitor abſolutus eſt, quia alia non multiplicat, niſi & illa quę ligauerat ſoluat, ita & cùm Deo delinquimus, nequaquam ſatisfa

D. Greg. in Paſtorali.

ſatisfacimus, ſi ab iniquitate ceſſamus: niſi voluptates
quoque quas dileximus, è contrario appoſitis lamentis in-
ſequamur. Neque enim Deus noſtris cruciatibus paſcitur,
ſed delictorum morbos medicamẽtis contrariis medetur:
vt qui voluptatibus delectati diſceſſimus; rurſum fletibus
amaricati redeamus. Et qui per illicita defluendo cecidi-
mus, etiam à licitis noſmetipſos reſtringendo, ſurgamus.
Et cor quòd inſana lætitia infuderat, ſalubris triſtitia exu-
rat: & quòd vulnerauerat elatio ſuperbiæ, curet obiectio
Pſal.74. humilis vitæ. Hinc enim ſcriptum eſt: Pſalm.74. *Dixi ini-
quis, nolite iniquè agere: & delinquentibus, nolite exaltare cor-
nu.* Cornu quippe delinquentes exaltant, ſi nequaquam ſe
ad pœnitentiam, ex cognitione ſuæ iniquitatis humiliant.
Pſal.50. Hinc rurſum dicitur Pſal. 50. *Cor contritum & humiliatum
Deus non ſpernit.* Quiſquis enim peccata plangit, nec ta-
men deſerit, cor quidem conterit, ſed humiliare contem-
nit. Qui verò peccata iam deſerit, nec tamen plangit: Iam
quidem humiliat, ſed tamen cor conterere recuſat. Hinc
1. Cor.6. Paulus, 1. Corint. 6. ait: *Et hæc quidem fuiſtis: ſed abluti eſtis,
ſed ſanctificati eſtis.* Quia nimirum illos emendatior vita
ſanctificat, quos & per pœnitentiam abluens afflictio fle-
D. Aug. tuum mundat. Hucúſque D. Gregorius. Et D. Auguſtinus
54. De- tomo. 2. epiſtola 54. ad Macedonium, habetúrque in 6. De-
cretalis. cretalium de regulis iuris. Si veraciter, inquit, agitur pœ-
nitentia, *non remittetur peccatum, niſi reſtituatur ablatum:*
ſcilicet cùm reſtitui poteſt. Hæc ille. Nec aliunde repete-
re probationem poſſumus validiorem quàm ex Zachæi ad
Luc.19. Chriſtum verbis dilucidis, ſic enim ait: Luc. 19. *Si quid ali-
quem defraudaui, reddo quadruplum.* Cui Dominus viciſ-
ſim reſpondit: *Quia hodie ſalus Domui huic facta eſt, eo quòd
& ipſe ſit filius Abrahæ:* Requiritur proinde in pœnitentia,
& ſatisfactio exterior quædam, atque reſtitutio rei alienæ
(ſi fieri poteſt) nec ſufficit à malo ceſſare, *vt qui furabatur
Ephe. 4.* *iam non furetur*, quòd Apoſtolus Epheſ. 4. ſcripſit: verùm;
Exo. 22. Exod. 22. *Qui furatus fuerit bouem aut ouem, quinque boues
reſtituet, & quatuor oues. Quòd ſi non habuerit quod pro furto
2. Reg. 12* *reddat, ipſe venundabitur.* Et 2. Reg. 12. Dauid contra eum
qui proponebatur in parabola ſuſtuliſſe ouem viri paupe-
Prou. c. 6 ris, hanc ſecundum legis præſcriptum tulit ſententiam.
Lyranus *Ouem reddet in quadruplum.* Et Salomon Rex in Prouerbiis
in c. 6. c. 6. *Deprehenſus in furto*, ait, *reddet ſeptuplum.* Hoc eſt, ple-
Prou. nè perfectéque ſatisfaciet, (Eſt enim ſeptenarius numerus
ſymbolum

ſymbolum plenitudinis & perfectionis) vel, vt exponit literalis interpres, Lyranus, propter incrementum furti, fuit additum ad pœnam legis quæ de ouibus decernebat fieri ad quadruplum reſtitutionem ſolùm, & vt homines cohiberentur à furtis, adiectio ſupplicij & pœnæ facta eſt, ad pacificum conuictum. Neque enim id contra legem, quin potius pro bono Reipublicæ conſtitutum & ſancitum fuit. Eſt igitur congrua ac competens ſatisſactio, reſtitutióque facienda, vt veraciter & ſalutariter agatur pœnitentiam. Det nobis Deus gratiam, vt admiſſa defleamus, turſúſque eadem non committamus, in peccatis noſtris ne pereamus & moriamur, ſcelera dignis pœnitentiæ fructibus, atque priſtinos mores emendemus in melius, & pro noſtris peccatis, adiuuante diuina gratia, ſatisfaciamus ſatisfactionéſque noſtras qualeſcumq; ,ſuppleat Dominus, acceptáſque habeat, & dimittat nobis debita noſtra. Fiat, fiat.



DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMAE.

De quinque panibus & duobus piſcibus.

Abiit Ieſus trans mare Galileæ, & ſequebatur eum multitudo magna, &c. Ioan. 6.



COMMVNI conſenſu concordíque narratione quatuor Euangeliſtæ hoc inſigne deſcribunt miraculum: Matth. 14. Mar. 6. Luc. 9. Ioan. 6. Quòd quodammodo præfiguratum fuit in Eliſeo. 4. Reg. 4. In viginti panibus hordeaceis, & centum viris ex illis refectis. *Vir quidam, ait ſacer contextus, venit de Baalſaliſa, deferens viro Dei Panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos & frumentum nouum in pera ſua.* At ille dixit: *Da populo, vt comedat. Reſpõditque ei miniſter eius, Quantum eſt hoc, vt apponam corã centũ viris? Rurſum ille ait, da populo vt comedat: hæc enim dicit Dominus, Comedent & ſupererit. Poſuit itaque coram eis: qui comederunt & ſuperfuit iuxta verbum Domini.*

Matt. 14. Mar. 6. Luc. 9. Ioan. 6. 4. Reg. 4

Confer

Confer (ſi placet) hinc inde puerum viro. Quinque panes hordeaceos cum viginti. Quinque millia hominū, cū centum. Parùm reliquiarum cum 12. Cophinis. Prophetam Domini verbum proponentem & Dominum ipſum Chriſtum iubentem homines diſcumbere. Et quidem Prophetam ſemel id feciſſe legimus: Chriſtum autem bis ſimile ſignum
Ioan.9. feciſſe tradunt Euangeliſtæ, hoc nimirum loco Ioan.6. &
Matt.15. rurſum Matth.15.& Mar.8. de ſeptem panibus ſeptem ſpor-
Mar.8. tæ reliquiarum fuerunt collectæ & 4000. ſatiata. Tam inſigne miraculum Sibylla prædixit & vaticinata eſt vt ſcri-
Lactantius lib.4 cap.15. bit Lactantius lib.4. de vera ſapientia c.15.

Ἐξ ἄρτοις ἅμα πέντε ϗ ἰχθύεσσι δυοῖσιν
Ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσσει,
Καὶ τὰ περισσεύοντα λαβὼν μετὰ κλάσματα πάντα.
Δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα πολλῶν.

Quæ ad verbum ſic explicantur,

In panibus ſimul quinque, & piſcibus duobus
Hominū quinq; millia in eremo ſeu deſerto Chriſtus ſatiabit
Et reliquias ſumens ſiue quæcunque reſidua erant, poſt fragmenta omnia.
Duodecim implebit cophinos ſeu ſportas, in ſpem multorum.

Tetraſtichon ſubſcribam: Prudentio adſcriptum quod in fine operum eiuſdē Chriſtiani elegantis Poëtæ habetur.

Quinque Deus panes fregit, piſcéſque gemellos,
His hominum largè ſatiauit millia quinque
Implentur nimio micarum fragmine corbes.
Biſſeni, æternæ tanta eſt opulentia menſæ.

Ioan.2. Quid (amabo) dilucidius expreſſiúſque dici potuit? Antea quidem in nuptiis celebratis Ioan. 2. dederat per viam miraculi tantùm vinum, non etiā panes. Nunc autem tantùm panes multiplicat, non vinum exhibet bibendum. Notabis interim, quod iſte miraculosè multiplicatus panis, habebat guſtum & ſaporem panis atque etiā vini potus, inſtar enim vtriuſque, cibi ſcilicet & potus, turbis fuit.
Deut.32 Deut.32. *Dei perfecta ſunt opera,* Idque propter Euchariſtiæ præfigurationem, ex ſapientiſſima ordinatione matris Eccleſiæ, quæ in die Paſchatis filios ſuos vniuerſaliter communicat, ſub vna ſpecie, nempe panis, & non vini, propter pericula quæ poſſunt contingere, *Manet tamen Chriſtus to-*
S.Thom. *tus ſub vtraque ſpecie*, vt cecinit Doctor Sanctus Thomas
in proſa Aquinus, ſequentia ſeu Proſa de Sacerrimo Euchariſtiæ
de ſac. Sacramento. Leguntur in ſacris Bibliis aliquot miracula multipli

multiplicationis, vt verbi gratia. 3. Reg. 17. Farinæ & olei, per Eliam: Hydria farinæ non defecit, nec Lecythus olei imminutus est iuxta verbum Dei. Et per Eliseum, 4. Reg. 4. olei, & panum hordeaceorum. Mulier enim vidua iussu eius, vasa vacua non pauca, quæ mutuò acceperat à vicinis suis, clauso super se & super filios suos ostio: oleo multiplicato diuinitus, impleuit. Panes item miraculosè (vt suprà commemorauimus) multiplicauit. Sed longè maiora per Christum Prophetarum Dominum in Euangelio facta fuisse leguntur. Sed præstat sigillatim contextum Euangelicum perspicere. *3. Reg. 17* *4. Reg. 4*

Abiit Iesus trans mare Galilææ, Transierunt olim, mare filij Israël sub Mose, vt sacra Exodi ostendit historia. Sed Ægyptij corpore periclitati sunt, & in eo naufragium passi atque submersi, Christus nunc mare pertransiit, quem etiam multi sequuti sunt ducem. Tiberiada verò paludem, ait Cyrillus Alexandrinus in hunc locum, aut quia magna est, mare appellauit: aut scripturã sequutus est, apud quam *congregationes aquarum maria nuncupantur.* *Cyrillus Alex. in Ioan.*

Sequebatur eum multitudo magna quia videbant signa quæ faciebat super ægrotos. Ego, ait idem Cyrillus, arbitror, non propter signa simpliciter Christum in admiratione apud multos fuisse, sed additur propter signa quæ in infirmis ægrotísque faciebat, Contrarius igitur animus istorum Iudæorum, (vt puto) animo demonstratur illi propter curationem ægroti ad piscinam Ioan. 5. Vehementius turbabantur: Isti non solùm talia signa mirantur, verum etiam propter hæc quasi Deum sequuntur. Imitemur igitur patientissimos illos discipulos, qui nunquam à Christo recedebant, qui re ipsa, quòd postea Paulus verbis explicuit Rom. 8. conclamabant, *Quis nos à charitate Christi separabit?* In montem ascendamus. Hæc Cyrillus. Quærit autem Euthymius in Ioannem. 6. cap. Quare signa particularius non enumerat Ioannes. Quia hic Euangelista circa doctrinas & conciones ac dogmata magis versatur. Propter signa autem non propter dogmata turba hæc sequebatur, crassius affecta. Hæc ille. Nos autem trans mare Galilææ Dominum sequi debemus, fluctus huius sæculi conculcando, & amorem habentium rerum mente prætereundo, vt de mundo ad patrem desiderio transeamus: mare siquidem Galilææ dicitur iste mundus: Galilæa enim rota exponitur volubilis, quia amor huius *Ioan. 5.* *Rom. 8.* *Euthym. in Ioan.*

sæculi

ſæculi in vertiginem, ſæcularium corda inuoluendo vertit. Sicut ſcriptum eſt in Pſal. *In circuitu impij ambulant.* Ab vno puncto in eundem redeuntes, in peccato naſcuntur & in peccato miſera eorum vita terminatur, hæc Iacobus Vitriaco, tractans hoc Euangelium. Non abs re fuerit ex hoc loco Eccleſiaſticis hiſtoriis producere aliqua exempla de fortunæ, & huius inſtabilis vitæ atque incertæ rota. Sic enim ſcribit Ammianus Marcellus lib. 26. De procopio loquens, victoria parta vltra homines ſeſe efferente: ignorans, inquit, quòd quiuis beatus, verſa rota fortunæ, ante veſperum poteſt eſſe miſerrimus. Vita præſens Rotæ comparatur, vt Nicephorus pulchrè refert. libr. 18. cap. 29. Theodorus medicus vir prudens ad Chaganum miſſus eſt per Priſcum, ſeu Mauricio Imperatore (Erat autem Priſcus Romanorum in Europa Dux, Chaganus verò Hunnus bellum gerebat aduerſus eum) Barbarus ille ſuperbiens, nationum omnium Dominum ſe eſſe minabundus iactabat. Legatus ergo ſic ad eum orationem habuit. Audi Chagane veterem & vtilem orationem. Seſoſtris Agyptiorum Rex illuſtris admodum, & felix, plurimas & maximas ſibi ſubiecit nationes, atque ex eo ſucceſſu in proteruam arrogantiam ſublatus, currum ſibi aureum pellucidis pretioſiſque lapillis ornatum fieri fecit, in quo conſidens, quatuor ex deuictis regibus currui qui eum traherent, iugo illis impoſito iniunxit. Hoc verò quum ſæpius fieret, & celebri quodam feſtóque die, ex 4. iſtis regibus vnus, oculis conuerſis continuè retroſpiceret & rotæ volubilitatem intueretur, Seſoſtriſque eum cuius rei gratia tam frequenter oculos in rotam conijceret, percontaretur: reſpondiſſe fertur. Cùm ſtupore admiror rotam, quum eam inſtabili modo ferri, atque alias aliter volui & nunc quidem ſublimia demittentem, rurſus autem demiſſa ſublimantem, conſpicio. Seſoſtris porrò vbi dictum id intellexit, ſtatuit ne illi poſthac currum traherent. Barbarus verò ſubridens, ſatis ſe pacem complecti iudicauit. Paulus Diaconus rerum Romanorum libr. 17. eandem de Seſoſtri Rege Ægypti recenſet hiſtoriam, quam ideò repetere ſuperuacaneum exiſtimaui. Apud Cedremum pariter fol. 117. Quiddam non abſimile comperitur de Cyro. Cyrus, inquit, multos reges captiuos habens, ſolemni feſtiuitate eos quadrigas vehere iuſſit, in illis ipſe conſidebat. Quidam eorum crebrò reſpiciens rotas

De Vitriaco ad hoc Euã.

Ammianus Marcellinus.

Nicepho. lib. 18. c. 29.

§

Paulus Diaco. li. 17. rerũ Rom.

Cedrem⁹

rotas ſpectauit, ſurſum deorſum ſeſe circumuerſantes, interrogatúſque à Cyro ſimilia planè iis quæ ſuprà retulimus reſpondiſſe fertur. Quare cum honore affectum in quadrigas ſuſtulit. Nec à propoſito diſſentaneum eſt, quòd concordi ſententia ſcribunt, Zonaras tomo.3. Animalium ſub Imperio Baſilij Macedonis fol. 145. In Latina impreſſione ac verſione ſeorſim, & Cedremus in Compendio hiſtoriarum fol. 475. Cùm Sultanus à Ludouico quodam Rege Franciæ captus eſſet circa Italiam, Capuam captiuus abductus toto biennio nunquam ridere viſus eſt, vt rex miratus diceret, ſe ei qui barbarum riſiſſe nunciaret præmium daturum. Cum quidam ſemel reſiſſe nunciaret accerſito Sultano riſus cauſam quæſiuit: at ille: rotas currus, inquit, vidi: quarum cùm altera pars terræ incumberet, altera ſurſum tolleretur, mox ea quæ ſublima fuerat depreſſa: quæ humilis in altum elata eſt. Vnde res humanas eodem modo moueri coniiciens riſi poſſe fieri cogitans, vt ſicut è ſublimi ſum humi depreſſus, ſic ex humili loco in altum elatum ſublimem fore. Rex de ſuo quoque ſtatu cogitans Soldanum ſapientem iudicauit, & eius vt viri prudentis conſiliis, eſt vſus. Is homo callidus regem dolo circunuenit. Hæc illi. Quas hiſtorias antea quoque Euangelio de naui fluctibus agitata memini conſcripſiſſe.

Zonaras to.3. Annalium.

Pierius lib.39. Hieroglyphicon de circulo tractans. Vulgatiſſimum illud inter Hieroglyphica ait fuiſſe fortunam nunc rotulæ vt vulgus, nunc ſphæræ alicui, vt Cebes, inſiſtentem pingere: vt eius inſtabilitatem inde coarguant. Quin à volubilitate nomen etiam illi: nam quæ prius vortuna à vorto dicebatur, mutatione vnius literæ, in fortunam abiit. Cuius præcipuum opus eſt, ima ſummis & ſumma imis commiſcere, rerumque omnium viciſſitudinem inducere, cuius quidem vertiginis ergo, circuli rotæve motui comparatur: conſtat enim pilam atque rotam volubilitatis Hieroglyphicum eſſe. hinc Pſalm. 82. *Deus meus pone illos vt rotam, &c.* Hoc eſt tam facilè felicem eorum ſtatum conuerte, quàm volubiliter rota ipſa conuertitur. Ita Euthymius & alij, inquit, Pierius. Doctus Genebrardus in illum verſiculum hoc edidit ſcholion, Perturba eos in modum rotæ ne pedibus conſiſtant. Galgal ſignificat quicquid rotundum eſt, vel in rotundum torquetur & iactatur: torque illos in modum trochi, quomodo trochus ſolet torqueri à pueris. Chaldæus, Pone illos ſicut rotam quæ

Pierius li.39. Hierogl.

Pſal. 82.

Genebrard. in Pſalm.

voluitur & mouetur, nec consistit in decliui. Hæc ibi. Gallicè dixeris *non accoustumé, comme vne pirouette, comme vne boule, ou esteuf.* (τρόχος enim, his modis exponi potest) in Cebetis tabula circa principium, sic fortuna depingitur, quæ in lapide quodam globoso insistit, hæc nota pulchrè eius naturam indicat. Nimirum nec tutum, nec stabile esse quod ab ipsa proficiscitur donum, casus enim magni & acerbi incidunt, cum quis ipsi fidem habeat. Hæc ille. Boëthius libr. 1. de consolatione Metro. 1. de illa instabilitate, sic cecinit.

Cebes in tabul.

Boëth. li. 1. de cons. met. 1.

Qui cecidit stabili non erat ille gradu.

Et Ouidius lib. 4. de Ponto eleg. 3. ad amicum instabilem.

Ouid. li. 4. de Ponto eleg. 3.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ valuere ruunt.

Quòd appositissimè euidenterque in historia Damoclis apud Ciceronem delineatur. Tyrannos enim semper instabiles esse, ác in terrore ostendit hoc exemplo *lib. 5. Tusculanarum quæstionum in medio.* Cum, inquit, Dionysio tyranno Siracusanorum quidam ex eius assentatoribus Damocles cõmemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negarétque vnquam beatiorem fuisse quenquam. Vísne igitur, ait, ô Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam? Cùm se ille cupere dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto, abacósque complures ornauit, argento auróque cælato, tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eósque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare: aderant vnguenta, corona, incendebantur odores, mensæ exquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem *gladium è lacunari* (siue laqueari) *seta equina appensum demitti iussit*, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam. Iam ipsæ defluebant coronæ, denique exorauit tyrannum, vt abire liceret, quòd iam beatus nollet esse. Satísne videtur declarasse Dionysius nihil esse ei beatum cui semper aliquis terror impendeat? Hanc ipsam Damoclis historiam post Ciceronem elegantissimè Sidonius Apollinaris lib. 2. epist. ep. 13. & Macrobius

Cicer. 5. Tusc.

Sidõ. Apol. lib. 2. epist. 13.

bius etiam de somno Scipionis lib.1.cap. 10. descripserunt quam ex ipsis fontibus hauries, si vis. Nam repetere non est mihi animus. Sed duabus notatu dignissimis historiis propositis finem imponam huic transitui Galileæ. Epitome sexti Aurelij Victoris, in Valeriano memorat, quomodo Valerianus in Mesopotamia bellum gerens, à Sapore Persarum rege superatus, mox etiam captus, apud Parthos ignobili seruitute consenuit. *Sext. Aurel. Victo.*

Nam quamdiu vixit rex eiusdem prouinciæ incuruato eo pedem ceruicibus eius imponens, equum ascendere solitus erat. Et Paulus Iouius de vitis Imperatorum Turcarum in Baiazethe.1. circa finem consimiliter scribit: eum cum Tamberlane conflixisse, ac superatum fuisse: hunc igitur captum Tamberlanes catenis aureis ligauit, atque in ferream caueam detrusum, per totam Asiam ac Syriam circunduxit, quoúsque tandem ipsi miseriarum finem mors attulit. Hæc Iouius, addit autem Folgosius libr.9.exemp.cap.5.de superbia, eandem repetens historiam quod Persarum rex Tamberlanes Baiazethe pro scabello vteretur, vt faciliorem in equum pararet ascensum. Theuet, mihi amicitia, patria, & necessitudine seu consanguinitate coniunctus, Gallicæ Cosmographiæ suæ tom. 1. lib. 11. cap.2. eandem describens historiam Baiazethis, sic narrat: *Quād Tamberlan grād seigneur des Tartares mōtoit à cheual, le dos de Baiazeth luy seruoit de mōtoir, le Tartare estāt à table, le Prince Turc estoit là cōme vn chien, pour se nourrir de ce qu'il plaisoit à Tamberlan luy faire donner, à la fin le Turc s'occit soymesme, & mourut.* 1400. Hæc ibi. Sic voluitur fortunę rota. *Paul. Iouius de vit. Imp. Turc. in Baiazet. 1.* *Fulgos. li. 9. cap. 5. exemp.*

Et cui non est nota deiectio Aman, qui in crucem quam Mardochæo, Iudæo parauerat, sublatus est? Nabuchodonosor item Monarcha ab hominibus euectus, bouis instar fœnum & paleas comedit, & denique multi potentes, de summo gradu felicitatis, in magnas coniecti sunt & ceciderunt miserias ac calamitates, vt colligere non erit difficile, quatenus discas nos omnes hic in mari Galileæ perpetuáque volubilitate versari. Christum autem verè abiisse trans mare Galileæ, qui etiam aquas maris & fluctus calcauit, sicco vestigio pertransiens, cui venti & mare obediunt. Quæ sint per allegoriam dicta. *Sequebatur eum multitudo magna, &c.* Vide, ait de Vitriaco, vbi suprà, quomodo Dominus in desertum, populum trahit: secedens in solitudinem, conscendens montem, hinc dicunt ei discipuli, *De Vitriaco.*

Mat. 14. Matth.14. *Desertus est locus, mitte turbas, vt euntes in castella curent sibi escas.* De solitudine huiusmodi deserti dicit Moyses Pharaoni. *Ibimus viam trium dierum in solitudinem,*
Exo.3.5. *vt immolemus domino Deo nostro.* Exod.3.5. Via trium dierum per quam debemus sequi Christum in deserto, est fides sanctæ Trinitatis. Via trium dierum contritio, confessio, & satisfactio, via trium dierũ oratio, ieiunium, eleemosyna, via trium dierum fides, spes, charitas. Viam trium dierum incedit, qui cogitatiõe, locutione, & opere, Deo seruit. Viã trium dierũ post dominũ vadit qui de peccatis cogitationis, locutionis, & operis satisfacit. Exeam⁹ ergo de Ægypto, vt ei sacrificemus in deserto. Pharao flagellatus ait ad Mosem: *Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac.* In Ægypto domino sacrificãt, qui pro terrenis Deo militant, *Induratũ est cor Pharaonis & nolebat dimittere populũ.* Omnibus enim modis Diabolus nos impedire conatur, ne dominũ in desertum sequamur, & si aliquãdo ab Ægypto recedim⁹ opere, nititur nos retinere cogitatione, & locutione, ne triduũ perficiatur, vnde ipse Pharao rursum afflictus ait: *Sacrificate Deo vestro, verumtamen ne longius abeatis.* Lõgè autem recedit, qui peccatum & omnes peccati occasiones fugit, iterum afflictus Pharao, voluit omnia dimittere, sed filios eorum & vxores, & viam quæ possidebant retinere. Nouit Diabolus, quia amor talium multoties retrahit hominẽ in Ægyptum, vnde Moyses respondit: *Cum paruulis nostris & senibus pergemus, cum filiis & filiabus, cum ouibus & armentis: nihil de his quæ ad nos pertinẽt, debemus in Ægypto relinquere,* sed nos & nostra debemus domino in deserto sacrificare. Paruulos id est, opera nouella, senes opera cõsuetudinaria, vxores & ancillas opera vitæ actiuę: oues, opera simplicitatis & innocẽtiæ, armenta perfectionis opera debemus extra Ægyptum tenebrarũ facere & exercere. *Quomodo enim cantabimus canticũ domini in terra alienę?* Inquit psalmographus, tandẽ verò Pharao multipliciter afflict⁹ ait: *Ite & sacrificate Deo vestro oues tantũ & armẽta remaneãt,* Diabolus enim nõ ignorat omnia bona amitti, si vnum solum fiat in peccato mortali. *Quia qui offẽdit in vno factus est omniũ reus.*
Iac.2. Iac.2. & Eccl.9. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* Vn-
Eccles.9. de sustinet multa bona opera fieri, dum per vnũ malũ opus animã possit retinere, & per alia de genere bonorũ quæ agim⁹, nos securos reddere. Oues quorũ innocentiã circunueniat: Armẽta quibus onera peccatorum imponat, nititur

in Ægypto

in Ægypto relinquere. Ecce cũ quanta difficultate permittit eos, quos semel inuoluit tortuosus serpẽs, euadere. Vnde inuocandũ est eius, Christi videlicet auxilium, vt ipsum calcato mari Galileę sequi valeamus in desertũ. Hucusque Iacobus de Vitriaco. *Sublevatis oculis Iesus, cùm vidisset quia multitudo maxima venit ad eum.* Theophylactus in Ioã. c. 6. Quare dixit: quũ sustulisset oculos suos? vt discamus quòd non solitus sit hinc & inde vagari oculis sed compositus & attẽtus sedere, vt pote docens discipulos diuiniora quædã. Hæc ibi. Oculi domini fenestræ sunt misericordiæ eiusdẽ. Aspice in me & miserere mei domine, precabatur vates regius. Sic Num. *Conuertat dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem, & misereatur tui,* necnon in Psal. *Deus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultũ suũ super nos, & misereatur nostri. Misereor super turbam,* ait dominus Matt. 15. Vidit dominus indigẽtiam turbarum & prouidit necessitatibus eorũ quã scitè dictũ est: *Oculus domini impinguat equũ.* Plinius lib. 18. c. 6. sic refert: maiores fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt. Xenophon in Oeconomico, c. 21. Pręclara mihi videtur, inquit, Barbari cuiusdã responsio, cum rex equũ bonũ nactus esset, ac illũ pinguẽ quã primũ efficere volẽs, interrogasset vnũ ex iis qui equos alendi periti videbantur, Quid equũ pinguẽ faceret celerrimè oculus domini, respõdit, hæc ibi. Et Aristot. œcon. lib. 1. c. 6. Persa rogatus quid equum maximè pinguẽ faceret, oculus domini respõdit. Libycus verò rogatus, quòd sterquilinum agro foret optimũ? domini, inquit, vestigia. Non ergo mirum, si domin⁹ eleuat oculos super turbã prouisurus eis de pabulo necessario. Ipse enim alit suos in fame, teste psal. de quo quidem psal. 22. Κύριος ποιμαίνει με. D. Hierony. etiã ex Hebręo sic trãstulit & vertit, *Dominus pascit me,* hoc idẽ sibi volunt. 70. interpretes, qui sic Græcè cõuerterunt, vt nunc citatum est. *Multitudo magna venit ad eum.* De Vitriaco hìc annotat alios quidẽ sequutos fuisse dominum ventris gratia, vt illi quibus exprobat Ioan. 6. *Quaritis me, quia ex panibus mãducastis, & saturati estis.* Ite mercenarij sacerdotes, vt qui eo tantũ respectu vel prædicãt vel religionẽ intrant & mãducẽt & ditescãt, nõ propter Iesum tãtũ, vel propter eius signa ipsum sequũtur, alios autẽ dicit propter malitiã tantum, vt eum caperent in sermone sequutos fuisse. Alios verò causa curiositatis, vt miracula viderẽt, nec tamẽ propter hoc mores suos in melius emẽdabant. *Qui autem dicit*

Theophy. in 6. cap. Ioan.

Num. 6.

Matt. 15.

Plin. lib. 18. cap. 6.

Xenophõ in œcono. cap. 21.

Arist. œcon. lib. 1. cap. 6.

Psal. 22. D. Hier. 70. interpretes.

De Vitriaco. Ioan. 6.

se in Christo manere debet sicut Christus ambulauit & ipse ambulare. Hæc ille. Contingit similiter aliquos conuenire ad concionem reprehensionis causa, alios curiositate ductos, alios syncera bonáque intentione, quosdã denique vt videant & videantur, libidine, vana gloria, & hypocrisi impulsos.

Theoph. *Dixit ad Philippum.* Theophylactus, Non alium, inquit, interrogat, quàm Philippum. Ipse enim maiori indigebat eruditione, qui postea dicebat. *Ioan. 14.* Ioan. 14. *Ostende nobis patrem & sufficit nobis,* & propterea illum antea instituit & edocet. *Euthy.* In eandem sententiam descẽdit Euthymius in Matthæum c.14. Tentabat eum, ait, tanquam cæteris eo tempore imperfectiorem. *D.Cyril.* Nec dissentit Cyrillus Alexandrinus in præsentem locum. Non igitur debent abiici rudiores discipuli à præceptoribus, sed eò diligentius accuratiúsq; instrui: quò maiore ac vigilantiore egẽt institutione. *Cicer. li. 3. de Oratore & in Bruto & libr. 6. ad Atticum epist. 1.* Notationéque dignũ fuerit, quòd Cicero tribus in locis Isocrate perhibet lib.3. de Oratore post exordia, Dicebat Isocrates doctor singularis, se calcaribus in Ephoro, contrà autem in Theopompo frenis vti solere, alterum exsultantem verborum audacia reprimebat: alterum cunctantem, & quasi verecundantem incitabat. & in Bruto siue de claris oratoribus circa media. Hoc, inquit, doctoris intelligentis est, videre quò ferat sua quemque natura, & ea duce vtentem sic instituere, vt Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, & leuissimi Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos: & scribens ad Atticum libr.6. epist.1. circa medium, Cicerones pueri amant inter se, discunt, exercẽtur: sed alter, vti Isocrates dixit in Ephoro & Theopompo, frenis eget: alter calcaribus. Hæc Cicero. *Quintil. lib.10.* Quintilianus lib.10. instit. orator. circa media, Ephorus, vt Isocrati visum, calcaribus eget. Hæc ibi. Similem huic dicere possumus Philippum, qui calcaribus egeret, & accuratiore disciplina. Quem ideò Christus specialiter compellat & erudit. Non sic de quo narrat Maximus monachus sermone 17. De eruditiõe & Philosophia, Philosophus quidam, ait ille, cum duos haberet discipulos: alterũ hebetem, sed laboriosum: alterum ingeniosum, sed desidẽ & pigrum: Ambo, inquit, malè pereatis: quia tu cùm velis, non potes, tu verò cùm possis, non vis. *Maxim⁹ serm. 17.* Eadem prorsus ponit, & Antonius monachus. 1. parte in melissa cap.50. de disciplina & philosophia. *Anto. 1. par. c. 50.*

Vnde

Vnde ememus panes? &c. Hic præbet Dominus exemplũ rectoribus & Imperatoribus ac populi ducibus & pastoribus indigentium curam suscipere. Quod Imperatores Valentinianus & Martianus AA. sanciunt, sic rescribentes: vt habetur in Codice Iustinian. ex leg. Priuilegis, &c. C. de sacrosanctis Ecclesiis, Humanitatis nostræ est egenis prospicere, ac dare operam vt pauperibus alimenta nõ desint. Hæc illi. Dicant ergo principes, vnde ememus panes, &c. Ecclesiastici quoque pauperum curam gerant: & prouideant vt pauperes panes habeant ad manducandum. Quærit autem dominus à Philippo, non quia ignoret, *Sciebat enim,* ait Euangelista, *quid esset facturus)* sed vt Philippus interrogatus & tentatus fidei suæ tarditatem agnosceret, quatenus viso miraculo crederet paucorum denariorum panes sufficere posse turbis reficiendis præsente rerum omnium creatore, qui educit panem de terra, & de vno grano multa multiplicat, Non enim istud minoris potentiæ, sed non reputatur miraculum quia est vsitatum. Hæc de Vitriaco. Obseruat hoc loco Cyrillus Alexand. quomodo Optimam disciplinam & sacris consentaneam viris suis, discipulis Christus proposuit. Nam etiam in montibus & deserto paratos esse docuit oportere ad hospitalitatis virtutem. Quum enim quasi aquarum fluenta innumeri homines ad eum confluerent, ad sustentandos illos cibo discipulis iussit. Cuius rei, cum propter multitudinem hominum, tum propter locorum solitudinem, magnitudine atque difficultate, quis diues non fuisset perterritus? sed omnem huiuscemodi formidinem, spe gratiæ suæ abiiciendam monet. Ipse enim in Euangelio ait, Ioan. 6. *Qui venit ad me non esuriet, &* Psal. *Inquirentes dominum, non minuentur omni bono.* Vnde autem ememus panes, dixit, vt paupertatem discipulorum ostenderet, qui iampridem colligendi æris abiecto studio, vnde emerent non habebant.

Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, &c. Abiectè Philippus valdè atque humiliter respondet. Nam cùm vnde illud audiuisset, non virtutis, omnipotentiæque Christi sibi venit in mentem: sed trepidus ad solam pecuniariam viam refugit, nullo alio modo hanc rem peragi posse existimans, nisi communi tritóque pecuniarum medio. Quare quantùm ad paupertatem discipulorũ attinebat, ex Philippi sententia, ad impossibile iam libera-

litas nutriendæ multitudinis deducta erat. Sed *quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deū*: Luc. 18. & naturę ipsius terminis, deitatis natura superior est, omnia antè peragens etiam quæ mentem nostram excedunt. Hactenus Cyrillus. At verò Euthymius in Ioannem testatur dominum in desperationem de remedio conieciſſe Philippum, vt desperationem fassus, diligentiùs cognoſceret fuisse miraculum quod ipse facturus erat: Nam si vtcumque facturum esset, nequaquam tale apparuiſſet. Siquidem tanquam Deus nouerat, quod responsurus esset Philippus. Aiunt autem quidam, quod Deus aliquem tentare dicitur duobus modis: vel vt imbecillitatem eius arguat, sicut nunc in Philippo: vel vt illius fortitudinem ostendat quemadmodum olim in Abraham. Gene. 22. quando offerre filium suum in holocaustum pręcepit. Hęc ibi. Notandum autem ex Innoc. 3. lib. 4. misteriorum Missę cap. 22. in expositione orationis dominicæ, quòd Tentat Deus, Tentat homo, Tentat & Diabolus, Deus tentat vt probet, homo tentat vt sciat, Diabolus vt fallat. De primo, *Tentauit Deus iustos & inuenit illos dignos se. Tanquam in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit eos.* Sap. 3. De secundo Daniel 1. *Tenta nos obsecro diebus decem.* De tertio Act. 5. *Cur tentauit Satanas cor tuum?* Cùm autem dicat, D. Iacobus cap. 1. *Deus intentator malorū est. Ipse autem neminem tentat.* Quomodo hic tentasse Philippum dicitur? Respōdeo, Deus quodammodo tentat, & quodammodo non tentat, Tentat quidem vt probet, Psalm. *proba me domine & tenta me.* Non tentat autem vt fallat secundum illud: Num. 23. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.* Heb. 6. *Impossibile est mētiri Deū.* Et sicut ille verax est, imò veritas ipsa, sic nec fallit nec fallere potest. 2. Tim. 2. *Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Negaret autem seipsum, Si deciperet, & fallaciam, technásque ac dolos hominibus pararet. Hęc ex Innocentio maxima ex parte.

Euthymius in Ioannē. *Gen. 22.* *Innoc. 3. lib. 4. mister. Missa ca. 22.* *Sap. 3.* *Dan. 1.* *Act. 5.* *Iacobi 1.* *Num. 23* *Hebr. 6.* *2. Tim. 2.*

Andreas dixit: Est puer vnius hic qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces, &c. Euthymius in Matt. 14. Proculdubio puerulus ille discipulis hæc vendebat. Ideóque tanquam illa iam habentes, responderunt se aliud nō habere præter hæc tantùm. Ita neglectui illis erant corporalia, dum mordicus spiritualibus inhærerent: Duodecim enim solis quinq; panibus iisque ordeaceis cibandi erant.

Euthy. in Mat. 14.

Hæc

Hæc ille. Petrus de natalibus in catalogo ſanctorum libr. 6.capit. 29. de ſancto Martiale Epiſcopo Leniocenſi quorundam recenſet opinionem, dicentium. Hunc ex 72.diſcipulis vnum, illum puerum fuiſſe,qui habebat quinque panes hordeaceos & duos piſces,vt hic dicitur, qui etiam in vltima cœna,miniſter aſtitit, & cum Chriſtus pedes diſcipulorum lauaret, ipſe aquam in peluim famulatus officio miniſtrauit: quem poſt Chriſti aſcenſionem miſſum eſſe à Beato Petro in gallias,veniſſeque in Aquitaniam & ibidem Chriſtum prędicaſſe, maiorum fides tenet firmiſſimè: Sicut autem colligitur ex ſupradictis, magna erit iſtius plebis deuotio ad Chriſtum, quum ventris curam non haberet, ſed indefeſsè Chriſtum ſequeretur in deſertum. *Petr⁹ de natalib. lib. 6.ca. 29.*

Contra quoſdam ventri deditos,genio indulgẽtes, nec ſpiritualia omnino curantes qui non vt viuant nati videntur,ſed tantum vt bibant & epulentur: ſicut Imperatorem Aurelianum de quodam Bonoſo dixiſſe, Vopiſcus author eſt.Ex oppoſito Socrates, referente Laërtio in eius vita li. 2.de vitis Philoſoph.alios quidem viuere dicebat vt ederent,ſe verò ideò edere vt viueret Refert hoc ipſum Athenæus li.4.c.18.Socrates ſe ab aliis hominibus differre dicebat, quod hi viuebant vt ederant, ipſe verò edebat vt viueret. *Vopiſcus. Laërtius libr. 2.in Socratẽ.*

Quod imitatus Diuus Chryſoſtomus concione 1. de Lazaro ſic ſcribit: Non in hoc nati ſumus vt edamus, ſed ideò edimus vt viuamus. Deuotæ iſtæ turbæ adeo prædicationi erant intentæ. Vt non curantes quid ederent, triduò dominum ſuſtinerent,& cum eo perſeuerarent Matt. 15.& Mar.8. *Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduò ſuſtinent me,nec habent quod manducent, & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam deficient in via:quidam enim ex eis de longe venerunt.* Quibus ex verbis patet domini commiſeratio & prouidentiæ cura de alendis famelicis & neceſſitatem patientibus. Narrat Suetonius in Tito Veſpaſiano §. 8.Titũ dicere ſolitũ.Nõ oportere quẽquã à ſermone principis triſtẽ diſcedere.Ita minimè decuit tantã multitudinẽ fame laborantẽ,à Chriſto ſine refectiõe diſcedere. Hic ſe offert oportunus locus narrãdi quod in ſpeculo exẽplorum,ex vitis patrum diſtinct.2.§.29. habetur. Quidam de ſanctis ſenioribus ſalutationis cauſa profectus eſt ad aliũ ſeniorẽ eremitã.Qui cum omni gaudio ſuſcepit eum, pro *D. Chryſoſto. cõcor. 1. de Lazaro. Suetoni⁹ i Tito Veſpaſiano §.8. Vita Patrum & Speculũ exemplorũ diſt.2 §.29.*

cuius aduentu parauit ad refectionem senior lēticulæ cibum coctum. Dixerūtque inter se, vt priùs ex more complerent orationes & psalmodiam & postea cibum caperent. Cùm autem ingressi fuissent totum psalterium compleuerunt & de scripturis sanctis adinuicem contulerunt, itáque dies abierat, nóxque similiter recedebat. Dum ergo orarent & intentè psallerent, illuxit alia dies, túncque primùm intellexerunt, quia iam nox transisset. Iterum autem inter se de verbo Dei loquētes, & spirituales sibi sensus exponentes. Factum est vt circa horam nonam salutantes seinuicem, ita reuerteretur qui venerat senex ad cellulam suam. Nam refectionem cibi qui paratus fuerat obliti sunt accipere, dum cibum spiritualem perciperent. Vespere autem facto inuenit senior ollam plenam sicut parata fuerat, & contristatus dixit, heu quomodo obliti sumus percipere pulmentum istud! hactenus prædicta narratio. Nec leuiter transeundum, quod suprà Euthymius annotauit, panibus ordeaceis Apostolos cibandos fuisse.

Vnde colligere facilè est maximam fuisse Apostolorum frugalitatem. Hordeaceo enim non delicatis cibis exquisitisque ferculis vescebantur, non in croceis & epulis regiis hanc vitam transigebant, sed vtcumque victitabant, quandoque in fame spicas vellentes, & nunc hordeaceos panes tantùm habentes. Ex Heraclide de Politiis. In Rep. Lacedæmoniorum habetur insigne frugalitatis testimonium. Triticum apud eos nemo pinsit, neque verò Tritici, sed Hordei farina vescuntur. Similiter Amphilocus in vita D. Basilij quæ extat apud Surium tom. 1. vitarum sanctorum, refert, quomodo Iulianus Apostata bellum in Persas suscipiens in Cæsareç Cappadocum partes venerit, Cui obuiauit D. Basilius offerēs illi pro benedictione tres panes hordeaceos, quos quidem Imperator voluit à satellitibus suis accipi, sed illi fœnum reddi cū his verbis. Hordeū ab illo nobis datum pabulum est iumentorum. Recipiat igitur & ipse fœnum. At Basilius illud suscipiens, ait: Nos quidem, ò Imperator ea tibi obtulimus quibus ipsi vescimur. Tu verò ea nobis restituis vnde bruta victitant animantia, vltrò quidem nos irridens. Furore percitus Iulianus, Huius, inquit, fœni alimentum sine subtractione dabitur tibi, ac postquàm Edomitis Persis huc rediero euertam vrbem hanc eámque sic aratro proscindam, vt

Suri⁹ to. 1. vit. S. Basil.

farris

farris potiusquam hominum ferax sit. Hactenus Amphilochus. Benè & eleganter habet tritum prouerbium: *Optimum condimentum fames*, quod Socrati tribuit. Cicero lib. 2. de finibus bonorum & malorum circa finem sic scribēs. Socratem qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem: cibi condimentum esse famem, potionis sitim. Darius in fuga, ait idem Cicero lib. 5. Tusculanarum quæstionum, sub finem, cùm aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vnquam se bibisse iucundius, nunquam videlicet sitiens biberat, nec esuriens Ptolemæus ederat, cui cùm peregrinanti, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius.

Cicero li. 2. de Finibus & 5. Tuscu.

Socratem ferunt, cùm vsque ad vesperum contentiùs ambularet, quæsitúmque esset ex eo, quare id faceret: respondisse, se, quo melius cœnaret, obsonare ambulando famem. Quid? victum Lacedæmoniorum in Phiditiis (Sic enim cōuiuia parca & frugi, ac cenationes frugales, à Parsimonia, Lacedæmonij appellauerunt, vt ne istud ignores) nonne videmus? Vbi cùm Tyrānus cœnauisset Dionysius, negauit se iure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum: tum is qui illa coxerat, Minimè mirum, inquit, condimenta enim defuerunt. Quæ tandem, inquit ille? Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis. His enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Sic parsimonia delectabantur Lacedæmonij. Persarum à Xenophonte victus exponitur: quos negat ad panē adhibere quicquam, præter Nasturtium. (Est autem nasturtium herba hortensis, quam nos Galli, *du Cresson alenois*, dicere & appellare solemus.) Hæc Cicero. Eandem sententiam sic apud Athenęum lib. 4. dipnosophistarum c. 18. effert Xenophon: suaue est, μάζαν καὶ κάρδαμα φαγεῖν, id est massam, (Aliqui polentam dicunt, Nonnulli nauticum panem vulgò, bis coctum, intelligunt *Massepan* etiam dicunt: quidam massam hordeaceam interpretantur. Alij denique panem madefactum, seu libum, seu placentam, massam vertunt) fame laboranti nasturtiúmque comedere: suaue est & sitienti aquam ex flumine haustam, bibere. Socrates cùm sępius ante domum summo vesperi deambulare comprenderetur, interrogantibus, quid istic agis? Dicere solitus fertur, Obsonium ad cœnā comparo. Hæc refert Athenęus ibi. Addam & Plutarchi testimonium. Is tom. 1. Opuscul. in

Athenæ. li. 4. dipnosophis. c. 18.

Plutar. tom. 1. Opuscul. in Apoph.

Apoph.

Apoph. regum & Imperat. Artaxerxes Mnenon, ait, id est, memor cognomine, ficus comedens aridas, & hordeaceum panem, Quantæ (exclamauit) voluptatis imperitus fui! & Ælianus de varia historia lib. 12. cap. 40. Xerxes, inquit, cùm in loco deserto sitiret, neque adhuc adessent impedimenta, inuentus est quidam, qui paululum aquæ haberet, idque putridum. Bibit illam Xerxes & eum qui dederat in benefactoris loco habuit, quoniam nisi illa inuenta fuisset; periisset siti. His consentit sapientis apophtegma Prouer. 27. *Anima saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* & Threnorum 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Horatius demùm Satyra 2. lib. 2. Sermonum.

Ælianus de varia hist. lib. 12. c. 40. *Prou. 27.* *Thren. 4* *Horatius Satyr. 2. lib. 2. ser.*

Ieiunus stomachus raro vulgaria temnit.

Idem Iuuenalis Satyra 11. in fine, quiddam sententiæ cecinit.

----Voluptates commendat rarior vsus.

Hæc autem omnia adducta sunt aduersus eos qui variis cupediis & operosis condituris conantur efficere vt cibus sapiat palato: quũ nihil suauius edi possit, quàm quòd editur ab esuriente. Manet hodieque vulgò tritum prouerbium, famem efficere, vt crudæ etiam fabæ saccarum sapiant. Non igitur mirum, si Apostolis & turbis esurientibus tam benè sapiunt hordeacæi isti panes & duo pisces. Nauseabãt Iudæi olim super Manna, illísque fastidio erat: at verò in Euangelio sapidissimi sunt panes hordeacei. Hęc est etiam differentia, quòd in Euangelio non delitiæ palati & ventris quæruntur. Lex autem pinguia & opima quæque pollicebatur. Isa. 1. *Si me audieritis, bona terræ comedetis.* Adde quòd Benedictiones olim erant. De rore cœli & pinguedine terræ, modo autem in Euangelio beatitudines & benedictiones ad regnum cœlorum respiciunt. Matthæi. 5. *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Isa. 1. c.

Quid hæc inter tantos? &c. In hunc locum D. Cyrillus perpulchrè commentatur. Opportuisset certè, inquiens, si firmior apud eos fides fuisset non magnum sibi videri cibaria, illi multitudini præparari posse ab eo, qui cuncta produxit ex nihilo. Sic Nume. 11. Cùm daturum se Dominus populo carnes ad saturitatem promitteret, Moses id impossibile factu in deserto, existimans, dixit: *Sexcenta millia hominum hic sunt & tu dixisti, dabo eis mense vno carnes ad saturitatem? Cui Dominus, an,* ait, *manus Domini non sufficiet?*

D. Cyril. Alex. *Num. 11.*

sufficiet? Quid enim non poterit Deus? Hæc ad Philippum atque Andræá dicere possumus. Nónne manus Domini non sufficiet? Ne igitur imbecillitate nostra vires diuinas metiamur. Hæc Cyrillus.

Facite homines discumbere, &c. Vbi necessitas innotuit tunc facit miraculum, adiutor in opportunitatibus, ait diuinus psaltes. Mirum sanè, quòd nostra infidelitas vertit oculos ad omnia, præterquam ad ea quæ nos securos efficere possunt, potentiam Dei nimirum, bonitatem eiusdem ac liberalitatem qui 40. annis nutriuit populum Israël in Ægypto, *qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione*, qui passeres, & aues in aëre volitantes, licet non serant neque metant aut congregent in horrea, attamen pater cœlestis pascit eas, & quòd notatu dignissimum est, *Das escam pullis coruorum inuocantibus eum*, Psal. 146. & Iob. 38. in fine cap. *Quis* (præter ipsum) *præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, eo quòd non habeant cibos?* Testatur Euthymius in Psalmos explicans præfatum versiculum. *Psal. 146* *Iob. 38.* *Euth. in Psal.*

Quomodo pulli coruorũ derelicti à parentibus roscida aura enutriuntur à Deo. Isidorus quoque lib. 12. Originum siue Etymologiarum cap. 7. Coruus, inquit, editis pullis escam non præbet, priusquam per pennarum nigredinem similitudinem proprij coloris agnoscat: Postquàm autem nigros in plumis aspexerit agnitos abundantius pascit. Subscribit & Cassiodorus in Psalmum prænominatũ. Pulli coruorum vt Physiologi volunt, cœlesti rore vescuntur, & adhuc paternas escas, id est, cadauerum fœtores beneficio ætatis ignorant. Qui per coruos pauit Elyam, qui hortatur, vt quæramus primùm regnum Dei, & se quæ necessaria erunt adiecturum spondet, an non congruenter iubet Apostolis vt faciant homines discumbere, & statim omnes cùm grandi egregióque miraculo satiat? Sic extra ordinariè Danielem in lacu leonum, Elyam, & populum Israël in deserto aliquando aluisse in sacra narratur historia. D. Hieronymus tom. 1. Epistolarum in vita Pauli Eremitæ, narrat quòd Coruus panes ei adferebat, vnde visitanti se D. Antonio dixit, Sexaginta iam anni sunt, quòd accipio dimidij semper panis fragmentum, verùm ad aduentum tuum Dominus militibus suis duplicauit annonam, misit enim tunc panem integrum. *Isidorus lib. 1. §. etym. c. 7* *Cassiod.*

Nec prætermittere fas est quòd Euagrius historiæ Ecclesiasticæ *Euagri⁹ lib. 2. c. 6.*

cleſiaſticæ lib.2.cap.6. contigiſſe memorat. Circa tempora,inquit, Martiani Imperatoris & concilij Chalcedonenſis,in Phrygia Galatia, Cappadocia, tanta fuit imbrium paucitas,vt homines rerum neceſſariarum penuria coacti, alimentum peſtiferum & exitiale caperent,vnde etiam peſtis nata eſt,fames tamen his quibus vita ſuppetebat, per ſalutarem Dei prouidentiam leuata eſt: quippe anno illo ſterili, alimentum ex aëre non aliter atque manna olim Iſraëlitis delapſum dicitur,& inſequente anno fructus maturos terra ſua ſponte produxiſſe.O admirandam Dei prouidentiam & bonitatem.

Diſcubuerunt ergo quaſi quinque millia, &c. Non dicunt:
Pſal. 77. nihil paratum eſt:aut quòd Pſal. 77. Legitur quondam ab Iſraëlitis dictum. *Nunquid poterit Deus parare menſam in*
Cyrillus Alex. *deſerto?* Sed ſimpliciter obediunt. D. Cyrillus ἐμφατικῶς dictum eſſe cenſet. Facite homines diſcumbere,quaſi dicat. O tardi ad intelligendas vires meas. Facite homines diſcumbere, vt videatis quo illos miraculo ſaturabo:nónne poterit,qui viduæ vaſculum vacuari oleo non permiſit,
3.Reg.17 & hydriam effecit non carere farina. 3. Reg. 17. Hos etiam quinque panes multiplicare, ex nihilo, aut quaſi à fonte magnam ciborum copiam producere?Diſcubuerunt ergo illi.

Quinque millia computantur. Animaduertendum autem diligenter, inter eos non mulieres neque pueros qui viris permixti erant, enumeratos fuiſſe. Sequutus eſt, vt
Matt.14 puto,Euangeliſta Matth.cap.14.*Exceptis mulieribus & paruulis*, Scripturæ conſuetudinem in qua, quum à Deo ad Moſem dictum ſit, vt ſynagogam filiorum Iſraël ſecundum cognationes ex nomine numeraret, vt vnuſquiſque vltra vigeſimum annum præcepta faceret,nec fœmina nec
Num.1. puer aliquis,numeratur: Num.1. c. Ita veritas atque conſtantia, quæ nullam habet puerilem ac muliebrem in bonis leuitatem, in libro Dei conſcribitur: Ita & ſcripturæ conſuetudinem ſeruat, & ſpirituale quiddam nos docuit, mulieribus ſiquidem & pueris confusè diſcumbentibus, de viris ſolùm mentionem fecit:ænigmaticè monens, omnibus qui viriliter probitatem ac fidem complectuntur,
Ennius apud Eraſmum in Chil. non imbecillibus aut mollibus cœleſtem à ſaluatore cibum præberi. Nam qui muliebri animo aut puerili ſunt nihil magni cognoſcere poſſunt. Hæc Cyrillus. Proferam hoc loco illud Ennianum,quòd Eraſmus Chiliad.3.cent.6.

Adag.

Adag.51. Mulieris animus posuit: *Vos etenim iuuenes, animos geritis muliebres.* Hoc est, inconstantes. Nam vt Virgilius 4. Æneidos sub finem, scripsit: *Virgil.4. Æneid.*

Varium & mutabile semper
Fœmina.

Hinc Laërtius lib.6. de vitis philosophorum in Diogene post medium, refert quòd ille videns aliquando adolescentulum effœminari, non te pudet, ait, deterius, quàm naturam ipsam de teipso statuere? Illa enim te virum fecit, tu te cogis mulierem fieri. De pueris autem quòd hoc nomine peccatores pueriles affectus habentes, ac imperfectos intelligantur, locus est expressus apud Euangelicum prophetam cap.65. *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Puer enim dicitur hoc loci interprete Lirano, qui multum vixit pueriliter, sequens passiones suas. Et Aristoteles lib. 1. Ethic.cap.3. Puer sit ætate an moribus, inquit, puero par & similis, nihil interest. Non est enim vitium in tempore sed in moribus, quia scilicet animi perturbationes in omni vitæ actione sequatur. Breuiter & dilucidè hunc locum tractauit, commentariis super Matthæum cap. 14. Theophylactus scribens: Ideò excipi mulieres ac paruulos, quia exigitur à Christiano ne quid puerile & muliebre præ se ferat. Repetit pene eadem in Ioannem. *Laërtius lib.6. in Diog.* *Isa.65.* *Lyra.* *Aristot. li.1. Eth. cap.3.* *Theoph. in 34. Matt.*

Erat fœnum multum in loco. Cyrillus quòd discubuerunt super fœnum, exponit quòd suscepti fuerunt à Christo hilariter, & placido vultu, vt illud Psalmistæ 22. Psalmo dicere possint. *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.* Hæc ille. Sed ad morum informationem præstat hoc accommodare. Est enim discumbere super fœnum, carnis gloriam & concupiscentiam calcare *Omnis caro fœnum* ait propheta Isaias c.40. *Si secũdum carnem vixeritis moriemini,* inquit, Apostolus. Nec alienum est à proposito, quod Christus recẽs natus reclinatur super fœnum in præsepi: fœnum autem est herba & pabulum iumentorum. Edocemur ergo, *ne simus sicut equus & mulus, quibus non est intellectus,* vt ait Psalmographus, fœnum comedentes, & similes Nabuchodonosor, de quo Daniel 4. *Ex hominibus abiectus est & fœnum vt bos comedit.* Quinpotius super fœnum recumbentes, calcemus fœnum, hoc est carnis gloriam & libidinem edomare satagamus. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis,* ait vas electionis Paulus. *Cyrillus.* *Psal. 22.* *Isai.40.* *Dan. 4.*

Accepit

Theophy. in Ioan. *Accepit Iesus panes & benedixit, &c.* Theophylactus in Ioannem, obseruat quod Dominus etiam ex nihilo potuisset panes facere, qui turbæ sufficerent, attamen ne videretur creatura non esse ex ipsius sapientia, ipsa creatura vsus est in materiam miraculorum, & acceptis quinque panibus, vt materia quadam præclarum istud miraculum fecit. Confundantur Manichæi, dicentes quòd panis & omnes creaturæ factæ sunt à malo Deo, (ô insignem apertámque impietatem ac blasphemiam.) Propterea si quis dederit eis panem, non accipiunt illum de manibus illius sed procul quidem illum abiici iubent, stantes autem, & maledicentes ei qui dedit. (Vide miram Manichæorum ingratitudinem ac improbitatem!) dicunt. Qui seminauit te dispergatur, & qui pinsuit te, pinsatur carne & similia. Confundantur itaque hæc dicentes: quia boni Dei filius Iesus Christus panes multiplicauit. Nam si creaturæ malæ fuissent, nequaquam bonus mala multiplicasset (sic enim *D. Thomas in catena.* in Catena aurea D. Thomæ legitur, & mendosus est codex meus Theophilacti, interprete Ioanne Oecolampadio) vt taceam interim quod & ipse Christus panes comedit. Hęc ille. Addo quòd scriptura diuinitus inspirata apertè *μανίαν* hanc, & insaniam furorémque istorum Manichęorum (iuxta nomini ἐτύμον insanientium) improbat ac refellit: *Omnis enim creatura Dei bona est* (ait Apostolus) *& vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: inquit sanctus legislator & propheta Moses. Subit animum meum admi- *Epipha. cont. hæres. lib. 2. to. 2. libr. 66.* ratio, Dum quæ Epiphanius Cypriorum Episcopus celebris nominis, contra hæreses libr. 2. tom. 2. aduersus Manichæos, hæresi 66. circa media, scripsit: relego & penitus cõsidero. Cùm, inquit, panem edere volunt, orant prius sic dicentes ad panem.

Neque ego te messui, neque molui, neque expressi, neque in clibanum misi, sed alius fecit hæc, & attulit mihi, Ego sine culpa comedo. Hæc quum apud seipsum dixerit, hæc dicit ad eum qui in sacris instituitur, oraui pro te, & sic discedit ille. Dicunt ergo Manichæi ibidem, Si quis metit, metetur. Ita si quis frumentum in machinam conieceerit, conijcietur etiam ipse: aut subegerit, subigetur: aut assauerit assabitur, & propterea interdictum est ipsis, vt ne opus faciant. Hactenus ille. Quæ confutare non est difficile, siquis perpendat furiosi verba esse potius & emotæ mentis, quam sanè sentientis: Dicere panes à malo

principio

principio esse, & execrandos, cùm tamen Dominus noster celebraturus nouissimam cœnam acceperit panem, benedixerit, inque suum Augustissimum corpus conuerterit dicens: *Hoc est corpus meum.* Cúmque ipse dominus se compareт grano frumenti in Euangelio Ioan. 12. dicens: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet: & in solitudine cùm panes acceptos, benedictione sua efficacissimè & potentissimè multiplicauerit, quis ergo nisi profligatæ malitiæ & impietatis, amodo dixerit, Panem non esse Dei creaturam bonam? Et hæc contra Manichæos dicta sufficiant.

Acceptis panibus gratias egit, &c. Theophylactus in Ioannem, per hoc ostendit quod ante cibum gratiæ agendæ sint Deo. Insuper quia turba erat ideo coram turba gratias agit, vt omnibus persuadeat, quòd secundum voluntatem Dei aduenerit & quòd non sit aduersarius Deo, sed omnia referat in patrem. Nam quando seorsim facit miraculum: nihil tale facit, etiam si maius quoddam faciat: quando autem coram multis miraculum operatur tunc ad Deum respicit. Hæc ibi: Quod in Lazari suscitatione palàm facta Ioan. 11. Vt alias dicetur, innotescit: tunc enim leuatis in cœlum oculis magna voce gratias egit patri. Non debemus autem ignorare quia Matthæus cap. 14. Iesum benedixisse scripsit, & Lucas, cap. 9. εὐλόγησεν αὐτοὺς disertè dixit hoc est benedixit eis, vel eos panes benedictione sanctificauit. Sic enim scribit Apostolus cibum sanctificari per verbum Dei & orationem. Et Cyrillus in Ioannem attingens hunc locum. Non ignoramus, inquit, benedici omne quod sanctificatur, ea oratione quam in mensa facere solemus: hæc ille quæ sedulò obseruabis contra hæreticos huius tempestatis negligentes mensæ consecrationem vsitatam & benedictionem, crucis consignatione interposita, Nedum enim, illud, εὐλόγησεν αὐτοὺς, benedixit eis, capitur pro gratiarum actione, sed etiam pro benedictione mensæ, & multò conuenientiùs: Theophylactus in Matth. 14. id insignuare videtur scribens: Suspicit in cœlum & benedicit panes, docens vt & nos mensam accedentes primùm gratias agamus, & sic comedamus. Porrò qui in antiquitate versatus fuerit & exercitatus, facilè deprehendet, in more fuisse apud veteres Christianos in mensæ benedictione seu consecratione vti crucis signaculo & precibus quibusdã ecclesiasticis, de quibus

Theophy. in Ioan.

Ioan. 11.

Luc. 9.

Cyrillus in Ioannem.

Theophy. in 14. Matth.

Origen. libr. 3. in Iob. omnibus expreſsè mentio fit apud Origenem antiquiſſimum ſcriptorem Clementis Alexandrini diſcipulum, & ſucceſſorem, quem D. Hieronymus tom. 2. epiſtolarum, ad Pammachium & Oceanum Doctorem Eccleſiarum quondam adoleſcentulus nominauit: Is ſcribens in Iob libr. 3. circa medium, Cùm manducamus, inquit, vel bibimus, Si terribile nomen Dei inuocauerimus. Si noſmetipſos, vel cibum & potum noſtrum *Signo Venerabilis Crucis* † *Chriſti ſignauerimus*, Si ad cœlum oculos noſtros leuantes dicamus. *Qui das eſcam omni carni, Da etiam nobis cum omni benedictione hunc cibum ſumere.* Si dixerimus cum ſynceritate ad Dominum noſtrum: Tu dixiſti Domine, quia ſi aliquid mortiferum biberimus tuum inuocantes nomen non erit nobis moleſtum.

Tu itaque domine virtutis & gloriæ auerte veneficam & iniquam operationem à nobis & ab omnibus cibis noſtris. Tunc, inquam, faſcinationes non præualent quicquam. Sed quid illuſtrius produci poteſt ac proferri in teſtimonium, quàm quod ὁ θεόλογος. D. Naziázenus oratione prima in Iulianum ſcripſit, in medio, ad hunc modum: Ferunt quoſdam Iuliani milites, qui errore atque ignorantia prolapſi. Idolis thus adoleuerant, poſtquàm domum ſe recepiſſent ſodales conuictoréſque ſuos menſæ participes habuiſſe, deinde conuiuio ad conſuetam frigidæ potationem progreſſo, non ſecus ac ſi nihil grauius ipſis accidiſſet, ad aquæ poculum. *Sublatis oculis Chriſtum cum Crucis* † *ſigno* appellaſſe. Ibi tum quendam conuictorum admiratione correptum dixiſſe, Quod hoc rei eſt? Chriſtum poſt abiurationem inuocatis. Illos verò his verbis examinatos, reſpondiſſe, Quo tandem modo abiurauimus & quinam hic nouus ſermo aures noſtras ferit? Quo ſubiungente. Quoniam ad ignem thus adoleuiſtis: quod idem omnino eſt, ac Chriſtum inficiari.

D. Nazianz. orat. 1. in Iulianũ.

Protinus illos à conuiuio exilientes, velut lymphatos & furioſos, ac zelo & iracundia inflammatos, per forum cucurriſſe, atque in hæc verba exclamaſſe: Chriſtiani, Chriſtiani animo ſumus. Si quid manus peccauit, mens certè minimè ſecuta eſt. Imperatoris fraude circumuenti ſumus, cuius auro ſauciati ſumus. Poſteà ad Imperatorem celeriter profectos ad hunc modum exclamaſſe: Da hoc beneficium militibus tuis: Chriſto nos macta, atque obtrunca. Ignem igni repende, pro cinere illo in cinerem nos

redige:

redige: Manus amputa, quas ſceleratè porreximus, & aurum generoſo animo proiicientes ſic dixiſſe, Alios auro dona, Nobis ſatis ſupérque eſt Chriſtus, quem inſtar omnium habemus. Sicque quantùm in ipſis erat Martyres erant. Hactenus Gregorius, in quem locum Doctiſſimus Billius, annotauit Moris fuiſſe antiquitus, vt cibum & potum ſigno crucis ſignarent Chriſtiani, quòd & nunc pij faciunt. Notum eſt quod Tertullianus libro de Corona militis ſcripſit: Ad menſas, ad lumina &c. frontem crucis ſignaculo terimus. *Billius.* *Tertulia. de coron. milit.*

Porrò ex hoc Chriſti facto panem benedictum colligimus. Quis enim diffiteatur eum maiori virtute imbutum, quàm alij: cùm eo tot homines paſti fuerint & ſatiati? Potior ſanè eius virtus fuit, quàm panis communis ſeu vulgaris, nec tamen adeò dignus eſt vt Euchariſticus de quo Ioannis ſexto, *panis quem ego dabo caro mea eſt* & 1. Cor.10. *Panis quem frangimus nónne communicatio corporis Chriſti eſt &c.* 1. Cor.11. *Quicunque manducauerit panem vel biberit calicem Domini, &c.* Sicut Catechumenis olim panis benedictus diſtribuebatur in ſignificationem vnionis Chriſtianæ, ad quam ſuſpirabant, cùm inepti eſſent, ac indigni pane Euchariſtico, Eadē ratione dominicis diebus, cum populus non communicet, vt ſemper fractionis panis & ſacræ Euchariſtiæ meminerit, panem benedictum accipit. Vnde Diuus Auguſtinus tomo 7. de peccatorum meritis & remiſſione ac de baptiſmo paruulorum ad Marcellinum lib. 2. cap. 26. Catechumeni quòd accipiunt, quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam (addit ibidem) ſacramentum eſt, hoc eſt, vt ego interpretor, rei ſacræ ſignum, ſumendo laxato vocabulo ſacramentum, ſignificat enim eos Chriſto, per baptiſma, quòd nondum ſuſceperunt, attamen ad illud aſpirant, & deſiderio feruntur, inſerendos & incorporandos, quòd panis benedicti ſymbolo commodè ſatis deſignatur. D. etiam Hieronymus tom. 1. in vita Hilarionis Eremitæ, in medio, Panis ab illo benedicti diſertè meminit ſcribens his verbis: Concurrebant potentes viri ac Iudices ad virum ſanctum vt benedictum ab eo panem vel oleum acciperent. *Ioan.6.* *1. Cor. 10. & 11.* *D. Aug. tom.7. de pec. mer. & remiſ. li.2.c.26.* *D. Hier. to.1. in vita Hil.*

Nec pigebit id producere quòd idem author in vita præfata memorat: quendam à Diuo Hilarione à dæmone liberatum & curatum, cùm ſimplicitate ruſtica decem

auri libras offerret, hordeaceum ab eo panem accepiſſe, audiſſéque quòd qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent. Quòd etiam ad amorem Apoſtolicum facilè accommodabis.

Prudent. lib. Catechuměe. Apud prudentium Chriſtianum Poëtam, D. Auguſtino coëqualem, libro καθημερινῶν, hymn. ante cibum, verſus finem, ponitur elegans oratio ad menſæ benedictionem quàm hîc adſcribere operæ pretium duxi.

Da locuples Deus hoc famulis
Ritè precantibus, vt tenui
Membra cibò recreata leuent.
Neu piger immodicis dapibus
Viſcera tota grauet ſtomachus.
Hauſtus amarus abeſto procul,
Nec libeat tetigiſſe manu
Exitiale quid, aut vetitum,
Guſtus & ipſo modum teneat,
Soſpitet vt iecur incolume.

Antoniꝰ Nebriſſenſis. Antonius Nebriſſenſis in commentariis, hunc locum ſic illuſtrat, Leuent membra, id eſt, membra habeant non grauata cibo ſed leuia & agilia, ne Stomachus grauet viſcera tota, quaſi dicat: ſatis eſt ipſum eſſe aliquatenus cibo grauatum, ſed non occupet alia membra: ſed propriè ſtomachus eſt ipſum ventris os, & ſic ſtat melius ſententia, *Anacharſis.* hauſtus amarus, id eſt, potus qui in amaritudinem terminatur, vnde eſt illud Anacharſis Scythæ: Tres vuas vitis fert, quarum prima voluptas, ſecunda ebrietas, tertia mœſtitia, exitiale, id eſt mortiferum ipſi animæ. Iecur incolume, per iecur affectus intelligit ex Platonis opinione. Hæc ibi. In ſumma deprecatur, vt in cibo & potu tanta ſit moderatio ac temperantia, vt nihil in animæ perniciem, nihil denique fiat contra morum honeſtatem, nihil per luxum fiat contra morum honeſtatem, nihil per luxum & lu-*Ouidius.* xuriam. Nam vt ſcribit Ouidius alicubi.

Vina parant animos veneri, &c.

D. Hier. to. 2. Oceano. Et Diuus Hieronymus diſertiſſimè & elegantiſſimè tom. 2. Oceano, de vnius vxoris viro circa finem. Vinolenti, ait, ſcurrarum eſt & comeſſatorum: ventérque mero æſtuans citò deſpumat in libidines, in vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia eſt: qui luxuriatur, viuens mortuus eſt: ergo qui inebriatur, & mortuus & ſepultus eſt. Noë ad vnius horæ ebrietatē nudat femora ſua,

quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat. Loth per temulentiam neſciens libidini miſcet inceſtum: & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Hactenus Diuus Hieronymus. Non eſt mihi animus, prætermittere inſignem illam quàm narrat S. Gregorius magnus, hiſtoriam libr. 1. Dialogorum cap. 4. *D. Greg. li. 1. Dialog. ca. 4.*

Quadam die, inquit, vna Dei famula ex monaſterio virginum, hortum ingreſſa eſt, quæ lactucam conſpiciens concupiuit, eámque *Signo Crucis* † benedicere oblita, auidè momordit: ſed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cúmque vexaretur, per ſanctum virum Equitium liberatur. Signo crucis ergo conſignabit Chriſtianus eſculenta & poculenta quæque in menſa propoſita, Chriſti, Benedicentis panes, exemplo, & veterum ritu, vt arceatur inimici potentia, & ne dæmon in nos arripiat, Deo, iuſto iudicio id permittente, poteſtatem. Impius Beza annotationibus ſuis in nouum teſtamentum Matth. 14. εὐλόγησε hoc deprauat, potiuſquam ſyncerè & candidè interpretetur, id eſt, benè precatus eſt & gratias egit Deo patri, quòd, ait ille, annotaui ne quis rudior benedictionis appellatione intel- « ligat crucis ſignum in aërem ſparſum, aut conſecrationem « magicam. « *Beza. Benedixit & hoc.*

Hæc ille blaſphemus. Quænam eſt iſta audacia & temeritas, ſic peruertere & detorquere ſcripturam, tam diſertè teſtantem Chriſtum benedixiſſe panibus vel panes ipſos? Quænam licentia & impudentia ſic adulterare verbum Dei? Nedum enim Chriſtus *gratias egit* in hoc miraculo, quod habet D. Ioannes Theologus & Euangeliſta cap. 6. Sed etiam *benedixit*, vt ait Matthæus cap. 14. & εὐλόγησεν αὐτοὺς quod ſcripſit D. Lucas cap. 9. Benedixit panibus ipſis, quod cùm Beza per gratias agere deprauat, an non ineptam & nugatoriam vt ita dicam, reddit ſententiam? Gratias egit, & benedixit, id eſt per repetitionem inanem & ſuperfluam imò vitioſam, gratias egit. *Ioan. 6. Mat. 14. Luc. 9.*

Verùm annotauit illud, ne rudior quiſpiam hallutinare- « tur & intelligeret crucis ſignum vel magicam conſecratio- « nem, ô præcantionẽ pij viri & de religione rectè inſtituen- « da ſatagentis ſcilicet! Latet anguis in herba. Nempè hoc vult inimicus crucis Chriſti conſecrationem eſſe magicam, execrationem dixiſſet potius, cùm crucis ſignum in aërem ſpargitur. Cùm ſigno crucis † per verbũ Dei & orationẽ cibi ſanctificãtur 1. Timot. 4. Si cum gratiarũ actione

ſumantur. ibidem, quid autem magis impium, & venerandæ antiquitati magis contrarium & repugnans fuerit, quàm ſic ſentire de menſę benedictione ſeu cõſecratione, & crucis ſigno ac vſu ad Chriſtianorum cõuiuia religioſa? Idem in Luc. 9. εὐλόγησεν αὐτοὺς. Benedixit eis, non dubium
" eſt inquit, quin εὐλογεῖν hoc loco ſignificet τὸ εὐχαριστεῖν, id
" eſt, gratias agere, quia tamen additur relatiuum αὐτοὺς, &
" nimis abſurdum fuerit, cogitare Chriſtum egiſſe panibus
" gratias aut precatum eſſe panes ac piſces, emollienda eſt
" hæc interpretatio, dicitur ergo panibus benedixiſſe, id eſt,
" de his panibus ac piſcibus gratias egiſſe Deo patri, & ſi-
" mul eum precatus vt tantilla panum ac piſcium copia tan-
" tam multitudinem paſceret: denique vt totum hoc conui-
" uium ad Dei gloriam referretur. Sic Chriſtiani dicuntur
" benedicere menſæ & conſecrare menſam: quum tamen
" hæc benedictio non ad ipſos cibos ſed ad Deũ potius &
conuiuas pertineat. hæc veterator ille, ſic & in noua gloſſa
Noua gloſſa haret. ordinaria in 3. Euangelia priora, ex oliua Roberti Stephani 1553. ad Matth. 14. exponendo illa, ſublatis in cœlum oculis benedixit, &c. Hęreticorum commentum ſimile, po-
" nitur: Verbum benedicere ſignificat gratias agere quod
" ex Ioanne apparet, qui pro eo quòd tres reliqui dicunt
" benedixit, habet: quum gratias egiſſet. Lucas autem ad-
" didit pronomen, benedixit illis, pro gratias egit domino
" pro panibus & piſcibus quos ad manum illi dederat ad
" ſuſtentandam multitudinem, ſimul etiam vt bene illis ver-
" tat cibus, precatur. admonet igitur ne vnquam cibum at-
" tractemus, quin Deo gratias agamus. Hæc ibi, non Ec-
" cleſiaſtici ſcriptores ſed hæretici ſycophantæ impoſtores
" ac calumniatores. Si ad cibos ipſos appoſitos & edendos
non pertinet benedictio, vt ablaterant iſti, quomodo er-
Mar. 8. go, Mar. 8. *Non ſolùm panes, ſed & piſciculos benedixit?* & in alio miraculo, cùm ſeptem panibus & piſciculis pau-
Luc. 9. cis 4000. ſatiauit? Si nedum panes, Luc. 9. ſed etiam piſci-
Mar. 8. culos benedixit, & iuſſit apponi: Mar. 8. proculdubio benedictio etiam ad ipſos pertinet cibos, nedum ad Deum & conuiuas, ſic enim ſonant ipſa benedictionis menſæ verba, quibus ex veteri more Chriſtiani vtuntur, *Nos & ea*
Cyril. apud Thomam. *quæ ſumus ſumpturi benedicat ✝ dextera Chriſti.* Addam & explicationem S. Cyrilli apud S. Thomam, in cathena aurea Luc. 9. Hoc etiam diſpenſatiuè pro nobis fecit, vt diſcamus quòd in principio menſæ cùm frangere debemus panem,

panem, debemus Deo offerre & elicere ſuper ipſum benedictionem ſupernam, vnde ſequitur, & benedixit illis & fregit, &c. Hæc ibi Cyrillus. Si debemus ſuper panem elicere benedictionem ſupernam, ergo benedictio ad ipſum pertinget. Si ſanctificatur cibus per verbum & orationem, ergo ſanctificatio ad cibos etiam pertinebit? Placet mihi Heſſelij Louanienſis doctoris, in Matth. 14. explicatio. Iſta Benedictio, inquit, fuit ſimul gratiarum actio, & panum ac piſcium aut pluribus benedictionibus vſus eſt, vna, qua patri gratias egit, altera, qua benè precatus eſt, piſces ac panes multiplicando. Hæc ibi. cum enim multiplicati ſint panes ex domini benedictione & vt ita dicam, meliores & præſtantiores effecti ac redditi. conſtat certiſſimè benedictionem ad ipſos optimè pertinuiſſe. Quæ autem fuerit illa benedictio, ait Soarez in Matth. 14. cap. on explicuit beatus Euangeliſta Quoniam verò adhuc ſancta crux ex domini membris decorem non ſuſceperat: conſtat illam benedictionem, cruce minimè fieri potuiſſe quæ tunc ad ſalutem omnium eſt dedicata, cũ in illa Dominus fuit affixus. Hæc ad dilutionem & confutationem væanæ hæreſeos ac impietatis dicta ſint. Fit quidem mẽtio de panibus & piſcibus ſed non de vino, vel oleo: vult enim Chriſtus non contentos eſſe neceſſariis & frugalibus eſcis non delicatiora appetere pocula, & ne nos belluino more & inſtar ſuum ſaginemus & ingurgitemus, vult Dominus cum gratiarum actione & nominis Domini inuocatione nos reficere hoc corpuſculum. *Heſſeli⁹ in 14. Matth.* *Soarez ĩ 14. Mat.*

Fregit, & dedit diſcipulis panes, diſcipuli verò turbis, &c.

Panifractio vſque adeò fuit Chriſto aſſueta & familiaris, vt Lc. 24. cognouerint diſcipuli Dominum in fractione panis hic certè frangendi panis mos apud veteres planè patens fuit. Hinc, *Paruuli petierunt panem & non erat qui frangeret eis.* Threnor. 4. Nequit enim panis in alimoniam paruulorum venire, niſi frangatur. Et vt exponit Lyranus paruli à patribus & à matribus petentes panem vt eis frangerent: deerant tamen alimenta neceſſaria in obſidione Chaldæorum, de qua illic agitur. *Luc. 24* *Thren 4* *Lyran⁹.*

Dedit per manus diſcipulorum turbis, & ſatiantur quinque millia, nouo miraculo. Et certè non legimus Chriſtum quoties ſuis cœnam dare voluit nouis mediis vſum eſſe, quare præpoſterum votum fuerit ſiquis inuſitato aliquo modo cibum & potum ſibi deferri efflagitet, eſſet enim

id prorsus tentare Deum. Narratur in vitis patrum Gallicè conscriptis, f.281. Quomodo duo quidam fratres nolebant edere, nisi à Deo refectionem suam & alimoniam acciperent. Et cùm longius aliquando profecti fuissent ac penè fame confecti, deficerent: conspexerunt tamē Mazitas, hoc est, populos ita nominatos, truces atque Barbaros ac homicidas, qui prædictis fratribus panes afferent misericordia motos: comperta illorum monachorum extrema necessitate. Alter illorum panes grato excepit animo, ac si Deus ad ipsum misisset, sicque ipse interpretabatur, cogitans apud se Mazitas id effecisse, vt sibi ac sodali vitam seruarent, qui alioqui summo in discrimine ac periculo constituti erant, præ fame & inedia. Sicque frater ille ex oblatis panibus comedit: alter verò noluit, hac imbutus opinione ac persuasione cibos non à Deo sibi sed ab homine proferri. Et quanquam stultè vterque illorum incœpisset, alter tamen prudenter perfecit, culpam siquidem tandem agnouit, & oblatos cibos accipiens, comedénsque, mortem euasit. Alius verò perperam accœpit, & peius compleuit, atque proinde mortem incurrit corporalem, & (fortè) spiritualem. Hæc ibi Gallicè habentur, quæ vtcumque latinè vertere volui, in gratiam eorum qui Gallicè non nouerunt. Nec abludit à proposito quod ex vitis patrum in speculo exemplorum dist. 2. §. 142. legitur. Venit quidam frater ad Abbatem Siuanū in montem Syna, & vidit fratres operantes & dixit seni: Nolite operari cibum qui perit. Maria enim optimam partem elegit, & dixit, senex discipulo suo: mitte istum fratrem in cellam vbi nihil est, & cum facta est hora nona intendebat ad ostium si mitterent, & vocarent eum ad manducandum. Et cùm nemo loqueretur ei surgens venit ad senem & dixit ei, Abba, fratres hodie non comederunt? Et dixit senex, etiam iam comederunt. Et dixit ei frater ille: & quare me non vocastis, Et respondit senex tu homo spiritualis es, & non indiges hoc cibo, Nos autem carnales sumus, & volentes manducare, proterea operamur manibus nostris, tu verò partem bonam elegisti legens tota die, & nolens sumere carnalem cibum: qui cum hoc audisset prostrauit se ad pœnitentiam dicens. Ignosce mihi abba, & dixit ei senex puto opus habet omnino Maria parte Marthæ. Ibidem §.139. simile narratur ad hāc formam. Abbas Ioannes breui statura, dixit aliquando fratri suo

Vita patrum.

Specul. exemplorū. dist. 2. §. 142 & 139. &c. §. 152.

ſuo maiori. Volo eſſe ſecurus ſicut angeli ſunt ſecuri, nihil operantes ſed ſine intermiſſione collaudantes Deum, & mox ſpolians ſe quo veſtitus erat, abiit in eremum, & facta ibi hebdomada vna, reuerſus eſt ad fratrem ſuum, & dum pulſaret oſtium, reſpondit ei antequam aperiret dicens: quis es tu? Et ille dixit, ego ſum Ioannes. Et reſpondens frater eius dixit ei: Ioãnes angelus factus eſt, & vltra inter homines non eſt. Ille autem pulſabat dicens: Ego ſum & non aperuit ei, ſed dimiſit eum affligi vſque mane. Poſtea aperiens dixit ei: Si homo es, opus habes iterũ operari vt viuas, ſi autem angelus es, quid quæris intrare in cellam? Et ille pœnitentiam agens dixit: ignoſce mihi frater, quia peccaui. Hactenus recenſuimus abundè exempla ſimplicium quorundam & rudium, qui mediis extraordinariis ſine labore cuperent ali in deſerto, & inſtar filiorum Iſraël in ſolitudine, qui nutriti ſunt manna, & horum Iudæorum Chriſtum ſequentium, quos per miraculum panum multiplicatorum enutriuit Dominus, vellent abſque ſua induſtria & vigilantia, à Domino paſci & ali. Quod quàm ſit à ratione alienum cogitet quicunque Domini decretum & ſtatutum perſpectum habuerit, quo dicitur Geneſ. 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, & Pſalm. *Labores manuum tuarum: quia manducabis*, & Apoſtolus, *Qui non laborat non manducet.* Rurſus ibidem, Diſtinct. 2. §. 152. Refertur ſingularis quædam hiſtoria de panum multiplicatione. Senex quidam cum alio fratre agebat communem vitam, erat autem ſenex ille miſericors. Contigit autem vt fieret fames, & cœperunt quidam venire ad oſtium eius, vt acciperent Agapen, hoc eſt charitatẽ ſiue collationem panis. Senex verò omnibus venientibus miniſtrabat panem. *Gene. 3.*

Videns autem frater quod fiebat dicit ſeni. Da mihi partem meam de panibus, & quod vis fac de parte tua. Senex autem diuiſit panes & faciebat more ſolito eleemoſynam de parte ſua. Multi autem concurrebant ad ſenem audientes quia omnibus daret, videns autem Deus propoſitum voluntatis eius benedixit panes. Frater autem ille qui acceperat partem ſuam, & nulli dabat conſumpſit panes ſuos & dixit ſeni: quoniam modicum eſt adhuc quod habeo de panibus meis, abba, ſuſcipe me ad communem vitam, & dixit ei ſenex: quo modo vis facio, & cœperunt ſimul eſſe & communiter viuere. Facta eſt ite-

rum penuria victualium, & veniebant iterum indigentes, vt acciperent Agapen, contigit autem vna die vt intraret frater ille, & videret quia defecerunt panes. Venit autem & pauper postulans Agapen. Senex verò dixit, fratri illi, da ei panem, & dixit: iam non habeo pater. Et dixit senex intra & quære: ingressus frater attendit & vidit repositionem in qua panes haberi solebant repletam panibus. Quod cùm vidisset timuit, & tollens dedit pauperi, atque ita agnoscens fidē & virtutem senis, glorificauit Deum. Quod miraculum valdè congruit cum præsenti: Multiplicantur namque panes quos Dominus egētibus per Apostolos distribuit, vt discas verissimum esse quod vulgò dicitur, *Donner pour Dieu n'appauurit homme.* Prouerb. 28. *Qui dat pauperi non indigebit.* Item Ecclesia. 35. *Da altissimo secundum datum eius & septies tantum reddet tibi.* Dat ille altissimo, qui propter Deum liberalis est in pauperes, eodem Domino sponsore & fideiussore. *Quod vni ex minimis fratribus meis dedistis, mihi dedistis.* Prouerb. 11. *Aly diuidunt propria & ditiores fiunt, aly rapiunt non sua & semper in egestate sunt.* Diuus Basilius magnus, homil. 6. in ditescentes auaros sic scribit. Quod dedisti, ad te cum auctario reuertetur. Frumentum in terram cadens lucrum proiicienti parit, sic & panis esurienti collatus, multam tibi in posterum reddet vtilitatem. Hîc nota quod Matth. 19. Dominus veraciter pollicetur, Da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo. Exemplum præclarissimum cernitur in Ioseph Patriarcha, qui tempore famis pauit esurientes, apertis regiis horreis, & pater patriæ ac saluator mundi ab Ægyptiis est appellatus: sicut in Genesi legimus. Similitudine elegantissima persuadet, D. Basilius & confirmat prædicta. Putei, inquit, sæpè exhausti melius & copiosius fluunt: dimissi & quieti facilè putent: sic, & opes conditæ inutiles, translatæ in publicum commodum fructum pariunt. D. Gregorius verè magnus cognominatus, suis in dialogis libr. 1. cap. 9. pulchrum adducit exemplum cuiusdam Bonifacij Ferentinæ vrbis episcopi qui adhuc puer habitans cum matre seipsum expoliabat, & nudos vestiebat & cum à matre increparetur cur ipse inops pauperibus vestimenta daret, in liberalitate tamen solita perseuerauit, Mater eius quadam die horreum ingressa penè omne triticum quod sibi in stipendium totius anni præpara

Prouerb. 28. *Eccl. 35.* *Prou. 11.* *D. Basilius homil. 6. in auaros.* *D. Greg. dial li. 1. cap. 9.*

parauerat inuenit à filio ſuo pauperibus erogatum. Cumque ſemetipſam alapis pugníſque tunderet quod,quaſi anni ſubſidia perdidiſſet : ſuperuenit Bonifacius puer Dei, eámque verbis quibus valuit conſolari cœpit. Quæ cùm nihil conſolationis admitteret:hanc rogauit vt ab horreo exire debuiſſet:in quo ex omni eorum tritico parum quid inuentum eſt remanſiſſe. Puer autem Dei ſeſe illic protinus in orationem dedit.

Qui poſt paululum egreſſus ab horreo matrem reduxit, quod ita tritico plenum inuentum eſt ſicut plenum ante non fuerat, cùm mater illius, totius anni ſumptus ſe congregaſſe gaudebat. Quo viſo miraculo compuncta mater iam ipſa cœpit hortari vt daret, qui ſic celeriter poſſet quæ petiiſſet accipere. Ibidem de eodem iterum refertur non minus miraculoſum facinus, ac præclarum opus. Cum nihil aliud ad omne ſtipendium Ferentinæ Eccleſiæ, niſi vnam tantummodo vineam haberet, quæ quodam die ita grandine irruente vaſtata erat vt in ea paucis in vitibus, vix parui raríque racemi remanſiſſent. Tunc prædictus Bonifacius Epiſcopus Ferentinæ ciuitatis magnas omnipotenti Deo gratias retulit : Cumque vindemiarum tempus adueniſſet, mandauit Conſtantio presbytero nepoti ſuo, vt cuncta vini vaſcula in Epiſcopio omniáque dolia vt ante conſueuerat pice ſuperfuſa præpararet. Quod audiens illius nepos valdè admiratus eſt, quòd quaſi inſana præciperet, quod vini vaſcula præparari faceret, qui vinum minimè haberet, nec tamen præſumpſit inquirere cur talia iuberet : ſed iuſſus obtemperat:& omnia ex more præparauit. Tunc vir Dei vineam ingreſſus racemos collegit,ad calcatorium detulit,omneſque exinde egredi præcepit ſolúſque ibi cum vno paruulo puerulo remanſit, quem in eodem calcatorio depoſuit, & calcari ipſos pauciſſimos racemos fecit. Cumque ex eiſdem racemis parum aliquid vini deflueret, cœpit hoc vir Dei ſuis manibus in paruo vaſe ſuſcipere : & per cuncta dolia, omniáque vaſa quæ parata fuerant pro benedictione diuidere : vt ex eodem vino omnia vaſcula vix infuſa viderentur. Cùm verò ex liquore vini parum aliquid in vaſis omnibus miſiſſet : vocauit protinus preſbyterum : iuſſitque pauperes adeſſe. Tunc cœpit vinum in calcatorio creſcere:ita vt omnia quę allata fuerant pauperum vaſcula impleret.

Quibus

Quibus cùm se idoneè satisfecisse conspiceret: ex calcatorio iussit puerum discedere: apothecam clausit: atque impresso sigillo proprio munitam reliquit: mox ad Ecclesiam rediit: die verò tertia prædictum Constantium presbyterum vocauit: & oratione facta apothecam aperuit, & vasa in quibus tenuissimum liquorem infuderat, vbertim vinum fundentia inuenit, ità vt pauimentum omne excrescentia vina inuaderent si ad hæc Episcopus tardius intrasset. Tunc terribiliter presbytero præcepit, ne quousque ipse in corpore viueret, hoc miraculum cuiquam indicaret. Hactenus, D. Gregorius. Ex quo liquet multiplicari per viam miraculi ea quæ in pauperum vsus & solatia erogantur & distribuuntur; sicut in duodecim cophinis reliquiarum & fragmentorum collectis ex quinque panibus præsenti loco euidenter ostenditur. Vnde dicitur.

Colligite quæ superauerunt fragmenta ne pereant. Dicens Dominus, *Ne quid pereat*, ad frugalitatem suos hortatur. Neque enim maior Dei largitas luxuriæ irritamentum esse debet, ergo qui abundant se olim rationem esse reddituros sciãt acceptorum à Domino bonorum, nisi fideliter in probatos & Deo acceptos vsus tanquam fideles dispensatores & œconomi Domini, reponant quod illis affluit. Ne ergo reliquias bonorum quibus pasti sumus perdamus pedibus conculcantes equorum pinguium more, quæ à Domino accepimus. In pœnam cessit epuloni quod Lazaro esurienti micas suæ mensæ ac reliquias denegarit. Saltem vos diuites fragmenta pauperibus seruate & reliquias distribuite ne quid pereat.

Collegerunt duodecim cophinos, Hìc doctissimè obseruauit, D. Cyrillus quomodo liberalitas nobis hoc miraculo commendatur, & quasi magna voce dicitur: quantò plura dabis liberaliter atque misericorditer, tãtò tibi plura largius confluent. Fac igitur libenter quòd scribitur: *Frange esuriẽti panem tuum.* Nam si firmiter credimus multiplicata hæc fuisse diuinitus: facilè, vt iubemur, viscera misericordiæ indigentibus aperiemus. Hæc ille. Dederunt Apostoli ad mandatum Christi paucos panes, & plura recipiunt. Apostoli meritò viri misericordiæ dicendi sunt, Ecclesiast. 44. *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt*, Contrà verò, Prouerb. 12. *Viscera impiorum crudelia*, Apostolorum exemplo simus & nos erga pauperes vt demus illis manducare benè affecti. Sicut etiã Sozomenus

D. Cyril. in Ioan.

Eccl. 44.

Prou. 12.

lib. 7.

lib.7.cap.26. Narrat de Epiphanio Episcopo Cypri, Largus ille erat in pauperes. Ecclesiæ verò dispensator indignabatur reprehendens profusionem ipsius, sed non abstinuit à munificentia in pauperes. Accessit autem quidam ad dispensatoris domunculam afferens crumenam plenam aureis, neque qui dederat, neque qui miserat manifesti erant, omnes exinde rem diuinitus gestam agnouerunt. sic igitur rependit Dominus maxima pro minimis. expende (amabo) quàm grande sit hoc miraculum. Non sunt panes nisi quinque, manducantes autem quinquies mille. Illi manducant, panes crescunt, & adhuc plures sunt reliquiæ panum, quæ satiatis superfuerunt, quàm fuissent panes ipsi à principio. *Sozom. li.7.c.26.*

Duodecim sunt cophini, & antequam panes manducarentur in vnum cophinum reponi potuissent, & quod mirum est, tot sunt cophini quot Apostoli, vnusquisque Apostolorum, ex istis duodecim, cophinum suæ mentis impleuit vt haberet vnde populum sibi commissum reficere posset. Docet nos autem, ait Euthymius in Matth. 14. Hoc in miraculo Dominus, ab accubitu quidem super gramen, animi modestiam, ab eo quod nihil præter panes & pisces præberet, temperantiam, ab eo verò quod omnibus pari modo distribueret, æquitatem. Hoc & augmentum est miraculi & laus turbarum, quòd etiam cum vxoribus & pueris assidebant. Et quia cum tota familia sequebantur, cum tota etiam familia beneficij fructum perceperunt. *Euthim. in 14. Matth.*

Hic est verè propheta qui venturus erat in mundum, &c.

O manifestam gulositatem: ait idem Euthymius in Ioannem. 6. Quum innumera prius vidissent quæ hoc erant mirabiliora nihil tale confessi sunt, quum autem impleti sunt, tunc hunc esse prophetam dixerunt, qui ex Mosis promissione Deuterono. 18. ab eis expectabatur. Et (sicut subiungit Euangelista) *Venerunt vt crearent eum regem, &c.* Papæ! quanta est gulæ tyrannis! repleto enim ventre omnia illis erat, & propheta, & regno dignus Christus verò fugit, &c. Hactenus Euthymius. Ex istorum facto colligimus gratias agendas esse à refectione sumpta, Nam etiam à cœna hymnum Christus cum Apostolis dixisse legitur, aduersus ingratos de acceptis beneficiis hoc sit annotatum ex vitis patrum in speculo exemplorum distinct 2. §. 191. quiddam non pœnitendum refertur: *Euth. in Ioan.* *Deut. 18* *Vita patrum & specul. exempl. dist. 2. §. 191.*

refertur: Magnus quidam ſenex erat præuidens, contigit autem vt guſtaret cum pluribus fratribus, & comedentibus illis videbat in ſpiritu idem ſenex ſedens ad menſam quoſdam edentes mel, alios autem panes, alios verò ſtercus. Et admirabatur intra ſemetipſum, & deprecabatur Dominum dicens. Domine reuela mihi hoc myſterium, quia idem cibus appoſitus eſt omnibus ſuper menſam, in manducando autem ita mutatus videtur, vt quidam edant mel, quidam autem panem, alij verò ſtercus. Et venit ei vox deſuper dicens: Quia illi qui manducant mel, hi ſunt qui cum timore & tremore & gratiarum actione edunt ad menſam, & inceſſanter Deum orant, & oratio eorum ſicut incenſum aſcendit ad Dominum, ideóque mel comedunt.

Qui autem panem manducant, hi ſunt qui gratias agentes percipiunt ea quæ à Deo donata ſunt illis. At vero qui ſtercus manducant hi ſunt qui murmurant, & dicunt: hoc bonum eſt, & illud malum eſt, hæc autem talia non oportet cogitare, ſed magis glorificare Deum, atque laudes ei referre, vt in nobis impleatur illud quod dictum eſt. *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue quid aliud faciatis, omnia in nomine Domini facite.* Hæc ibi. Patet igitur gratias agendas eſſe de acceptis à Dei liberalitate ac prouidentia cibis corporalibus.

Hoc loco inſerere placuit etiam, quod in vita patrum Gallicè verſa, fol. 12. De ſancto Apollonio legitur: ſimiliter & in Catalogo ſanctorum Petrus de Natalibus refert, ex Heraclide: qui vitas ſanctorum patrum deſcribit lib. 4. cap. 63. præfati Catalogi, Orta quondam maxima fame: multos cum paruulis & coniugibus ad ſe recurrentes: tribus ſolis ſportulis panum, quæ vix ad eſum fratrum vno die ſufficerent (erat enim pater quingentorum monachorum) per quatuor menſes indeſinenter ſuſtentauit, vides quomodo per ſuos Deus mirabilia operatur, vt ſpem omnem noſtram in Deum ponamus, certiſſimè ſcientes nihil deficere iis qui quærunt regnum Dei & iuſtitiam eius. Sed primum omnium diuinis incumbamus oportet, poſteà autem ventrem prout neceſſitas poſtulauerit, curabimus.

Catal. ſanct. lib. 4. c. 63. Heraclides.

In vitis ſanctorum per Surium collectis tomo primo, de ſancto Ioanne Eleemoſynario Ianuarij 22. authore, Symeone Metaphraſte, circa finem, ad propoſitum ſcribitur: quòd fuerunt duo quidam Clerici artem exercentes incidendi

Surius to. 1. de S. Ioan. Eleemoſ.

dendi corium, qui erant inter se vicini. Quorum vnus quidem mulieri coniunctus matrimonio, habensque filios & patrem & matrem cum ipso habitantes, quos quidem alebat omnes suis manibus non negligebat tamen diuinas congregationes.

Alter autem, etsi erat solus, & artis peritior, & in operando diligentior, ne sibi quidem soli parare poterat quæ erant ad vsum necessaria. Et itaque qui erat eiusdem artis inuidens, & non amplius ferre valens, quam animo conceperat inuidiam, eum aliquando solum offendens: adiuro te, inquit, per Deum, ne me celes, sed hoc mihi aperias, qui fit, quòd tu sis semper quidem diues, idque cum sis in operando negligens, mihi autem qui sum diligens & laboriosus, contra accidit, & iam redactus sum ad extremam paupertatem.

Ille autem volens eum reddere diligentiorem qui erat negligens in adeundis congregationibus, quæ fiunt sacrorum causa: mihi quoque inquit, ó frater, res erat redacta ad maximas angustias. Ex quo autem mihi persuasi diuinis vacare congregationibus, nonnunquam cò vadens, aurum in via inuenio, quo factum est, vt mihi sint congregatæ omnes, quas vides, copiæ. Sed si me audias, ipse quoque me euntem sequere, & hinc nō vulgarem habebis consolationem. Paret dictis, & ad singulas diuinas synaxes, cum ipso ventitans, sentiebat domui suæ factam à Deo benedictionem, & bono consultori agebat gratias.

Ille autem scena mox aperta, manifesto dixit socio, se nunquam aurum in via inuenisse: sed volens, inquit te excitare, vt venires ad diuinas congregationes, finxi hanc auri inuentionem. Hæc ibi. Qua ex memorabili historia elucescit, bona à Deo multiplicari his qui sacras frequentant congregationes ac conuentus, orationis & communionis sacramentorum gratia. Tunc enim, (vt in præsenti Euangelio legitur) cùm sequimur Iesum, licet locus sit desertus, & desint ad sufficientiam escæ, abundè nobis tamen suppeditat diuina liberalitas extraordinariè quæ ad victum requiruntur. Nemo ergo diffidat quasi conficiendus sit vel enecandus fame, si gnauiter quòd in se est faciens, & de suis liberaliter pauperibus largiēs, totus à Dei pendeat prouidentia & benefica cura. Est enim tentatio quædā mala cùm timemus pauperiores inde effici, quia pauperibus

propter

propter Christum pro facultatum modulo erogamus & distribuimus quæ habemus. Quasi nobis depereat quod Christo in pauperibus suis consecramus. Extat ad institutum nostrum faciens, pulcherrima historia in vitis patrum & refertur in speculo exemplorum dist. 2. §. 112. Narrauerunt senes de quodam Ortulano quia laboraret, & omnem laborem suum expenderet in eleemosynam, & tantum sibi retineret quantum ad victum sibi sufficeret. Posteà verò Sathanas misit in cor eius dicens: Collige tibi aliquantam pecuniam ne cùm senueris aut ægrotaueris opus habeas ad expensas: & collegit & impleuit lagenam de nummis. Contigit autem eum infirmari & putrefieri pedem eius & expendit in medicos quod collectum fuerat, & nihil ei prodesse potuit.

Vita patrum & Speculũ exemplorum dist. 2. §. 112.

Posteà verò venit quidam de expertis medicis & dixit ei: Nisi incideris pedem tuum, totum corpus tuum putrefiet, & constituerunt vt inciderent ei pedem. Illa autem nocte rediens in semetipsum, & pœnitentiam agens de his quæ gessit, ingemuit & fleuit dicens: Memor esto operum meorum priorum domine, quæ faciebam cum labore in orto: ex quo pauperibus ministrabam. Et cùm hoc dixisset astitit angelus Domini, & dixit ei. Vbi sunt nummi, quos collegisti? & vbi est spes tua de qua tractasti? Tunc intelligens dixit: Peccaui domine, ignosce mihi, & à modo vlterius hoc non faciam. Tunc angelus Domini tetigit pedem eius, & sanatus est statim, & surgens manè abiit in agrum operari. Venit ergo medicus secundum constitutum tempus, cum ferramentis, vt secaret pedem eius & dicunt ei: Exiit manè operari in agrum. Tunc admiratus medicus, perrexit in agrum vbi operabatur ille, & videns eum fodientem terram glorificauit Deum qui reddidit ei sanitatem.

Quæ sanè insignia in eum finem à me congesta: & hunc in locum reposita sunt, vt meminerimus singuli in vocatione in qua à Deo vocati sumus fideliter perseuerare, & diuinis imprimis vacare obsequiis ac necessitatibus pauperũ ex charitate subuenire, spe fiduciáque certa in Deum concepta, quòd nihil nobis defuturum sit. Confirmante nos diuina authoritate quæ dicit: *Iacta super dominum curam tuam & ipse te enutriet.* Item Apostolorum Coriphęo. *Omnem sollicitudinem vestram in eum proijcientes, quoniam ipsi cura est de vobis.* Finem imponeremus huic concioni, nisi

quod

quod quædam ad Allegoriam ſpectantia in medium proferenda ſunt, & quæ ad morum compoſitionem ac informationem pertinent, in vſum ac commoditatem auditorum trahenda iudicamus. Imprimis Chriſtus ſaluator noſter volens mundo quædam ſalutaria remedia tradere, nouas quaſdam ac celebres figuras, tanquam quaſdam manducationes etiam in noua lege præmiſit, vt obſeruat Doctor Heſſelius, in Matth. 14. Licet enim typi quidam in lege Moyſi præceſſerint, & in quotidianis Iudæorum cæremoniis, voluit tamen hæc nouis excitamentis ſignificare, quod Antiquæ legis figuræ ob antiquitatem aut frequentationem nimiam vileſcerent, vnde quanquam Baptiſmus tranſitu maris Rubri, tranſitu ſub nube, tranſitu Iordanis. Mundatione Naaman Syri, lotionibus legalibus fuit præſignatus: tamen his non obſtantibus Chriſtus circa ſua tempora nouos baptiſmo ſuo typos præmiſit, videlicet Ioannis Baptiſmum, ægrotorum in probatica piſcina ſanationem, cæci nati per ſputum & lotionem in Siloë illuminationem. Similiter quamuis manna quo Iſraëlitæ quadraginta annis in deſerto paſti ſunt, & aqua de petra fluens, & panes propoſitionis Euchariſtiæ ſacramentum ſignificauerint. Idem tamen ſacramentum, hac cibatione multorum millium ex paucis panibus Chriſtus præſignaſſe videtur. Vnde & huius miraculi occaſione apud Ioannem cap. 6. de corpore ſuo diſſerit, oſtendens propterea ſe hoc minus miraculum feciſſe, vt ſibi docenti maius miraculum de ſacramento Euchariſtiæ crederetur. Et certè commodiſſimus eſt ad hoc iſte typus. Quemadmodum enim Chriſtus panes benedictione multiplicauit, ita & per benedictionem ſacramentum Euchariſtiæ conficitur: Et ſicuti ex paucis puſillæ quantitatis panibus tot millia hominum vt nulli quicquam deeſſet, refecta atque ſatiata ſunt: ita etiam Chriſti corpus in diuerſiſſimis locis à tot hominum millibus integrum quotidiè ſumitur, eóque plenè eorum animæ ſatiantur. Hæc ille. Per allegoriam autem, ait Theophylactus Ioann. 6. Dat nobis Chriſtus, qui quinque ſenſibus ſubiecti ſumus, rationales panes quinque, quia & ipſi quinque ſunt, vnicuique enim ſenſui conuenientem panem dat, id eſt, ſermonem ſicut & Paulus 1. Cor. 14. dicit. *Volo quinque ſermones in Eccleſia loqui*, qui quinque ſenſuum ædificationi conueniant. Vel (vt communiter omnes ferè interpretantur) Per quinque

Heſſelius in Matt. 14.

Ioan. 6.

Theophy. in Ioã. 6.

1. Corint. 14.

panes hordeaceos quinque libri Moysi intelliguntur. Pisces autem duo duplicem in Christo exprimunt naturam vel dignitatem regiam ac sacerdotalem, *Est enim Rex regum, & princeps regum terræ* in Apocalypsi, & à patre dicitur eidē: *Tu es sacerdos in æternum* in Psalmis. Et ne nouum videatur quòd Piscis nomine & appellatione Christus ipse intelligatur: Authores sunt probati, & primæ notæ qui ita sentiunt. Tertullianus enim libro de Baptismo, circa principium. Nos, inquit, pisciculi, secundum ἰχθὺν nostrum Iesum Christum in aqua nascamur, nec aliter quàm in aqua permanendo, salui simus. Huius in sententiam pedibus (quod dici solet) item est ab Optato & Augustino Classicis scriptoribus & minimè proletariis. Quorum prior lib. 3. contra Parmenianum ita scripsit: Piscis Christus intelligitur, qui in Baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt quæ aqua fuerat à pisce etiam piscina vocitetur. Cuius piscis nomen secundum appellationem Græcam in vno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet ἰχθυς, quod est latinè Iesus Christus Dei filius Saluator. Quæ in Græcis nominibus dilucidiùs clariúsque cernuntur. Hinc posterior Diuus scilicet Augustinus tomo. 5. lib. 18. de ciuitate Dei cap. 23. Vbi ponitur Acrostichis sibyllæ Erithrææ, hoc, est per capitales literas versuum, aggregatio quædam & accumulatio nominum, quæ ita græcè sonant ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ. Si primas, ait, literas iungas, erit, ἰχθὺς, id est Piscis, in quo nomine mysticè intelligitur Christus. Hæc quidem, veteres citati. Idem Augustinus tom. 4. libr. 83. quæstionum q. 61. Panes hordeacei, inquit, significant veterem legem carnalibus datam, id est, quinque corporis sensibus deditis. Nam & ipsæ turbę quinque millia hominum fuerunt. Item Moyses quinque libros scripsit, Et quia in lege vitale animæ alimentum corporalibus alimentis obtegebatur. Hordei nomine lex intelligitur. Siquidem hordei medulla tenacissima palea tegitur. Duo pisces duas personas quibus popul⁹ regebatur Regiam scilicet & sacerdotalem adumbrant. Quæ duæ personæ Dominum nostrum præfigurabant. Ambas solus ipse sustinuit & non figuratè sed propriè solus impleuit. Quod super fœnum turba illa discubuit, significat eos qui testamentum vetus acceperant, quia regnum temporale promittebatur in spe carnali, collocatos fuisse. *Omnis caro fœnū. Exceptis mulieribus & pueris.* Ait

Tertu. li. de Bapt

D. Optatus lib. 3.

D. Aug. tom. 5. li. 18. ca. 23.

Idem to. 4. lib. 83. q. 61.

Ait illic Augustinus: Infirmitas & error his figurantur: infirmus est mulierum sexus ad actiones, & facilis ad lusum pueritia. Quid lusui puerili tam simile est, quàm idola colere? Sedit populus manducare, & surrexerunt postea ludere. Quicumque verò non perdurant occurrere in virum perfectum, vel infirmitate virium, vel mentis leuitate, mulieribus & pueris comparandi sunt. Nobis autem dicitur: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote.* 1. Cor. 14. Neque in veteri, neque in *1.Cor.10.*
nouo testamento mulieres & pueri admittuntur ad numerum, sed bis in Euangelio, exceptis paruulis & mulieribus dicitur Matth. 14. & 15. Hæc ibi. Ergo vt miraculi dominici *Matt 14.*
expertes non simus, opus est vt fœnum carnalis concupis- *& 15.*
centiæ conculcantes panibus hordeaceis reficiamur, mundanas lautitias respuentes, pœnitentiæ autem rigorem & asperitatem amplectentes, *Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* 1. Cor. 5. Non edamus panem hæreticæ prauita- *1. Cor. 5.*
tis de quo Salomon ait Prouerb. 9. *Aquæ furtiuæ dulciores* *Proue. 9.*
sunt, & panis absconditus suauior. Et Iob. cap. 20. *Panis eius in* *Iob 20.*
vtero illius vertetur in fel aspidum. Neque panem Hypocriseos, de quo Dominus ait: *Cauete vobis à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Nec panem Mendacij, quem comedunt fraudulenti mercatores, & falsi aduocati, de quo dicitur in Prouer. cap. 20. *Suauis est homini panis mendacij,* *Prou. 20.*
& postea implebitur os eius calculo. Neque panem iniquitatis quem comedunt qui *gloriantur in malitia, & lætantur cùm malè fecerint*, Prouer. 2. vnde Psalm. *Qui deuorant plebem* *Proue. 2.*
meam sicut escam panis. Neque panes laicos id est, vitæ secularis, de quibus 1. Reg. 21. *Non habeo laicos panes, &c.* Nec *1. Reg. 21.*
panes mucidos Gabaonitarum Iosue cap. 9. id est, scientiæ *Ios. 9.*
secularis, & inanis Philosophiæ, *Sed epulemur in azymis synceritatis & veritatis.* Hìc quidem in via per fidem, spem & charitatem. Luc. 11. *Amice commoda mihi tres panes* Illic au- *Luc. 11.*
tem in patria per claram visionem, & beatam fruitionem Luc. 14. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Hæc ex *Luc. 14.*
admonitione de Vitriaco excerpta sunt. Operæ pretiũ est *Iac. de*
etiam annotare. Quindecim panes in Euangeliis inueniri. *Vitriaco.*
Hìc quinque sunt hordeacei, Item septem panes Matth. *Matt. 15.*
15. leguntur: Tres denique apud Lucam 11. Præter quos est, *Luc. 11.*
etiam panis supersubstantialis de quo Matth. 6. τὸν ἄρτον *Matt. 6.*
τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον, *Ille de cœlo venit & super omnes* *Ioan. 3.*
est. Ioan. 3. *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi.* Ioan. 6.

Ioan. 6. *Panis quem ego dabo caro mea est.* Ibidem. Tres panes sunt Fides, Spes, Charitas. Quinque autem, pentateuchus Moysi, siue quinque libri legis. Septem verò sunt septem dona spiritussancti. Panis autem supersubstantialis Christus, authoromnium est prædictorum panum. Omnes enim virtutes à Christo sunt authore, & inexhausto fonte. Et Moses ipse pædagogus fuit ad Christum, Spiritus sanctus denique, qui est (*septiformis munere* vt canit Ecclesia) à Christo etiam procedit eadem Catholica profitente ecclesia. *Qui à patre filióque procedit.* Et ad Apostolos missus est in mundum, vt testificaretur de Christo: Quæ sunt per Allegoriam dicta. Ex hac Euangelica narratione, & miraculo panum à nobis satis enarrato. Discrimen miraculorum, quæ in veteri lege olim fierent, & eorum quæ tempore Euangelicæ gratiæ fecit Christus, cernere facile est. In lege siquidem erant eius generis, vt timorem incuterent: vt (verbi gratia) Diluuium generale, Conflagratio Sodomæ, Decem plagæ Ægypti, Submersio Pharaonis cum curribus suis & toto satellitio, absorptio Chore & rebellium: Casus Idoli Dagon, Percussio Philistinorum in secretiori parte natium, ipsis quia arcam fœderis captiuam detinerent, immissa. Descensus ignis tempore Eliæ super audaces quinquagenarios, vrsi per Eliseum in maledicos ac petulantes pueros immissi, Strages facta per Angelum de vniuerso exercitu Sennacheribus & similia prodigia ante Christum natum facta quæ erant ad magnificandam Dei potentiam, incutiendúmque rebellibus terrorem. Sicut lex vetus quæ tot in Syna monte portentis & signis, fulgure, caligine, procella, tonitru, clangore tubarum, & multo fragore concurrentibus, lata est: Rigoris lex dicitur. In Euangelio autem signa facta sunt, ad exercendam misericordiam, in morbis curandis, dæmonibus pellendis, famelicis alendis, mortuis suscitandis, ita vt nedum signa sint, sed & beneficia. Est enim Euangelium, lex amoris, & tunc apparuit benignitas & humanitas φιλανθρωπία hoc est, erga homines amor, saluatoris nostri Dei: Cui est honor & gloria cùm patre & Spiritu sancto, per æterna secula: Tribus, inquam, honor vnus. Amen.

***

FERIA



FERIA SECVNDA POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMAE.

De altera vendentium & ementium eiectione flagello de funiculis facto, ex Christi egregio zelo. Ioan. 2.

Prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam: & inuenit in templo vendentes, &c.



R o huius explicatione Euangelij sic exordiri libet. D. Hieronymus in Matthæum 21. Plerique arbitrantur, inquit, maximum esse signorum, quòd Lazarus suscitatus est: Quòd cæcus ex vtero lumen acceperit: Quòd ad Iordanem vox audita sit patris: Quòd transfiguratus in monte, gloriam ostenderit triumphantis. Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quòd vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantùm vilis vt postea crucifigeretur, scribis contra se sæuientibus potuerit flagello tantã eiicere multitudinem, & alia facere quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam atque sydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie: vt manum non audeant iniicere sacerdotes, pharisæi, ac scribæ. Hæc ibi. Nónne ad Christi exemplum deberent Reges Christianissimi arripere gladium & flagella, contra violatores templorum & contra hæreticos? D. Augustinus tom. 2. Bonifacio comiti scribens epist. 50. de moderatè coërcendis hæreticis sic loquitur, Posteaquam cœpit impleri, & adorabunt eum omnes reges terræ.

D. Hieronym. in Matt. 21.

D. Aug. to. 2. epist. 50. Bonif. Comiti.

Quis mente sobrius regibus dicat, Nolite curare in regno vestro à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: Non ad vos pertineat in regno vestrò, quis velit esse siue religiosus, siue sacrilegus, Quibus dici non potest, Non ad vos pertineat in regno vestro quis velit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim, cùm datum sit diuinitus homini liberum arbitrium, adulteria legi-

bus puniantur,& sacrilegia permittantur? An fidem non seruare leuius est animam Deo, quàm fœminam viro? Vbi sanctus pater clarissimum Ecclesiæ lumen D. Augustinus comparat inter se adulteria, id est peccata carnis, & sacrilegia: peccata in homines, & scelera in Deum commissa. Si punitur crimen læsæ maiestatis, in principes admissum, quomodo diuinæ maiestatis læsæ crimen, manebit impunitum? Grauius enim est diuinam, quàm temporalem lædere maiestatem (vt ait Iustinianus in Authentica Gazaros C. de hæreticis & Manichæis) vbi habet, longè grauius est æternam, quàm temporalem offendere maiestatem. Item Extra de hæreticis capit. vergentis ex Innocentio III. idem planè repetitur. Et lege Quicũque C. de hæret. & Manich. circa finem, Æquum est vt immanissima sacrilegia par pœnæ magnitudo percellat. Vnde Deut. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.*

Iust. Authen. C. de hære. c. Vergẽtis. Leg. Quicunque. C. de hæret. Deu. 25.

Qui ergo in Deum directò, templa violando, sacra vasa expilando, & diripiendo peccauerit: tantò acerbius erit puniendus, quantò maior ille in quem peccat est atque habetur (vt amplius supra attigimus.) Et licet homines sacrilegia huiusmodi non puniuerint, Deus tamen inulta abire non patitur: quamquam non statim ipsa puniat. Lẽto enim gradu (ait Valerius li. 1. c. 1. de religione) ad vindictã sui diuina procedit ira, tarditatémque supplicij grauitate compensat. O sententiam verè aureã! Ne ergo de sua impunitate ad tempus, sacrilegi glorientur, quódque principes tandiu impunè ferant hæc crimina. Sic enim legatis Heluetiorum Cæsar respondit libro 1. Commentarior. Consuesse Deos immortales, quò grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum vlcisci velint, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere. Meminerint qui sacra violant ac diripiunt veteris prouerbij, quòd ita dictum accepimus: Aurum Tolosanum de quo Gellius libr. 3. capit. 9. & Iustinus historicus libro 32. Quum oppidum Tolosanum, in terra Gallia. Q. Cæpio Consul diripuisset, multúmque auri in eius oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, miser cruciabilíque exitu periit. Hoc sacrilegium causa excidij Cæpioni exercituíque eius postea fuit (inquit Iustinus). Et Domin⁹ per prophetã Ioël 3. cap. minatur, *Citò velociter reddam vicissitudinem, Argentum enim meum & aurum tulistis.* Contra Tyrios & Sidonios

Commẽtaria Cæsaris li. 1. Gellius lib. 3. c. 9. Ioël. 3.

nios ac Babylonios dictum: qui templum Dei spoliauerant. Et reipsa, atque (vt ita dicam) in effectu, veritas tunc patuit, quando contra Philistæos, qui Domini Dei Israël arcam bello captam, in templo Dagon collocauerant, armata est ira Dei. 1. Regum. 5. *Quos percussit Deus in secretiori parte natium.* *1. Reg. 5.*

Et vt arcam non sine honore ad filios Israël liberam remitterent, coëgit. Contra Nabuchodonosor consimiliter, qui Salomonis templum deuastauerat, & prophanauerat, quem in bestiam transformauit: Contra Balthasar etiam eius successorem, qui vasa sacra polluerat, eisque ad luxum, cùm concubinis suis, abusus fuerat, quem sententia & decreto in pariete conscripto, damnauit (vt sacra Danielis habet.) Contra Heliodorum, qui thesauros templi auferre conatus fuerat, 2. Mach. 3. *Et ab Angelis flagellatus, vix semiuiuus relictus est.* *2. Mach. 3.*

Contra Antiochum, qui miserabili cruciatu ob sua sacrilegia, & templi Hierosolymitani desolationem ac prophanationem, periit quemadmodum libri Machabæorum testantur. In hos (inquam) omnes desæuiit iusta ira Dei, & (vt loquitur Apostolus Coloss. 3.) *Venit ira Dei super filios incredulitatis.* Est enim summum impietatis genus, templum Dei violare, quòd qui fecerunt, miserè perierũt. Iosephus lib. 14. Antiquitatum Iudaïcarum capit. 12. Idem libro 1. de bello Iudaïco capit. 6. scribit sic, Crassus pecuniam sacram, templi Hierusalem, quàm Pompeius non attigerat, abstulit, templum spoliauit, in Parthis cùm omnibus copiis periit. *Col 3.* *Ioseph. li. 14. c. 12. & l. 1. de bello Iudaico c 6*

Cassiodorus Histor. Tripertitæ libro 6. capit. 10. Iulianus auunculus Iuliani apostatæ, in thesauros imperatorios, pretiosa Ecclesiæ Antiochenæ vasa recondidit. Clausit Ecclesias clericos fugauit: Quúmque contumeliis afficeret Christum, verenda eius & loca circumposita feruntur esse percussa, & ad tantam peruenit putredinem vt vermes procrearentur, medicis laborantibus, nec valentibus vincere affectionem. *Cassiodorus Trip. lib. 6. ca. 10. & 32. & c. 41. & 47.*

Sic mortuus est, à vermibus corrosus viuus: Et donec moreretur, non fuit ab hac affectione securus. Iterum lib. 6. c. 32. de eodem scribitur, Præfectus orientis nomine Iulianus, vasa Ecclesiarum sacra, fisci ærario deputari iussit: Impudenter contra sacrum altare minxit. Repente Iulianus ille sæuo morbo correptus, visceribus putrefactis in-

teriit. Excrementa non per meatus egestiuos emittebat sed scelestum os, quòd blasphemiis ministrauerat, organum huius excretionis est factum. Fœlix quidam (nomine tenus, reipsa tamen infœlix) præfectus regalium thesaurorum, prius quidem Christianus, vt Apostatæ Iuliano gratificaretur, videns in supradicti templi direptione vasorũ ornamenta, quæ Constantinus & Constantius frequenter obtulerant: Ecce in quibus, inquit, vasis Mariæ filio ministratur.

Sed ipse repente flagellum virtute diuina suscipiens sanguine toto, die simul & nocte ex ore fuso, & venis corporis vndique vacuatis, omnique virtute simul expensa, & ipse celeriter est extinctus, æternæque morti contraditus. Hæc ille. Ibidem, lib. 6. scilicet, c. 41. Iulianus Apostata deposita statua Christi, in Cæsarea Philippi in Phœnicia posita ab Emorrhoissa Veronica, suam ibi statuam collocauit: quæ igne de cœlo cadente destructa est. cap. 47. Diuinitus interfectus in Perside narratur Apostata Iulianus, & in aëra sanguinem suum proiiciens dicebat, *Vicisti Galilae.* cùm blasphemia confessus victoriam. Imperator Iulianus (ait Sozomenus libro 5. cap. 5.) vasa sacra abstulit, & pecunias sacras diripuit. Petrus Cluniacensis, vulgò venerabilis, qui D Bernardo æqualis fuit siue coætaneus (*σύγχρονον*, quasi contemporaneum, Græci dicunt) libro 2. de miraculis sui temporis capit. 1. scripsit amplissimè sequentem historiam. Matiscone in Arari flumine de Francorum regno (*la Saone*, dicimus) contigit quòd sequitur. Comes loci super personas & res Ecclesiasticas execrandam tyrãnidem exercebat, reditus omnes Ecclesiarum, cum possessionibus sibi tyrannicè vindicabat. Canonicos de Ecclesiis, & monachos de monasteriis suis eiiciens, & eis omnia auferens: Nec Deum timebat, nec homines verebatur. Cùm nulla spes correctionis eius existeret, in se expertus est illud, Horrendum incidere in manus Dei viuentis, quia nequitia eius non occulta, sed publica, non cum timore, sed cùm audacia Deum prouocauerat, nõ latenter sed publicè, non tantùm inuisibiliter sed etiam visibiliter, terribile factus est tyrannis principibus in exemplum. Nam cũ solẽni die Matisconi in proprio palatio resedisset, eumque multitudo, tam militum quàm diuersi ordinis, circunstaret: Repẽte ignotus homo, equo insidens, per palatij ostiũ ingressus, omnibus conspicientibus & admirantibus, vsq;

Sozomenus lib. 5. cap. 5.

Petr. venerabilis libr. 2. de mirac. c. 1.

ad

ad ipsum equitando peruenit. Cumq; ei astaret, se ei velle colloqui dicens, vt surgeret ac se sequeretur non tam monuit, quàm imperauit. At ille inuisibili potentia constrictus nec iam resistere valens, surrexit, atq; vsq; ad ostium domus processit, vbi equum paratum inueniens, eumq; ab eo conscendere iussus, ascendit. Cuius statim habenas ille corripiens, cũ velocissimo cursu per aëra ferri, cunctis cõspiciẽtibus, cœpit. Cumque immenso eius clamore ac miserabili eiulatu, tota ciuitas cõmota, ad tam inuisum spectaculũ concurrisset, tamdiu eum per aëra currentẽ attoniti conspexerunt, quãdiu naturali oculorũ acie eũ subsequi potuerũt. Qui cũ eũ diu, succurrite, ciues, succurrite, vociferantem audirent, nec iuuare valerent, subtractus tãdẽ visibus hominum, æternus (quòd meruerat) factus est socius dæmonum. Hæc ibi. Qua ex historia patet, quis sacrilegos finis ac exitus maneat. Vt igitur recapitulatione, in summã deducam quæ dicta sunt, mecum collige superiora exempla iusti iudicij Dei in sacrilegos ad hunc modum. Si (pro Quia) sic Deus exarsit contra Philistæos, Nabuchodonosor, Balthasar, Heliodorum, Antiochũ, Crassũ Romanum, Iulianũ Apostatæ auunculum, contra Fœlicem eius thesaurarium, Iulianum Augustum, & denique cõtra comitem Matisconensem, adde (si placet ex nostri sæculi historia) contra maris præfectum (vulgò, Gallicè Admiralium dictum) & cõtra huius factionis sacrilegos homines, Quid expectare debent tales, nisi æterna tormenta, si dignos pœnitentiæ fructus non agant? Nónne Dominus in præsenti Euangelio, flagello expulit sacra polluentes & prophanantes? Aduersus quos alios, legimus vnquã Christũ mansuetissimum, tanta seueritate cõmotũ: Quare hoc? nisi vt sacrilegij crimẽ & violationis sacrorum, intelligamus nunquam manere apud Deum impunitum? Vt autem per apostrophen ad eos qui Euangelicorum titulo sese vẽditant, nobis hoc modo fucũ facere volentes, nostra conuertatur oratio. Interrogo vos, ô Euangelici, scilicet! qua fronte sacra vasa & templa spoliastis, & prædati estis? Vos qui nihil habetis in ore frequentius quàm charitatem? Hæccine est prætensa vestra charitas? qua in peruersum bonos æmulamini, Templa diripere, euertere, concremare, & incesto flagitio violare? Potiusquàm Euangelici, dicendi estis Diogeniani ac Cynici, quasi canes rabidi, quos nec à lapidum quidem morsibus furore percitos, ac rabie, *Laërt. lib. 6.*

abstinere videmus. De Diogene Cynico scribit Laërtius li. 6. Nihil esse iniquum duxit ex templo quippiam accipere, & ne iustum quidem esse humanis vesci carnibus. Sic & noui isti Euangelici, nihil esse iniquum ducunt res sacras surripere, & sacrilegium facere, sacerdotes interficere, & alia nefaria perpetrare dictu horrenda. Imper. Dioclet. & Maximian. cuidam philosopho rescribunt in hunc modũ lege professio. C. de muneribus patrimoniorum libro 10. Professio & desiderium tuum inter se discrepant. Nam cũ philosophum te esse proponamus, vinceris auaritia & rapacitate. Hoc ipsum de Euangelicis dicere ex ipsorum operibus & fructibus, rationi est consentaneum. Cùm enim Euangelij titulo glorientur immodicè, sibique licentius blandiantur, vincuntur tamen rapacitate & prædæ auiditate: Ideóque ne sacris quidem rebus parcunt: Dionysiani etiam vocari possent lepidè, hæretici sacrilegi. Nam de Dionysio narrat Valer. Maxim. libro 1. c. 1. de religione neglecta, & Ælian. Var. Hist. lib. 1. c. 20. ex omnibus Syracusarum templis & delubris eum per sacrilegiũ pecuniá abstulisse. Statuá Iouis vestitu, & omnibus ornamẽtis spoliauit, Et cùm illá artificibus attingere religiosum esset, ipse primus manum iniecit. Deprædatus est etiam simulachrum Apollinis, aureis capillis præditum, quos abradere aliquẽ iussit. Inde nauigans in Trazeniam vniuersas Apollinis & Leucotheæ penunias, nefario scelere abripuit. Mensam etiam argenteam astantem Apollini, iussit auferri, super qua bonus genius Deo propinabat. Hæc Ælianus. Idem Dionysius (ait Valerius) patera & coronas aureas, quæ simulachrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat, & eas se accipere non auferre, dicebat: perquàm stultum esse argumentando, à quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle sumere. Hæc Valerius.

Lex professio C. de muneribus patri. li. 10.

Val. li. 1. c. 1.

Aelian⁹ Var. Histor. li. 1. cap. 20.

Omnes eiecit de templo. Ibi Ferus in Ioan. ca. 2. Historiæ inquit testantur, quòd Deus etiam in Diis gentium non potuit ferre blasphemiam nominis sui. Quamuis enim Dij gentium essent dæmonia, quia tamen pro Deo vero honorabantur, redundabat eorum contemptus in veri Dei, diuinique nominis blasphemiam: quantò minus id ferre potuit aut debuit, in templo, suo nomini dicato? Hæc ille. Quia ergo templa paganorum, primaria quidẽ intentione diuinitati erant nuncupata, quã falsò homines, & erroneo iudicio tribuebant creaturæ: detrahentes honorem creatori

tori debitum (vt dicitur Rom.1.de philoſophis) *Commutauerunt veritatem Dei in mendacium & coluerunt, & ſeruierũt creaturæ potiuſquam creatori, qui eſt benedictus in ſæcula.* Idcirco ſeuerè templorum illorum, & phanorum, quanquam prophanorum, iniurias vindicatas prophanæ non tacuerũt hiſtoriæ. Valer.Maxi.lib.1.c.1.de neglecta religione. Brennus Gallorum dux Delphis Apollinis templum ingreſſus, Dei voluntate in ſe manus vertit. Iuſtinus lib.24.Brennus ſacrilegus pugione vitam finiuit.Idem dicit Pauſanias lib. 10 in Phocicis, Propter ſacrilegium periit Brennus mortẽ ſibi conſciuit, ſic Galli in Græcia deleti ſunt. Sylla Romanus (ait Pauſanias in Bœoticis) quia Mineruæ ſignum ex ebore in Græcia eripuit, pediculis è toto corpore erumpentibus periit, huncque morbus teterrimus ille, oppreſſit. Et idem Pauſanias lib. 1. in Atticis, In illud morbi genus Sylla incidit, quo Pherecidem quoque Syrum cõſumptum accepimus. Valerius, loco iam citato, plura proponit exempla. Carthagine à Romanis oppreſſa, veſte aurea nudatus Apollo, ſacrilegæ manus inter fragmenta eius abſciſſæ inuentæ ſunt. Et Mileſia Ceres, Mileto ab Alexandro capta, milites qui templum ſpoliaturi irruperant, flamma obiecta priuauit oculis. Sic Lactantius illud commemorat lib.2.cap.8. Omnium oculos repentè obiectus fulgor ignis extinxit. Appianus Alexandrinus, libro de bellis punicis c.53. Scipionis milites 4000. ingreſſi templum Apollinis, auratam eius ſtatuam deprędati ſunt. Inhonoros reliquit Scipio tales, qui violauerant fanum Apollinis. Diodorus Siculus Bibliothecæ lib.16. Phalæcus dux Phocenſium ſacræ pecuniæ ablatæ poſtulatus eſt, priuatoque ei imperij honore, quem gerebat, ſucceſſores tres dati ſunt, Dinocrates, Callias, & Sophanes, per quos eius criminis quæſtio habita eſt. Petebant ſanè ab his qui eam tractauerant, rationem vti redderent. Philo fuerat quidam præcipuus in eiuſmodi adminiſtratione, Is cum haud ſatis exhibendę rationi faceret: capite eſt damnatus, excruciatúſque à ducibus nuper electis, ſceleris ſocios prodidit. Grauiſſimis demum ſuppliciis affectus eum vitæ finem, quem eius impietas merita erat, habuit. Alij qui de ſacris rebus ditiores facti, magnam pecuniam furto ſibi comparauerãt, eam reſtituere, & pœnas, vt ſacrilegi, dare ſunt coacti. Temporibus Philippi Macedonis hæc contigit hiſtoria. docens nos ſacrilegij crimen à delectis viris ſeuerè vindicatum fuiſſe.

Rom.1.
Val.lib. 1.c.1.
Iuſt. lib. 24.
Pauſa.li. 10.in Phocicis, & lib.9. in Bœotici.
Val.lib. 1.c.1.
Lactãti° lib.2.c.8.
Appian° li.de bell. puni.c.53
Diodor° Siculus Biblioth. lib.16.

fuiſſe. Pudore ſuffundi Chriſtianos iudices par eſſet, qui prę iſtorum comparatione, in generationibus ſuis & in ſua religione inueniuntur longè negligentiores: nec tanta æquitate iudicium in impios exercent ſacrilegos. Hinc illæ lachrymę, & noſtrę ætatis innumerę calamitates. Quàm appoſitè dictum eſt à Chriſto! *Filij huius ſæculi, prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. Luc.16.* Res ſacras vel religioſas contrectare, apud Ethnicos etiam piaculum fuiſſe teſtatur, l.1. C. de ſepulchr. viol. Gordianus Imper. quantumuis Chriſtianæ religionis hoſtis, ſic dicens, Res religioni deſtinatas, quinimò iam religionis effectas ſciẽtes, qui contigerint, & emere, & diſtrahere non dubitauerint, tametſi iure venditio non ſubſiſtat, læſæ tamen religionis inciderunt in crimen. Hæc Imper. Infœliciſſimum pecunias ſacras corradentium exitum, iuſta numinis vindicta, ad terrorem, ex prophana repetere libet hiſtoria, vt ſacrilegos quoquomodo pudefaciamus, quibus (fortaſſis) vt pote prophanis, hiſtoriæ quoque prophanæ, potiuſquam ſacræ ac canonicæ, pudorem inijcient ac timorem. Diodorus Siculus Biblio. lib.16. multis verbis id refert, Cuius ego prolixitatem fugiens, quæ loco huic accõmodata ſunt, ex eo decerpam, in pauca contrahens, & inſtituto noſtro adiiciẽs. Narrat ipſe quomodo regni Philippi anno 6. exortum eſt bellum, quod Sacrum vocauerunt. Viguit autem ad 9. annos. Philomelus Phocenſis iinprobitatis extremæ vir, occupauit Delphicũ templum, incenditque. Bellum ſacrum ob eiuſmodi cauſam ſuſceptum eſt, Locrenſes cum eo manus conſerunt. Viginti milites Philomeli in certamine occubuerunt & eorum corpora, cùm eſſent in hoſtiũ poteſtate, cùm per legatos ad ſepulturam peterentur, Reſponderunt denegantes & dicentes. Apud Græcos omnes communi lege ſancitum eſſe, vt inſepulti abijcerentur ſacrilegi omnes. Obſerua in ſacrilegos publicum Græcorum decretum. Locrenſes contra Phocenſes bellum pro Deo gerere decreuerunt. Ibidem de Philomelo dicitur, quòd à rebus ſacris manus continuit, ſed Delphicos ditiores compulit, vt pecunias ad militũ ſtipẽdia exoluerent. Idque à principio bellorum contra Locrenſes: Sed cum multi ſocij cum Locrenſibus aduerſus eum pro Deo, & contra Phocenſes veluti ſacrilegos pugnarent, cum magnis copiis, vt affatim conduceret mercenarios milites, id quum pecuniam ingentem expoſceret, coactus eſt inijcere manus

Luc.16.

Lex.1.C. de ſepul. viol.

Diodor⁹ Siculus lib.16.

manus rebus sacris, & oraculum Delphicum diripere. Sed nullus probus vir ei militiæ nomen suum dedit, propter pietatem erga Deos. Tantùm qui erant summæ improbitatis, & lucri gratia Deos contemptui habebant, alacri animo ad Philomelum contendebant. Bœoti contra Phocenses pugnantes, aliquot mercenarios milites eorũ comprehenderunt, & tanquam cum sacrilegis, stipendia facientes, morte mulctarunt iaculis confixos. Philomelus in acri pugna, in qua Phocẽses profligati sunt à Bœotis victoribus, mullis affectus vulneribus, in locum vnde non posset euadere, conclusus, se se illinc præcipitem dedit, & ad eum modum, *Persoluta Deo pœna debita*, extinctus est. Onomarchus bellum sacrum instaurans & Philomelo succedens, à Philippo iussus suspendi, & alios suos milites victos, vt sacrilegos, demergi fecit. Phaillus eius frater pro Phocensibus tertiò bellum instaurat, & multa pecunia socios multos sollicitat, tamen victores fuerunt Bœoti, in omni congressu ac conflictu. Ille in tabidam ægrotationem lapsus, vt eius merebatur impietas, mortem cùm magno dolore obiit: relicto Phocensium duce Phalæco, Onomarchi, qui bellum id sacrum inflammauerat, filio, pubere adhuc. Ideò gubernator & dux ei constituitur Mnaseas à Bœotis cum militibus interficitur. Deinde Phalæcus victus in prælio multis ex suis amissis. Ibid. Iterum cum Bœotis pugnantes prope Apollinis templum victi, in templum confugiunt, Deorum auxilio se saluari existimantes. Sed diuina prouidẽtia pœnam, quæ sacrilegis conueniebat, eis inflixit. Circa templum erant multi lecti Phocensium fugitiuorum. (500. enim confugerant) Ignis casu lectum vnũ incendit. Tanta repẽte flamma super omnium fidẽ excitata, vt templum & Phocenses, qui eò se contulerant, viui incensi sint. Ibidẽ persequitur Diodorus. Deuicti Phocenses, & Philippo se se dedentes, per totius Græciæ conciliũ, Amphyctionum nimirum decretum, iudicati & multati tanquam *Sacrilegi* & ad satisfactionẽ circa oraculi refectionẽ adiudicati sunt, vrbes eorum omnes dirui, & redigi in pagos. Hęc ibi. Vide (amabo) Amphyctionũ, totius Græciæ Iudicum, in sacrilegos æquissimum Senatusc. & supremũ iudicium. Quod me ad historię cuiusdã Ecclesiasticæ haud dissimilis, recitationem, (vt misceã sacra prophanis) vltrò incitauit. Testatur Theodoretus li. 4. c. 20. & Nicephorus lib. 11. cap. 28. quendam, nomine Magnum Comitem prouincialium

Theodoretus lib. 4. c. 20. Nicephorus li. 11. c. 28.

largitio

largitionum, virum nullo non impietatis genere ſemper nobilitatum, qui Iuliani temporibus Eccleſiam Beriti in Phœnicia incenderat: à Iouiniano piæ memoriæ, nũquam ſatis laudato Imperatore, eandem ſuis ipſius impenſis denuò ædificare, fuiſſe coactum: parumque abfuiſſe, quin ſecuri fuerit percuſſus, niſi multis pro eo deprecantibus, veniam ab Imperatore humaniſſimo impetrauiſſet. Hæc illi. Quòd tutum atque ſaluberrimum remedium ad multos certè manauerit, hoc tempore (vt Petrus Ærodius Iuriſc. in ſuis decretis lib. 4. tit. 3. de incendio, ruina, naufragio. §. 3. monet) ſi quando ſeueriores conſtitutiones nacti ſint. Quid ſi dirutas à ſe Eccleſias ſuis ſumptibus reficere, regia auctoritate & ſanctiſſimo edicto, compellerẽtur noſtri ſæculi templorum incendiarij, & ſacrilegi Caluiniſtæ, qui belli ſacri, vel ciuilis tertiò ab eis inſtaurati, temporibus: (vt ex Gallica liquet hiſtoria) templa incenderunt, ſpoliarunt, inceſtauerunt, ac profanauerunt? An non Chriſtianiſſimo principe digniſſimum foret huiuſmodi edictum? Sed tot funeſtis temporibus commemorandis propter legem ἀμνηςίας prudens, lubenſque superſedeo, & ad inſtitutũ noſtrum regredior. Sacrilegorum pœnas idẽ Diodorus lib. 16. recapitulat, diuinitus immiſſas, Princeps, inquit, tẽpli occupandi auctor Philomelus, caſu belli aduerſo, ſe præcipitem dedit. Onomarchus deinde electus Dux ab illis, quibus nulla ſpes bona erat, cum Phocenſibus & milite mercenario in Theſſalia interfectus, & de cruce ſuſpenſus eſt. Tertius Phayllus, qui multa rerum ſacrarum deſtruxerat, diuturno confectus morbo, haud breui potuit à cruciatu liberari. Qui verò poſt omnes eos, quidquid in donariis reliquum erat corripiũt. Phalęcus in variis periculis vitam longam ſatis duxit: Non quo ſors eius melior, quàm cæterorum ſceleris impij ſociorum eſſet, ſed vt longiori tẽpore cruciatus, multiſq; ex ſua miſeria notus factus, inſigniorem calamitatem ſubiret. Phalæcus, enim dum machinas mænibus quibuſdam diruendis inſtruit, fulmine incidẽte, diuinus ignis excitatus illas corripuit. Quas plerique ab incendio defendere conati, igne abſumpti ſunt. In his fuit & ipſe dux Phalæcus. Omnes etiam qui ſocij fuerant Phocenſium, direptionis oraculi participes, malè perierunt. Et ad eum modum qui ſacrilegij illius aliquid omnino attigerunt, Deo auctore meritas pœnas ſubiuerunt. Vxores quoque Phocenſium principum, quæ auſæ ſunt monilibus raptis

Ærodius in decre. lib. 4. tit. 3. §. 3.

Diodor⁹ lib. 16.

raptis se exornare, impij facinoris pœnas non euitarunt. Eóque pacto qui Deum contemptui habere veriti nō sunt, suppliciis quæ narrauimus, ab vltoribus Diis affecti sunt. Rursus, qui oraculo subsidium tulit Philippus, post id factum in dies res suas auxit, tandemque pietatis suæ beneficio, ab vniuersa Gręcia Imperator appellatus est: & suum regnum amplissimum omnium, quæ essent in Europa, effecit. Hæc Diodorus ibi fusius de bello sacro, quod decemnale fuit, atque in annum decimum contra Phocenses durauit: vnde huc transtuli quæ supra commemorata sunt. Et Pausanias lib. 10. in Phocicis, Philomelo auctore fanum Apollinis diripere aggressi sunt Phocenses, Illi cum Thebanis pugnantes, tandem terga vertêre. Philomelus verò in fuga ex arduo ac prærupto saxo cum se præcipitem dedisset, exanimatus est. Idem necis genus Amphyctionum decreto, est iis omnibus, qui eum secuti fuerant, irrogatum. Et Iustinus Historicus lib. 8. Secundo prælio contra Thebanos, Philomelus primus inter confertissimos dimicans cecidit, & sacrilegij pœnas impio sanguine luit. Hæc Iustinus. Egregiè sanè & supra quàm dici possit, in religionis studium, homines (licet Euangelij fulgore non illustrati) incumbebant. Quos putabant Deos, (Verùm, vt ait Psalmographus, *Omnes Dij gentium Dæmonia*) magna colebant reuerentia. Erat enimuero omnibus olim gentibus præcipuæ curæ Deorum cultus: Cuius rei non inscius Polygnotus pictor insignis, sacrorum expilatorem pinxerat (vt scribit Pausanias lib. prædicto) ob sacrilegium apud inferos pœnas luentem. Est (inquit) in Polygnoti opere homo, qui ob sacrilegium plectitur: apparet mulierem cui ille puniendus traditur, cum medicamentorū omnium, tum venenorum, quibus homines per cruciatus enecantur esse maximè gnaram. Hæc ille. Vt autem ad vmbilicum perducamus totum negotiū quod præ manibus habemus, Proferemus Ecclesiasticas historias quibus patebit apud Barbaros, Christianorū sacra fuisse in honore ac reuerentia. Quod Paulus Orosius lib. 7. c. 39. inducat. Alaricus (inquit) Gotthorum princeps, Romam irrumpit: dato præcepto prius, vt si qui in sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Basilicas confugissent, hos inuiolatos securosque esse sinerent. Discurrētibus per vrbem Barbaris, fortè vnus Gotthorum, idemque potens & Christianus, sacram Deo virginem ætate prouectam, in quadā Ecclesiastica domo reperit,

Pausanias lib. 10. in Phocicis.

Pausanias.

Orosius li. 7. c. 39.

reperit, cumque ab ea argentum & aurum honestè exposceret, illa expositis opibus, ad Barbarum ait, Hæc Petri Apostoli sacra ministeria sunt. Præsume, si audes. De facto tu videris. Ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo. Barbarus verò ad reuerentiam religionis motus, ad Alaricum hæc per nuncium retulit, qui continuò reportari ad Apostoli basilicam vniuersa vasa imperauit. Virginem etiam, simulque omnes qui se adiungerent Christianos, eodem cum defensione deduci. Itaque super capita elata palàm aurea & argentea vasa portantur, exertis vndique ad defensionem gladiis. Hæc ibi. Sacrilegum quendam memoriæ proditum est, à lupo deuoratum fuisse, vt scribit Pausanias lib. 10. his verbis. Hominem quendam aiunt sacram pecuniam, quum compilasset, abdidisse in ea Parnassi parte, quæ maximè esset syluestribus arboribus condensa: lupum verò in dormientem impetu facto, illum occidisse, ac deinde quotidie cum vlulatu solitum intra vrbem penetrare. Id cum non nisi diuinius fieri, existimare homines cœpissent, feram secuti, aurum sacrilegio ereptum repererunt, & ad rei memoriam lupum ex ære dedicarunt. Hæc Pausanias. Gregorius Turonensis Historiæ Francorum libro 7. §. 35. Erat Basilica S. Vincentij Martyris quæ est iuxta terminum Agennensis vrbis, referta diuersis thesauris incolarum, ob metu exercitus hostium. Erat enim spes incolis, Non esse à Christianis, tanti Martyris Basilicam violandam: Cuius ostia summo studio obsecrata erant. Nec mora appropinquans exercitus cum reserare templi valuas non valeret, ignem accendit, consumptisque ostiis, omne substantiam, cunctamque supellectilem, quam in ea inuenire potuerunt, cum sacris ministeriis abstulerunt. Sed multos ibi vltio diuina conterruit. Nā plerisque manus diuinitus vrebantur, emittentes fumum magnum, sicut ex incendio surgere solet. Nonnulli arrepti à Dæmone, per energiam debachantes, martyrem declamabant. Plurimi verò semoti à seditione, propriis se iaculis sauciabant. Hæc ille. Idem Gregor. lib. 1. de miraculis. §. 38. Subdiaconus quidam viso argento in quodam templo cogitat intra se, quòd postera die auaritia impellēte, compleuit. Nocte enim consurgens ingressus est Basilicam sanctorum Martyrum Chrysanthi & Dariæ. Deinde per fenestram ingrediens cellulam, ac per obscuritatem noctis palpans manibus, aliquos de vrceis capit: Deinde egredi cum

Pausanias lib. 10.

Gregor. Turon. libr. 1. de mirac. §. 38.

præda

prædа cupiens per totam noctem circumiens, nunquam potuit aditum, vnde ingressus fuerat, reperire. Dato vero die dum opera sua obtegi, conscius sceleris voluit, occultauit se in angulo cellulæ tota die, ne videretur. Sequenti verò nocte quæsiuit iterum aditum, sed reperire non potuit: Sic per trium noctium curricula fecit. Tertia verò die cum iam fame cruciaretur, accessit coram populo ad fenestram, & relicto argento, confessus est opus suum, egressusque est foras cum magna verecundia, nec latuit scelus quod gesserat. Hæc ibi. Postquam de sacrilegis tam multa diximus, Nunc de vendentibus Columbas nonnihil quoque speciale dicamus. D. Hieronym. in Matt. 21. Qui Spiritussancti, ait, gratiam vendunt: Columbas vendere dicendi sunt. Superiore homilia aliquid hac de re delibauimus. Modò exempla duo aut tria proponamus. Habet Martini Poloni Chron. lib. 4. Anno circiter 1060. Hildebrandus Cardinalis, qui postea Gregor. 7. Papa factus, nominatus est, legatus in Gallia, contra multos symoniacos processit: sed contra vnum Episcopum valde infamatum specialiter. Quumque certum sit, quòd Episcopalis gratia Sanctispiritus donum sit: Quisquis Episcopatum mercatur, contra Spiritumsanctum facit, Dixit ad illum legatus, Si tu contra Spiritumsanctum nō fecisti, Dic, Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, incipiēs ille, dicebat quidē, Gloria Patri & filio, verùm, Et Spirituisancto nullatenus dicere potuit, quāquam frequentius repeteret: Sicque ab Episcopatu eiectus fuit, & tunc plenè & absolutè dixit. Gloria Patri & Filio & Spiritui. De hac re etiam Fulgosius libr. 8. cap. 1. Euidenti prodigio damnatus fuit symoniaco crimine Archiepiscopus Abruuensis ab Hildebrando Apostolico legato. Symoniacum crimen negabat ille, hic verò affirmabat: Commissum est negotium iudicio & manifestationi, vt suprà Theodoritus Eccl. hist. li. 4. c. 20. Lucius quidam pseudo episcopus, non ritè, ac legitimè, vt sacri Ecclesiæ canones præscribunt, consecratus, & ordinatus fuit: sed pecunia, tanquam dignitatem quandam, vt ita dicam, sæcularem emerat, Arrianarum partium impium dogma sequebatur, blasphemus in Christum.

D. Hier. in Matt. 21. *Martini Polo. lib. 4. Chrō.* *Fulgosi lib. 8. c. 1.* *Theodoritus lib. 4. ca. 20.*

Cùm fecisset quasi flagellum de funiculis. Flagellum castigandis seruis adhibemus, & iumentis. Prouer. 26. *Flagellum equo, & virga in dorso imprudentium.* Seruiliter & tyrannicè vexans Israëlitas Pharao flagellis eos indignissimè afficiebat.

Prouer. 26. *Exod. 5.*

bat. Exod. 5. *En* (inquiebant) *famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum.* Et quia seruus est peccator, ideo Psalm. 31. dicitur. *Multa flagella peccatoris.* Flagellantur latrones, Isti autem fures erant, qui domum Dei, latronum speluncam fecerant. Ideo flagellat eos Christus. Item seruorum instar durè tractantur à Christo, cum longè grauiora fuisse commeritos ipsum per se crimen satis ostendat. Legitur apud Herodotum lib. 4. initiò. & Iustinum Historicum libr. 2. quomodo Scythæ cum suis seruis pugnantes, memores facti, non cum hostibus, sed cum seruis se præliari, nec armorum, sed dominorum iure vincendos, verbera in aciem, non tela ferenda putauerunt, omissóque ferro, virgas & flagella cæteráque seruilis metus paranda instrumenta: Et quos ferro non poterant, metu verberum tandem vincunt, fugamque non vt hostes victi, sed vt fugitiui serui capessunt. Quicunque autem capi potuerunt supplicia crucibus luerunt.

Psal. 31. *Herodotus lib. 4.* *Iust. Histor. li. 2.*

Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Sunt qui sacrata Deo templa prophanis applicare vsibus audeant, sancta loca impiè temerantes. Veluti Gregorius Turonensis libr. 1. de miraculis §. 48. scribit, quòd Plato quidam, Clotarij Regis tempore, ad Pauliacēse monasterium accedens, pro eo quòd munus aliquod ab Abbate non accepisset, dixisse fertur. Ego faciam de hac Ecclesia domum Regis, in cuius vno angulo equites alantur. Et cum furore discedens, dum ad principem abire disponit, comprehensus à febre, die tertia spiritum exhalauit, descendensque velociter ad infernum, domum Dei reliquit ad cultum eius, cuius priùs fuerat nomine consecrata. Hæc Gregorius. Habetur in sexto Decretalium de regulis iuris reg. 51. Semel Deo dicatum non est ad vsus humanos vlterius transferendum. Item Iustinianus Imp. leg. 21. C. de Sacrosanct. Eccles. Sancimus nemini licere sacratissima vasa, quę ad diuinam religionem necessaria sunt (cum etiam veteres leges, ea quæ iuris diuini sunt, humanis nexibus non illigari sanxerint) ad venditionem trahere, excepta videlicet causa captiuitatis. Nam si necessitas fuerit in redemptione captiuorum, tunc & venditionem præfatarum rerum diuinarum, fieri concedimus.

Greg. Turon. lib. 1. de mira. §. 48. *6. Decre. de regul. iuris reg. 51.* *l. 21. C. de Sacro. Eccles.*

Quoniam non absurdum est animas hominum, quibuscunque vasis vel vestimentis præferri. Hæc Christianus Imp. Quod sic accipe, necessitatis extremæ articulo imminente,

nente, nempe cum non aliunde redimi possunt, quumque necessitatibus pauperum subleuandis, alia desunt subsidia: licere tunc sacra vasa in captiuorum redemptionem, & ad pauperum solamen ac sustentationem, vendere, quum dicat Dominus, Misericordiam volo potiusquam sacrificium, & in sancti Archidiaconi Laurentij martyris laudem decantet Ecclesia, Quòd thesauros Ecclesiæ dederit pauperibus, vt à tyrannis rapacissimis prædæ sacrorum inhiantibus subtractos, egenis ac laborãtibus Christi membris (cuius honori dicata sunt) ea impertiretur, ad pauperum necessitates scilicet & alia pia opera: Vnde ex D. Ambrosio relatum est in canones sacros 12. q. 2. cap. Aurum Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget & subueniat in necessitatibus. Nónne dicturus est Dominus, Cur passus es tot inopes fame mori? Certè habebas aurum, vnde ministrasses alimoniam. Ornatus sacrorum, redemptio captiuorum est. Nemo potest queri quia captiui redempti sunt. Hæc D. Ambrosius. Sic autem sacra erogare, non est sæcularium more, negotiationem exercere vel tractare. "

12. q 2. c. Aurum.

Recordati sunt discipuli quia scriptum est, zelus domus tuæ comedit me. Ex psalm. 68. Zelum, Sanctus, pro Dei domo atque honore habuisse sacra testantur eloquia. Moses cum Leuitis aduersus Idololatras suum declarauit zelum, Phinees contra adulteros, Samuël contra Regem Agag, quem interfecit, Helyas contra falsos prophetas, & Baalistas, quos etiam ad torrentem Cison occidit. 3. Reg. 18. Matathias qui occidit illum, qui ad præceptum Antiochi sacrificabat, & Machabæi filij eius, qui vsque ad mortem sumptis armis zelum legis ac religionis auitæ commonstrauerunt. Sic & Christus hodierno Euangelio honoris Dei patris zelum palàm ostendit, facto de funiculis flagello, expellens templum Domini sanctum contaminantes ac conspurcantes. Quid zelo Iehu, pro Domino, cõtra sacerdotes Baal, in sacra Regũ historia decãtatũ magis? Ipse ad Ionadab dicebat, Veni mecũ & vide zelum meũ pro Domino.

Psal. 68.

3. Reg. 18.

Contra domum Achab, contra Iezabelem, contra fratres Ochoziæ & denique contra vniuersam reproborum colluuiem, zelum suum Iehu declarauit, vt colligitur 4. Regum, nono & decimo capitibus. Huius ad instar, Christiani principes zelum pro Domino ac religione palàm ostendant, & ingenuè profiteantur, alioqui huius tituli honore quam maximo prorsus indigni. D. Augustinus to. 2.

4. Reg. 9. & 10.

D. Aug. to. 2. epist. 50.

Epiſtola 50. ad Bonifacium Comitem, de moderatè coërcendis hæreticis Quomodo Reges Domino ſeruiunt in timore (*Pſalm. 2.*) niſi ea, quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim ſeruit quia homo eſt, aliter quia etiam & rex eſt. Quia homo eſt, ei ſeruit viuendo fideliter: Quia verò etiam Rex eſt, ſeruit, leges iuſta præcipientes & contraria prohibentes, conuenienti vigore ſanciendo. Sicut ſeruiuit Ezechias, lucos & templa Idolorum, & illa excelſa, quæ contra Dei præcepta conſtructa fuerant, deſtruendo 4. *Reg.* 18. Sicut ſeruiuit Ioſias, talia & ipſe faciendo, 4. *Reg.* 22. Sicut ſeruiuit Rex Niniuitarum, vniuerſam ciuitatem ad placandum Dominum cõpellendo. *Iona* 3. Sicut ſeruiuit Darius, Idolum frangendum in poteſtatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. *Daniël.* 14. Sicut ſeruiuit Nabuchodonoſor, omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo, lege terribili prohibendo, *Daniël.* 3. In hoc ergo ſeruiunt Domino Reges, inquantum ſunt Reges, cùm ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges.

4. Reg. 18. *4. Reg. 22.* *Iona 3.*

Hæc D. Auguſtinus Scripſit ante ducentos annos. De veterum principum Germanorum zelo & feruore in Chriſtianam religionem Lupoldus quidam, Epiſcopus Bambergenſis. Ille cap. 1. Præcipuus, inquit, Catholicæ fidei zelus veterum principum Germanorum apparet ex eo, quòd poſtquam fuerunt Chriſto (qui fundamentum eſt fidei) deuoti, nomen Chriſtianitatis aggreſſi, nullus eorum à rectitudine Catholicæ fidei, etiam ſemel legitur deuiaſſe: ſed potiùs eiuſdem fidei profeſſores firmiſſimi permanſerunt.

Lupoldus cap. 1.

Quod & nos Galli de Chriſtianiſſimis noſtri principibus ex ſpeciali Dei fauore, in noſtris Chronicis prædicamus: A primo ſiquidem Francorum Rege Chriſtiano, ac baptizato atque cœleſti ampula ſacróve chriſmate delibuto (Nam columba niue candidior, attulit in roſtro ampullulã chriſmate ſancto repletã, de quo fudit venerandus Epiſcopus in fontem ſacratum ait Huicmarus Epiſcopus Rhemenſis de S. Remigio apud Surium to. 1. 13. Ianuarij) ab illo inquam) Clodoueo, ad Chriſtianiſſimum vſque Regem noſtrum ac Polonorum, Henricum tertium, Quem Dominus in multos annos conſeruet, & (quod fuit Iuſtiniani Imper. Chriſtiani votum, leg. 1. C. de off. præf. præt.

l. 1. C. de off. præf. præt.

Africæ

Africæ expressum (quicquid minus est Reipub. nostræ, per eum seruum suum, restituat in suo nomine Deus, & dignum eum faciat seruitium eius adimplere, Nullus ex Francorum Regibus inuentus est à Catholicæ fidei orbita rectóque tramite deflexisse.

Vnde Christianissimi Reges κατ' ἐξοχὴν: dici meruerunt. Idem prænominatus Episcopus cap.3. describit reuerentiam singularem ac obseruantiam quam erga diuinum cultum amplificandum habuerunt Principes isti, Carolus Magnus Pipini filius & Robertus ille, qui pulcherrimam sequentiam (siue prosam mauis dicere) Sancti spiritus adsit nobis gratia, & quosdam alios Ecclesiasticos cantus composuit. His duobus etiam tertium addo vt perfectus sit ternio, quia de tribus dicitur omne lib.1. de Cœlo cap.1. ex antiqua tralatione Aristotelæi textus, Sanctum scilicet Regem Ludouicum. *Aristoteles.*

Qui omnes Francorum Reges fuerunt, tantæ deuotionis ac pietatis, vt de his non immeritò nostra in Domino gloriari possit Gallia. Ex quo concluditur eosdem Christianæ religionis zelum pręcipuum habuisse. Et cap.4. Quoniam (ait) tantò maiorem quis zelum Christianæ religionis habere perpenditur: quantò Romanam Ecclesiam, hoc est Catholicam & Apostolicam, ac Romanum Pontificem potioribus attollit beneficiis, & maioribus honoribus veneratur, id fecisse veteres Germanos demonstratur qui eandem Ecclesiam multoties defensarunt, ipsam à variis Tyrannorum violentiis & oppressionibus, magnificè liberando. Nam Carolus maior, dominus & Dux Francorum cognomine Martellus, Ecclesiam Romanam & totam Italiam (vt refert Chronicon Gotfridi) à Gothis, tempore Gregorij tertij Papæ liberauit: Deinde filius eius Pipinus, Rex Francorum, rogatus à Stephano Papa secundo, contra Astulphum Regem Longobardorum, qui Ecclesiæ Romanæ & Romanis multa mala intulit, Italiam ingressus, commisso acerrimo prælio, processit, illúmque, Deo volente, expugnauit. Subinde, Carolus Magnus dicti Pipini filius, rogatus ab Hadriano Papa primo, vt ius Ecclesiæ Romanæ contra Desiderium Regem Longobardorum Astulphi prædicti filium, defenderet: Desiderium Papiæ obsessum, ad deditionem compulit, secúmque in Franciam captiuum deduxit: (hæc omnia ex nostris Annalibus Francicis colligere haud difficile fuerit.

Item (ait ibidem) tempore Imperatoris Ludouici primi, filij Caroli Magni, Saraceni Romam & ciuitatem Leoninam ceperũt, & Ecclesiam Romanam omnibus bonis mobilibus spoliarunt, Eam equorum suorum stabulum facientes.

Qui per exercitum Ludouici prædicti, & per quendã VVidionem Marchionem, cum multa effusione Christiani sanguinis sunt fugati, vt in Martini Chronico continetur. Hoc habetur apud eundem scriptorem Martinum, in Gregorio 4. Papa his verbis, De Romanis quidã scelerati miserunt ad Soldanum Babyloniæ, vt Romam veniens Italiam possideret. Ingens itaque multitudo Saracenorum impleuit superficiem terræ, vt locustæ. Obsessa Roma capitur & ciuitas Leonina: Ecclesia Sancti Petri spoliatur, & equorum stabulum efficitur. Tandem ad petitionẽ Gregorij Papæ Guido Marchio, cum Longobardis veniens, & postea Ludouicus cum Gallicis, cum multa sanguinis effusione Christianorum, Saraceni sunt fugati. Ludouicum Francorum Regem ac Imper. Caroli magni filium, de quo statim & incontinenti agit, haud dubiè significat. Et cap. 9. Qua (inquit Lupoldus) religiosi principis est, Ecclesias contritas & conscissas restaurare, nouásque ædificare, vt dicit Canon 96. distinct. cap. vltim. Et sunt verba Marcelli Papæ D. Boni principis est ac religiosi, concussas Ecclesias restaurare, nouásque ædificare, & Dei sacerdotes honorare ac tueri. Ex his igitur constructionibus, dotationibus & restaurationibus Ecclesiarum & Monasteriorum, pro augmento diuini cultus, magnificè factis, clarè patet principes ante dictos, Christianæ religionis zelum præcipuum habuisse & præcipuè exempli causa producit Pipinum, & Carolomanũ fratrem eius, ac Carolũ Magnũ filium Pipini, Ludouicúmque ipsius Caroli Magni filium, qui multas construxerunt & dotauerunt Ecclesias ac monasteria. Cuius rei veritas plus ex priuilegiis & instrumentis, Ecclesiis & Monasteriis, per eosdẽ principes concessis quàm ex quibuscunque Chronicis poterit apparere.

Martini Poloni Chronic. Canon.

95. dist. c. vlt.

Superioribus his 4. Francorum principibus, connumerabo Diuum Ludouicum Francorum Regem, qui tot monasteria & templa, atque eximium illud sacrum sacellum lutetianum, diuinis plenum Redemptionis nostræ insignibus, atque instrumentis aliísque sacris ac venerandis Reliquiis, & construi curauit, & regia munificentia, ac libera

beralitate dotauit: vt eius gesta fusissimè perhibent. Capite iterum 14. Inter omnes Reges Francorum, ait, à tempore Clodouæi, qui primus inter eos Christi fidem assumpsit, illi, vt ex gestis eorum patet, plus cæteris claruêre victoriis, qui zelum maiorem fidei Catholicæ habuisse noscuntur.

Inter quos primas tenet Carolus Magnus, qui cum obsideret Pampilonam, & propter muros inexpugnabiles, ipsam capere non posset, orauit S. Iacobum (qui nocte in extasi ei apparuerat dicens, eum ad liberandum terram Galiciarum, in quá corporaliter incognitus quiescebat, à Saracenorum manibus, fuisse à Deo electum) vt ob sui honorem nominis, daret ei capere ciuitatem: & tunc muri ciuitatis (vt quondam muri Hierichuntini. *Iob 6. & Hebr. 11.*) funditus corruerunt. Et capit. 3. supra, retulerat de Roberto Rege Franciæ Galliæ, qui cum quoddam castrum obsedisset, dimisso exercitu ibidem, Aurelianas, (Aurelianum dicimus latinè) propter festum Aniani Episcopi, venit, & cùm chorum regendo, alta voce ter Agnus Dei flectendo genua incæpisset, muri castri quod obsederat, funditus corruerunt. Insuper cap. 15. siue antepenultimo. Stephanus Papa 2. (inquit) Pipinum Francorum Regem (vt eorum refert historia) in quadam epistola sua, optimum ac Christianissimum Regem nominauit, eundem Pipinum his præclaris cognominibus specialiter honorando, ex qua nominatione mos inoleuit vt puto, quòd Reges Fráciæ Gallicæ, qui de genere ipsius Pipini, & Caroli Magni descenderunt, vsque in præsentem diem ab Ecclesia Romana, Christianissimi nuncupantur. Hæc ex Lupoldo natione Teutonico Iureconsultóque (vt ait Trithemius, De Scriptoribus Ecclesiasticis) celeberrimo, qui floruit anno Domini 1340. Ego natione Gallus, optimam hic nactus occasionem, collegi & exscripsi: vt Principes nostri, zela pro domo Dei, ex Veterum Francorum Christianissimorum Regum officio, ac potiùs pietate erga Christianam religionem, magis ac magis ferueant, & accendãtur, vt cum Christo, Rege Dauide, Sanctisque Regibus eorum progenitoribus ac prædecessoribus, dicere bona fide, & conscientia valeant, *Zelus domus tua comedit me.* De zelo hactenus.

Iosʃ. 6. & Heb. 11.

Dixerunt Iudæi, Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Mira obduratio atque impudentia. Quod vel quale si-

gnum præclarius isto, expectabant? Maius nihil videri potest in factis Christi, quàm quòd solo nutu atque iussu, è domo Dei deturbarit vendentes & ementes, *factóque de funiculis flagello, omnes expulerit*, absque armis & solus, & tā vilis despectúsque ab illis reputatus, & habitus.

Homil. 22. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Duo ait D. Chrysost. Homil. 22. in Ioannem proponebantur eis, alterum resurrectio, alterum longè maius. an Deus in ipso esset: Vtrúmque his verbis significauit, *Soluite templū hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quod & Paulus non paruum esse diuinitatis signum ostendens inquit: *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute ex resurrectione mortuorum.* *Rom. 1.* Rom. 1. id est, vt obiter istud elucidetur, Declaratus est esse filius Dei ex eo quòd resurrexit à mortuis. Quare & hic & alibi sæpenumero hoc signum in medium affert: *Cum exaltaueritis filium hominis* (inquit) *tunc cognoscetis quia ego sum.* *Ioan. 8.* Ioan. 8. Et iterum. *Non dabitur vobis signum, nisi signum Ionæ Prophetæ*, *Mat. 12.* proximè sequenti Euangelio ex Matth. 12. Aduerte etiam Christum templum carnem suam appellare, subobscurè quidem locutus dubitantibus Iudæis, quoniam apertè dicenti ipsius verbis fidem non adhibuissent. Hæc Chrysost. sed mentem eius Euangelista ὁ θεόλογος per Antonomasiam à veteribus appellatus, exposuit. Ille autē dicebat de templo corporis sui. *Dominus in templo sancto suo*, ait psaltes regius *Psal. 10.* Psalm. 10. *In Christo similiter, habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Coloss. 2.* *Coll. 2.* Hoc est in carne eius. (ait Damascenus lib. 3. c. 6. orthod. fid.) *Damasc. lib. 3. c. 6. Orthod. fid.*

Solute. pro, Soluetis, Imperatiuè licet proferatur, tamē prædicentis futurum energiam habet. Soluetis templum hoc corporis mei, quando scilicet mortem infligentes, tunc ambas partes inter se coniunctas, & quodam quasi vinculo colligatas dissoluetis. Mortem enim subsequetur animæ à corpore separatio, & fiet quædam quasi resolutio & partium dissolutio. Semper tamen mansit vnitum verbū indissolubili vnione, essentialibus humanæ naturæ partibus. *Libr. 3. Ort. fid. c. 27.* Et (vt loquitur Damasc. lib. 3. Ort. fid. capit. 27. Quanquam mortuus est vt homo, & sancta eius anima ab incōtaminato separata corpore: non tamen diuinitas ab vtroque separata remansit, ab anima, inquam, & corpore. Hæc ille. *Macrob. libr. 1. in Somn.* Accommodatè dictum de templo corporis sui, *Soluite templum hoc:* Nam etiam Macrobius libr. 1. in Somniū Scipionis c. 11. Corpus (inquit) Δεσμὸς, hoc est, vinculum nūcupatur.

patur. Vnde Cicero illud significans ibidē ait. Qui ex corporum vinculis tanquam è carcere euolauerunt. Animum nunc inclusum in corpore dicit idem, sub finem de Somnio Scipionis. Soluitur autem cū ex corporis vinculis, tanquam è carcere liberatur. Inde vox illa, *Educ de custodia, siue de carcere animam meam. Psalm. 141.* quod (vt ibidem Genebrardus) possit transferri ad carcerem corporis huius mortalis. Apostolus pariter exclamat, Cupio dissolui & esse cum Christo & Græcè hìc habetur, λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον id est, soluite templum hoc. A. Gellius lib. 2. cap. 8. ex Plutarcho, ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. Hoc est, Mors, animę corporisque est dissolutio. Plato diuinus in Gorgia vel de Rhetorica versus finem, Mors quidem est vt mihi videtur, nihil aliud quàm rerum duarum, animæ scilicet atque corporis, à se inuicem dissolutio. Hactenus ille. Bene igitur, *Soluite.* Silentio non prætermittam nobilem illam de Alexandro Magno historiam, qui nodū Gordium dissoluit, aut potius secuit. Narrant Plutarch. to. 3. Vitar. de Alexādro, & Q. Curtius lib. 3. sic. Pro vero à Barbaris accepit credi in fatis esse, qui vinculum id dissoluisset, is vt imperio orbis terræ potiretur. Cōmemorant multi vinculum, quod tortuosis orbibus nodi, in semetipsis identidem implicati celarent loramentorum capita, Alexandrum soluere desperantem gladio nexum dissecuisse, atque multa, eo resoluto, capita inuenisse. Aristobulus verò sanè quam expeditè nodum ait eum soluisse. Hæc Plutarch. Curtius autem, Vehiculum inquit, quo Gordium Midæ patrem vectum esse cōstabat, aspexit. Notabile erat vinculū adstrictum compluribus nodis in semetipsis implicatis, & celantibus nexus. Incolis deinde affirmantibus, editam esse oraculo sortem, Asiæ potiturum qui inexplicabile vinculū soluisset: cupido incessit animo sortis eius implendæ. Circa regem erat & Phrygum turba, & Macedonum, illa explicatione suspensa, hæc sollicita ex temeraria Regis fiducia: quippe series vinculorum erat ita adstricta, vt vnde nexus inciperet, quoue se conderet, nec ratione, nec visu percipi posset. Soluere aggresso iniecerat curam, ne in omen verteretur irritū incœptum. Ille ne quicquam diu luctatus cum latentibus nodis: Nihil, inquit, interest quomodo soluantur: gladióque ruptis omnibus loris, oraculi sortem vel elusit, vel impleuit. Hæc Curtius. Iustinus Historicus libro 11. sic commemorat, scriptisque

Scipio. c. 11. Cicer.
Psa. 141. Genebr. in Psal.
Gellius li. 2. ca. 8.
Plato in Gorgia.
Plut. to. 3 vit. i Alexand.
Curtius lib. 3.
Iustin. Hist. lib. 11.

mandauit. Alexander Gordiam vrbem petiit, quòd audierat in ea vrbe in Templo Iouis iugum plaustri Gordij positum, cuius nexum si quis soluisset, eum in tota Asia regnaturum, antiqua oracula cecinisse. Huius rei causa & origo illa fuit, Gordius cùm in his regionibus bobus conductis araret, aues eũ omnis generis circunuolare cœperunt: profectus ad consulendos Augures vicinæ vrbis, obuiã in porta habuit virginem eximię pulchritudinis: percunctatusq; eam, quem potissimùm Augurem consuleret: Illa audita causa consulendi, gnara artis ex disciplina parentum, regnum ei portendi respondit: pollicetur que se & matrimonij & spei sociam. Tam pulchra conditio prima regni fœlicitas videbatur. Post nuptias, inter Phrygas orta seditio est. Consulentibus de fine discordiarum, oracula responderunt, Rege discordiis opus esse. Iteratò quærentibus de persona Regis: iubentur eum Regem obseruare, quem reuersi primum in templum Iouis eũtem plaustro reperissent. Obuius illis Gordius fuit, statimque eum Regem consalutant: Ille plaustrum quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Iouis positum, maiestati consecrauit Regis. Post hunc filius Mida regnauit. Igitur Alexander capta vrbe, cùm in templum Iouis venisset, iugum plaustri requisiuit: quo exhibito, cùm capita loramentorum intra nodos abscondita, reperire non posset: violentius oraculo vsus, gladio loramenta cædit, atque ita resolutis nexibus latentia in nodis capita inuenit. Hæc Iustinus. Sed quorsum hæc, dicet aliquis? Dicam paucis. Quẽadmodum nodi illius Gordij solutio, Monarchiæ erat quoddam prognosticum, ac velut faustum vaticinium: sic solutio Dominici corporis per mortem, orbis terrarum principatus, erat mysterium & symbolum. Sicut & Christus cùm à mortuis surrexisset dicebat, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Matth. vlt. c. Et Apostolus, *Humiliauit semetipsum vsque ad mortẽ propter quod Deus exaltauit illum. Philip. 2* Itaque Christus Luc. 24. *Nõne oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriam suam?* & rursus. Heb. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Gladio nodum Gordium, non tam soluit quàm secuit Alexander, Quod sic interpretor. Iudæorum gentem in Alexandro adumbratam. Gladio, vehementia scilicet & acerbitate tormentorum quæ Christus passus est à Iudæis non coactè sed voluntariè, vel soluisse templum hoc,

Matth. *Philip. 2.* *Luc. 24.*

hoc, vel conscidisse potius ob vim illatam violentiamque quod & velum templi scissum, à summo vsque deorsum Matt.27.in Christi morte, non incongruè designabat. Sed quia Actio displicuit, passio grata fuit: Ideo Iudæis æternum supplicium ob tantum scelus, Christo autem Imperium, ac orbis Monarchia iure redditur à Patre: adeo vt Rex Regum & Dominus Dominantium, habeat in vestimento & in femore suo scriptum: Apoc.19. Qua de re fusius aliàs. Animaduersione autem dignum videtur, quòd non secanti vel soluēti nodum in re figurata: Hoc est, non Iudæis Christi corporis templum, impiè crudeliterque soluētibus, sed ipsi Christo qui tam dira ab ipsis perpessus est, Monarchiæ & Imperij honos defertur. Neque enim in omnibus sibi inuicem figuram & rem figuratam, siue ipsam veritatem, necesse est correspondere. Item soluere Iesum alio etiam sensu dicuntur Hæretici. 1. Ioan. 4. *Omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est. Et hic est Antichristus.* Qui soluit Iesum, id est, separat à Iesu, aut diuinam aut humanam naturam, inquit Claudius Guilliādus huius loci interpres. Quales fuerunt Hæretici. Quorum alij Christo sic tribuebat humanam naturam, vt adimerent diuinam: Alij sic tribuebant diuinam, vt adimerēt humanam. Et doctus Ioan. Gagnæus ibidem, Soluere, ait, nihil aliud est, quàm aliquid eorum, quæ illi propria sunt auferre, vel scilicet deitatem auferre, vel humanitatem detrahere, quod ab Hæreticis factum est. Ad eum quoque modum per Iudæos solutus Iesus dicetur, quia negatur ab eis pertinaci & obstinato animo, verus esse Messias, verus Deus, verusque mundi assertor atquè redemptor. & hoc est Iudaicè, id est, damnata perfidia Iudaïca Iesum soluere. Quibus & Christus comminando prædixit, *In peccato vestro* (impietatis scilicet, atque incredulitatis, & obstinationis) *moriemini.* Ioan. 8. *In tribus diebus excitabo illud.* Valde necessariè, hoc Euangelista retulit: Etenim sine illa narratione, non satis intelligi potuit, quod Euangelistæ alij dicunt, testificantes coram Caïpha dixisse illum: *Possum destruere templum Dei, & in triduo readificare illud* & quosdam exprobrasse in cruce, Vah! qui destruis templum Dei. Quando videri potuit dictum à Christo, nunc explicat Diuus Ioannes. Dixit, *Soluite & excitabo.* quæ verba sunt templo materiali, & templo corporis, communia: Non autem, *Destruam & readificabo*, vt perperam & falsò in eum dixerunt. Soluitur templum cum demoli

1. Ioan. 4.

Guilliandus in 1. Ioan.

Gagnæus in 1. Ioā.

Ioan. 8.

demolitur, & cum anima separatur. Excitatur etiam ædificium, & mortuus ad vitam: Excitare ædificium, pro Erigere, sumptum nemo in legendis bonis auctoribus versatus, dubitauerit. Suetonius in Octauio Augusto. §. 29. Templum Apollinis excitauit. Idem in Domitiano §. 5. Nouam, inquit, excitauit ędem in Capitolio Custodi Ioui, & forum quod inde Neruæ vocatur. Iterum in Caligula §. 46. Altissimam turrem excitauit. Et Seneca Epist. 53. Puta duo ædificia excitata esse, ambo paria, æquè excelsa, atque magnifica. Et 2. Paral. 24. *Suscitarunt domum Domini in statum pristinum & firmiter eam stare fecerunt*, agitur ibi de instauratione templi & reædificatione.

Suetoni⁹ in Augusto §. 29. & in Domit. §. 5. Senec. epist. 53. 2. Paral. 24.

Quadraginta sex annis ædificatũ est templum hoc. Ibi Chrysostomus, Homilia iam semel à nobis citata in Ioannem 2. cap. Secundam templi ædificationem meminerunt, prima namque viginti annis absoluta est. Hæc ille. Mihi verò 3. Reg. 6. textum expendenti vbi in fine dicitur, *Perfecta est domus Domini, in omni opere suo, ædificauitque eam Salomon annis septem,* dicendum melius videtur, mendum esse vel librarij seu impressoris, vel Sancti viri (vt Græci loquuntur) ἁμάρτημα μνημονικὸν, leuem videlicet memoriæ lapsum & errorem quendam humanum, qui viris quantumcumque doctis facilè obrepit, iuxta illud vulgatum dicterium, Quandoque bonus dormitat Homerus.

Chryso. in Ioan. 2. c. 3. Reg. 6.

Verùm opere in longo fas est obrepere somnum. apud Horatium de Arte Poëtica. Atque Demosthenem dormitare interim dicit Cicero, referente Quintiliano Iust. Orat. li. 12. c. 1. Nobis autem cum sacra historia tenendum est, & sentiendum hac de re.

Horat. de Art. Poët. Quintil. lib. Iust. 12. c. 1.

Cùm surrexisset à mortuis recordati sunt discipuli & crediderunt scripturæ, & sermoni quē dixit Iesus. Cui scripturæ (amabo)? Ei nimirum quæ de Resurrectione Christi est in Psalmo 3. *Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi.* Iterum 56. *Exurge gloria mea, Exurge:* & ibi responsum est à dicente, *Exurgam diluculo.* Quæ omnia de Christo intelligenda sunt. Multa præterea testimonia similia possunt proferri. Sed vereor, ne si fuero pluribus commemorandis diutius immoratus, crimen loquacitatis incurram, lectoríque molestiam importem. Quare huius concionis hic finis esto. Cum gratiarum actione Opt. Max. Deo, Cui laus & gloria in sæcula. Amen.

Psal. 3. Psal. 56.



FERIA TERTIA POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMAE.

De medio Scenophegiæ. Ioan.7.

Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum & docebat: & mirabantur Iudæi dicentes, Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? Ioan.7.



QVOD Iudæi mirarentur, ex ignorantia procedebat. Mater siquidē admirationis ignorantia est. Si enim filiū Dei agnouissent non dubitassent *omnes thesauros Sapiētiæ & scientiæ in eo reconditos*, Quod D. adstruit Paulus. Coll.2. *Hic adinuenit omnem viam disciplinæ.* *Collos.2.* *Baruch 3.* Mirabantur (ait hoc loci D. Augustinus) sed non *Baruch. 3.* conuertebantur. Nec meliores ex Christi concionibus reddebantur. Quinimò instar Araneæ, quę omnia vertit in *D. Aug.* venenum, sicut contrà Apis flores in mel conuertit! Ita isti deteriores ex Christi efficiebantur sermonibus. Ne igitur meremur si quidam nostris prædicationibus ad meliorem frugem haudquaquam conuertantur. Nam & D. Paulus Rom.10. postquam præmiserat. *Quàm speciosi pedes Euange-* *Rom. 10.* *lizantium pacem, &c.* Statim subdidit: *Sed nō omnes obediunt Euangelio*, Et citat Euangelicum prophetam Isaiam c.53. *Isa.53.* *Domine quis credidit auditui nostro?* quasi dicat, Paucos admodū esse: qui Euangelio obediāt. Hæc est maxima exaggeratio Apostoli, quòd cum Euangelizantium pedes sint valdè pulchri, tamen tam pauci sunt qui ex sancta eorum doctrina fructum percipiant. Ampliùs autem hoc ipsum exaggerauit D. Ioannes c.12. *Cùm tanta*, inquit, *signa fecisset* *Ioan. 12.* *Iesus coram eis non credebant in eum: Atque istum Isaiæ locum refert: Domine quis credidit auditui nostro.*

Vt autem illorum tolleret admirationem, vel potius vt tam rudes erudiret, Respondit: *Mea doctrina non est mea, sed eius, &c.* quasi dicat. Non quæcūque sciētia humanitus,

arte,

arte, studio, industria & labore comparatur. Sed contingit sæpè homines ἀμέσως à Deo, non per homines, doctos effi-
Ioan.6. ci, & vt habet diuina scriptura θεοδιδάκτους, *esse*. Ioan. 6. ex
Isai.54. Isai.54. c. Quòd si attendissent, ex dubitatione non interrogassent. *Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* In qua schola (amabo) protoplastus Adam edoctus fuit? Qui nomina rebus imposuit? Iuxta illarum proprietates, vt sacra Geneseos refert historia. Scientia enim sibi à Deo indita, ac diuinitus infusa res omnes exactè cognouit. In qua versatus Academia Noë dicit arcam fabricare? Vbi Ioseph vel Daniel didicerunt interpretari somnia? Vbi prophetæ edocti sunt vaticinari de futuris? Nisi (sicut Apostolorum
2.Pet.1. Coriphæus scribit) 2.Pet.1. *Cœlesti afflati numine? Non enim (ait ille) Voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto afflati locuti sunt sancti Dei homines.* A quo Astrologo edoctus fuit Iosue, vt sisteret solem? A quo item Isaias vt illum reuocaret retrorsum? Vbi Petrus Christum esse filium Dei didicerat: Vel eius Collega Paulus Euangelium? *Neque caro neque sanguis reuelauit tibi, sed Pa-*
Matt.16 *ter meus qui est in cœlis* Matth.16. *Neque ab homine neque per*
Gal.1. *hominem, scribit* Apostolus, Gal.1. *Didici Euangelium sed per reuelationem Iesu Christi. Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Dabo vobis os & sa-*
Act.6. *pientiã cui non poterũt resistere aduersarij vestri.* & Act.6. *Non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur per protomartyrem Stephanum* Ex sacra regum historia liquidò constat Salomonem in regem recens assumptum, cùm adhuc esset iuuenis, & reip. administrandæ non satis gnarus, à Domino sapientiam postulasse, eámque copiosissimam im-
3. Reg.3. petrasse 3.Reg.3. & Sap.7. Quãtam nec Regum aliquis an-
Sapiẽt.7. tè vel post eum habuisse memoratur. Vnde κατ' ἐξοχὴν, Sapientis epitheto decoratur. Quæ sapientia diuinitus erat infusa, & à Deo immediate collata, non autem humanitus acquisita, longóque exercitio comparata. Sic & pro-
Amos.7. pheta Amos, *cùm esset Rusticus, Armentarius seu pastor, ruborum mora distringens.* cap. 7. Vaticinandi dono cœlitus (non in hominum, sed in Spiritus sancti Schola) locupletatur. Quid de Ioanne Theologo ἀντονομαστικῶς dicto, referam? In qua Academia Theologiam illam didicit? *In*
Act.4. *principio erat verbum, &c.* De eo si quidem & B. Petro. Act.
Matt.4. 4. D. Lucas meminit, *quòd homines essent sine literis & Idiotæ.* (*Erant enim piscatores Matth.4.*) Vnde illa vox, obsecro,

In prin

In principio erat verbum? Ex sacro Dominici pectoris fonte, cùm in cœna supra Domini pectus recumberet, hanc hausit Theosophiam. Nam aqua sapientiæ salutaris potauit eum Christus. Hoc Doctus Plato exclamat Diuus Hieronymus, epistola ad Paulinum de omnibus diuinæ historiæ libris) nesciuit, hoc eloquens Demosthenes ignorauit. Tales cum eodem Christo dicere potuerunt: *Mea doctrina non est mea sed eius qui misit me, &c.* id est Dei. Regulariter interim & vt in pluribus, Doctrina studio & labore comparatur. Hinc Scholæ publicæ ac vniuersitates ad docendum introductæ sunt, originémque habuerunt. *Antiochæ, schola erat, in qua Doctores memorantur.* Act. 13. Eunuchus item ille c. 8. dicebat Philippo. *Quomodo possum scire, nisi aliquis me docuerit?* *D. Hier. epist. ad Paulinũ.* *Act. 13.* *Act. 8.*

Nulla tamen contradictio est in hoc Domini responso. Mea doctrina non est mea, siquidem ad diuersa referuntur. Mea est tanquam diuinitus infusa, non mea est, tanquam humanitus acquisita. Mea est per essentiam. Non est mea per originem. Quia ego non sum à meipso, sed à patre, interim eandem cum ipso habeo essentia, & omnia quæ habet pater mea sunt. Nam ego & pater vnum sumus vt in Euangelio docet Christus. Mea est quia *Christus vocatur.* Hebr. 12. *Author fidei & consummator.* Ioan. 6. *Hoc est opus Dei vt credatis, &c. Fides donum Dei est.* Eph. 2. Non est mea (interprete Theophilacto) Deo aduersaria, sed est patris qui misit me, hoc est, illi conformis, haudquaquam dissentanea. *Heb. 12.* *Ioan. 6.* *Eph. 2.*

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina an ex Deo sit, &c. Quadrat illud Psalm. 110. Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Hîc agitur de cognitione non nuda & speculatiua, sed practica. Vnde 1. Cor. 4. *Non in sermone est regnum Dei sed in virtute.* Hinc grauissimum illud apophtegma, quòd Ludouicus Viues in Satellitio ad Angliæ Regis filiam commemorat: Tantum scis quantum operaris: ferunt, verbum hoc fuisse, frequens D. Francisco. Ita est. Verius scit vir bonus & rudis quid sit virtus, quam malus & doctus. Quid prodest malo scientia? Nec verè scit, tametsi argutè differat. Nam in peccato semper inest cæcitas, an non melius nouit, quid sit pingere, qui imperitè de pictura disputans, peritè pingit, quàm qui doctissimè disputans, indoctissimè & lineas ducit, & colores inducit? Hactenus Viues. Huic consonat quòd D. Ioannes in prima, *Psal. 110.* *1. Cor. 4.* *Lud. Viues in satellitio.* *D. Frãc.*

1.Ioan.2. in prima, cap.2. ſcribit. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata* cap.3. *eius non cuſtodit mendax eſt, & in hoc veritas non eſt*. & cap.3. *Omnis qui peccat, nō cognouit Deum.* Hic manifeſtè loquitur de ſapida Dei cognitione, ſi enim de ſpeculatiua ſolum loqueretur, & non de practica cognitione, quomodo verùm eſſet quod impiè viuentes fidem non habeant, cum aliás ſint profeſſione Chriſtiani, ſed factis atque operibus pluſ- Tit.1. quam Ethnici? De quibus titul.1. Apoſtolus. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cùm ſint ad omne opus bonum reprobi.* Tantum itaque docet. B. Ioannes quòd qui peccat Deum non nouit, notitia effectiua & affectiua, quemadmodum filij patrem norunt vt illi grati ſint, obſecundent, morem gerant, Licet Deum agnoſcant notitia theorica & Ioan.8. ſpeculatiua, ſic Chriſtus. Ioan.8. Phariſæos de ſuo patre dixit. *Non cognouiſtis eū, Ego autem noui eum. Et ſi dixero quia non ſcio eum: ero ſimilis vobis mendax: ſed ſcio eum, & ſermonē eius ſeruo.* Vbi coniunctio, Et, idem ſignificat quòd id eſt, & eſt declaratiua: vult enim dicere, Ego ſcio illum id eſt ſermonem eius ſeruo. Cognoſcere ſumitur pro opere demonſtrare, Nec in malis propriè eſt ſapientia, id eſt, iuxta, nominis etymon, Sapida ſcientia quamuis ſit nuda quæ- Iob.28. dam intelligentia, ſed non affectiua, dicente Iob. capit.28. *Recedere à malo eſt intelligentia.* Vult igitur dicere Chriſtus ſeparate à vobis malitiam veſtram, & tunc doctrinam meā à Deo eſſe cognoſcetis.

Hoc ipſo me à Deo doctum eſſe neſcitis: O Iudæi! quia patris voluntatem nec facitis nec facere vultis. Voluntas patris eſt vt in eum credatis quem miſit ipſe. *Niſi ergo cre-* 70. Inter *dideritis* ἐὰν μὴ συνῆτε *non intelligetis* ex 70. Interpretibus. pretibus. Iſai. 7. Iterum, *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt* 1.Theſ.4 *abſtineatis vos à fornicatione, &c.* 1. Theſſ. 4. Tales itaque qui voluntatem Dei faciunt hanc doctrinam nouerunt. Cognoſcet de doctrina, ait, ſcilicet manendo intra gre- Iudic. 4. mium eccleſiæ, Iudic. 14. *Si non araſſetis in vitula mea non inueniſſetis propoſitionem meam: dicebat.* Sampſon Philiſtæis. In eccleſia cognoſcitur veritas extra quam decipit Spiritus mendax, & præualet in ore omnium hæreticorum, & apoſtatarum loquentium mendacium.

Qui à ſemetipſo loquitur gloriam, propriam quærit. Sic ratiocinatur, Ego gloriam meam non quæro, non ergo à meipſo loquor, iterum hanc implicat propoſitionem. Qui quærit gloriam Dei, hic à Deo loquitur & verax eſt, Sed

quæro

quæro gloriam eius qui misit me patris. Igitur à Deo patre loquor, Vtraque regula semper præfigenda est doctrinæ alicuius discernendæ. Verbi causa concionatur Arrius? Non quærit gloriam Dei cùm filij Patri coëqualis & consubstantialis gloriam neget, Explodatur itaque. Concionatur Caluinus? Non quærit gloriam Dei, cuius omnipotentiam & veritatem impiè lacerat & negat Blasphemans circa veritatem præsentiæ realis Christi in Eucharistia, negánsque id posse subsistere, Christum nempe simul & in cœlo ac in sacramento præsentialiter existere contra expressa Christi verba. *Hoc est corpus meum*, & id in Græcorum Liturgiis habetur ὁ ἄνω τῷ πατρὶ συγκαθήμενος, καὶ ὧδε ἡμῖν ἀοράτως συνών. Qui cum patre sursum sedes & hic nobiscum inuisibiliter ades, siue coëxistis, præsens interes? Abiiciatur igitur Caluinus sacramentarius, & ἄθεος, negans Dei veritatem & omnipotentiam, Vtri potius credere par est & æquum: Christo veraci an Caluino mendaci? Credendum est magis Soli Christo veraci quàm nebulonum hæreticorum turbæ fallaci. Sed de his hactenus. Cum in genere dicat, Qui à seipso loquitur gloriam propriam quærit Pharisæorum arrogantiæ morbus declaratur, qui sua ideo potius quàm diuina præcepta plebi proponebant: suas ingerentes traditiones propter quas irritum faciebant Dei mandatum, Matth. 15. vt debitam Deo gloriam in se traducerent. *Liturgia Græcorum.* *Matt. 15.*

Nónne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Ostendit eos esse sub maledicto legis, *qui enim non permanserit in sermonibus legis huius nec eos opere perfecerit maledictus ex lege habebatur*. Deut. 27. Nunc respondet ad cogitationes istorum, est siquidem καρδιογνώστης scrutans corda & renes Deus ex Psalm. 7. q. d. Video quid cogitetis. Nempe me legem transgressum esse, violasseque Sabbatum curando Paralyticum in piscina. Ioann. 5. Si sic agendum est, possum & ego peccata vestra adducere & proferre. Quid me quæritis interficere? Lex enim dicit *Insontem non interficies*. Et rursus habet decalogus *non occides* Homicidium grauissimum est peccatum. Nam si homicidium fortuitum & inuoluntarium longo punitur exilio, in lege, *Deut. 19. Iosue 20. & Num. 35.* donec videlicet moreretur sacerdos magnus illius temporis, quo supplicio cædes voluntaria innocentis plectenda esset? Huius etiam peccati grauitas ex eo patet quòd in Genesi. cap. 4. scribitur. *Deut. 27.* *Psalm. 7.* *Ioan. 5.*

O Vox

Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Quàm igitur graue peccatum fuit, Velle sanctum sanctorum, *θεάνθρωπον* Iesum Christum interimere?

Isai.ca.1. Hoc verbum, *Nemo ex vobis facit legem:* dici potest malis & improbis iudicibus aliisque iustitiæ ministris & officialibus: Isai.1. *Quærite iudicium, subuenite oppresso, causam viduæ suscipite.* Sed contrà, deuorant illi domos viduarum, & peruertunt iudicium. Amplifica.

Moyses dedit vobis circuncisionem, &c. In sabbato circunciditis hominem, &c. His argumentis refellit eorum calumniam, Euincens se haudquaquam sabbati legem violasse in cura paralytici. Si enim licet facere bonum, in sabbato licebit, & melius, sed totum hominem sanare in corpore scilicet & animo, (Quem enim Christus sanat perfe-
Deut.32. ctè sanat. *Dei siquidem perfecta sunt opera.* Deut.32.) melius est, quàm circuncidere. Circuncisio quidem animam, expiando originale redimebat. Corpus tamen vulnerabat. Nihilominus in sabbato licebat circuncisionē administrare.

Nam in Sabbato circunciditis hominem nedum ex legis præscripto sed etiam Patrum veteri instituto. Non ergo legis præuaricator sum vt falsò mihi impingitis. Circuncisio non soluit legem, Nec igitur curatur, à filio Dei, qui est Dominus Sabbati & supra legem.

Nolite iudicare secundum faciem sed iustum iudicium iudicate &c. q.d. argumentando ad hominem (vt in scholis loquuntur) aut simul Moysem reprehendite aut me simul cum Mose iustificate, absque vlla *προσωποληψία* personarum acceptione, Ambo in Sabbato salutem operamur. Per-
Matt.12. misit Moses in Sabbato sacrificiorum oblationem. Matth.
Luc.14. 12. & lapsum bouem aut asinum erigere, Luc.14. Iniquè ergo contra Christum obmurmurabant, qui veram salutem
Deut.1. eámque plenam & integram contulit. Deut.1. *Quod iustum est iudicate siue ciuis sit ille siue peregrinus, nulla erit distantia personarum. Ita paruum audietis vt magnum. Nec accipietis personam cuiusquam quia Dei iudiciū est.* dixit Moses iudici-
Deut.16. bus. & Deut. 16. *Iuste quod iustum est persequeris.* 2. Para.19.
2. Para. 19. Rex Iosaphat iudices alloquitur. *Videte quid faciatis nō enim hominis exercetis iudicium sed Domini, & quodcunque iudicaueritis in vos redundabit sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarū acceptio nec cupido munerū, &c.*

Ex his verbis, *Nolite iudicare secundum faciem*, Videtur

prohiberi

prohiberi ex facie & delineamẽtis præsumptum iudicium. Non enim vsque adeò certum & infallibile comperitur, sed plerumque fallax & æquiuocum temerariumque. Et quidem Pythagoras, referente, A. Gellio noct. att. lib. 1. cap. 9. à principio: adolescentes qui sese ad discendum obtulerant, ἐφυσιογνωμόνει. id verbum significat, mores naturasque hominũ coniectatione quadam de oris & vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu sciscitari. Eum qui exploratus ab eo, idoneúsque fuerat, recipi in disciplinam statim iubebat, & tempus certum tacere, & quæ illic referuntur cætera. Diogenes Laërtius libr. 7. in Cleanthe Philosopho, Dicebat ille secundum Zenonem, ex specie comprehendi posse mores. Id vt confutarent faceti adolescentes, ad illum libidinosum rusticum, callis duratum adduxerunt, & illum vt de moribus è specie pronunciaret rogauerunt. Reperit manus callosas & cutem sole adustam. Ille quum aliquamdiu hæsitasset, iussit abire hominem, vt verò abibat, cœpit sternutare: ad h ec habeo illum, ait Cleanthes, Mollis est, Non facilè sternutant qui semper sub dio viuunt. Ex physiognomia & arte metoposcopiæ, quum ex lineamentorum corporis, frontis facieique aspectu de aliquo iudicamus: non semper vt res est & secundum veritatem iudicamus.

A. Gell. noct. att. lib. 1. c. 9.

Laërt. li. 7. in Cleãthe, Era. apoph. li. 7. §. 13.

Quamuis coniecturas quasdam non leues hinc sumamus, quod in Socrate contigisse narrat non semel Cicero: libr. de fato. Zophyrus Physionomus, qui se profitebatur hominum mores naturásque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere, stupidum esse Socratem dixit & Bardum, addidit etiam mulierosum. In quo Alcibiades dicitur cachinum sustulisse. & lib. 4. Tusculanorum quæstion. circa finem, Cùm multa in conuentu vitia collegisset in Socratem Zophyrus, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est à cæteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent, ab ipso autem Socrate subleuatus est, Cùm illa sibi vitia inesse, sed ratione à se deiecta diceret. Hæc de Socrate, Cic. prodidit. Non igitur de facie iudicandum, alioqui sæpè aberrare continget. Fallax iudicium sensus est. Ideóque non temerè censendum ex facie externa. Etenim referente Cicerone libr. 3. Tuscul. quæstion. Cæcilianum illud: Sæpè est etiam sub palliolo sordido sapientia: Vulgò dicitur, Fronti nulla fides, Cui conforme est illud quod A. Gellius lib. 9. cap. 2. scribit ad

Cice. lib. de fat.

Idem l. 4. Tus.

Cic. l. 3. Tus.

A. Gell. lib. 9. c. 2.

Herodem Atticum consularem virum & Græca facundia celebrem accessisse palliatum quempiam & crinitum, barbáque propè ad pubem vsque porrecta ac petiisse æs sibi dari, εἰς ἄρτους panes emendos scilicet, Tum Herodes interrogat quisnam esset. Atque ille vultu sonituque vocis obiurgatorio, Philosophum sese est dixit, & mirari quoque addit, cur quærendum putasset quod videret. Video, inquit, Herodes, barbam & pallium: Philosophum nondum video. Quæso autem te cum bona venia dicas mihi, quibus nos vti posse argumentis existimas vt eum te philosophum noscitemus? Tunc aliquod ex iis qui cum Herode erant, erraticum eum hominem dicere & nullus rei incolamque esse sordentium ganearum, & ac nisi accipiat quod petit conuitio turpi solitum incessere. Hacten⁹ Gellius. Vnde liquet nō esse facie iudicandum & barba. Ideóque Dominum ad Samuëlem vt vngeret regem, ex fami-
1. Reg. 16. lia Iesse patris Dauid missum, dixisse legimus. 1. Reg. 16.
Ann. A *Ne respicias vultum eius neque altitudinem statura eius, Non*
quit. par. *iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea qua pa-*
4. f. 113. *tent, Deus autem intuetur cor.* Non absimile est quod in Annalibus Aquitaniæ parte 4. memoriæ proditur. Heroïnam Margaritam, regis Scotiæ filiam, Ludouici Delphini, Caroli 7. Francorum regis filij vxorem, anno Domini 1436. Alanum Chartier sui sæculi eximium oratorem, cum interdiu super scamnum in aula regia obdormiisset, coram omnibus osculatam fuisse. Cumque ab eo qui illam deducebat zelo ac inuidia compuncto, dictum fuisset: Mirum omnib⁹ videri quod adeò turpem & inuenustū hominem (Erat enim facie parum liberali ac formosa) deosculata fuisset: præfatam principem respondisse grauiter & seriò. Se non hominem osculatam, sed pretiosum & facundum os ex quo tot egregia & melliflua dicta prodierint. Vides quomodo non secundum faciem alioqui parum amœnam & venustam nouerit prudenter iudicare, sed ex animi generosis dotibus, & facunda oratione rectè æstimarit. Specialiter autem iudicibus competit hæc exhortatio & iussio. *Rectum iudiciū iudicate.* Refert Diodorus Siculus lib. 1.
Diod. lib. 1. part. 2. cap. 1. part. 2. cap. 1. quod statua quædam depicta erat quæ repræsentaret Principem iudicij, cuius à collo suspensa veritas pēdebat, & oculis erat subclausis, Præ se ferebat imago iudices integros debere Prætorem solam inspicere verita-
Idem ca. 3. tem. Idem cap. 3. Ægyptiorum iudices 30. numero inter se eligebant

eligebant optimum virum quem iudicij Principem constituebant. His omnibus victus à Rege dabatur. Is aurea catena signum variis ornatum lapidibus à collo suspensum quod appellabant veritatem gestabat, bis auditis litigatoribus cùm iudices de controuersia quæsiissent Princeps signo veritatis in partem veriorem verso, sententiam ferebat.

Hoc idem Ælianus Var. hist. lib. 14. cap. 34. recenset. Apud Ægyptios, inquit, Principem sententiæ iustissimum & syncerissimum esse oportebat, qui circa collum imaginem ex Saphyro gemma confectum gestabat, quæ vocabatur veritas. Ego verò Iudicem non tam in lapide sculptam aut expressam veritatem circunferre quam in animo menteque insitam & infixam habere velim. Hæc Ælianus. Simile quid etiam in sacris Pontificis legalis ornamentis & vestibus (nempè in Pectorali seu rationali, inscriptum erat iudicium & veritas.) Legimus in Pentateucho Mosis. Exod. 28. Plutarchus tomo 1. Opusc. De Iside & Osiride & citatur à Stobæo serm. 44. de Magistratu Thebis simulachra fuerunt dedicata iudicum manibus carentium, & Principes Iudicum oculos in terram deiectos habens, quo innuebatur iustitiam donis non esse obnoxiam, quodque nec muneribus illa capiatur nec hominum flectatur vultu. Herodotus historiæ pater, lib. 5. literis consignauit, memoria dignissimam historiam. Rex Cambyses, ait, interemerat Sisamnem vnum ex Regiis Iudicibus, quòd iniustè ob pecuniam iudicasset, interempto detractum corium in lora conscidit, & in tribunali posuit, ibique filium eius Otanem sedere Iudicem præcepit, atque in memoria habere in quo tribunali iudicaret. Dignum sanè supplicium iniqui Iudicis.

Ælia. Var. hist. libr. 14. cap. 34.

Exod. 28.

Plut. to. 1. Opusc. de Isi. & Stob. ser 44.

Herodot. lib. 5.

Hinc simillimum est quod Diodorus libr. 15. Sub Artaxerxe commemorat. Quidam Iudices, inquit, inter Persas ob iniustam quam tulerant sententiam comprehensi, cute viuis detracta, grauissimam pœnam luerunt. Quibus cutibus circum subsellia expansis Iudices eis insidentes sententias dicebant, quò recens semper antè oculos supplicij exemplum haberent eorum qui iniustè iudicassent, Et meritò quidem. Nam vt Psal. 44. scribitur, *Virga directionis, virga regni tui.* Iustitię virgā seu regulam rectā esse conuenit, nō obliquam & inflexā. Piscatoris virga si grandiores pisces cœperit, incuruatur & deprimitur seu onere, sin

Diodor. lib. 15.

Psal. 44.

autē pisciculos, recta permanet, sic frequenter legum seueritas iurisque rigor inopes & pauperes premit, diuites autem muneribus Iudicij euadunt censuram, quod cecinit Satyrographus Iuuenalis saty.2.

Iuuen. sat.2. *Dat veniam coruis, vexat censura columbas.*

Laert. li. 1. in Solo. Vale. lib. 7. c. 2. Stob. ser. 43. 1. Reg. 8. Hinc Dioge. Laërtius libr.1. in Solone, Leges Aranearum telis esse simillimas dicebat Solon, Illis si quid lene & imbecillū inciderit, inuolui ab eis. Si quid maius aut grauius perrumpi ac perire. At Valerius Max. libr.7. cap.2. de sapienter dictis: Anacharsim huius Apophtegmatis scribit authorem, Stobæus verò sermo.43. Zaleucum Locrensium legislatorem id dixisse refert. Sic de filiis Samuelis sacra narrat historia. 1. Reg.8. *Duo filij Samuelis qui fuerant Iudice, Israël à patre constituti, declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera: & peruerterunt Iudicium.* Sic de quodā iniquo iudice, Daniel.13. scribitur, *Inueterate dierum malorum iudicans iudicia iniusta, Innocentes opprimens & dimittens noxios.* Isai.5. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, &c* Sed hæc sufficiant ad explicationem huius propositionis, *Nolite secundum faciem iudicare sed, &c.*

Dan. 13. Isai. 5.

Nūquid verè cognouerūt principes nostri quia hic est Christus?

Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cum venerit nemo scit vnde sit. Benè incipiebant si non retio cederēt. quasi dicat, Decepti sunt principes si hunc Christū esse putant cuius nos & parentes & natiuitatis locum cognouimus, Christus verò cùm venerit nemo sit vnde sit. Quamuis scirent ex Prophetis Messiam in Bethlehem nasciturū, Sic enim consulti scribæ, responderunt Herodi regi Mat. 2. Tamē ideo putabatur ille ignotus quodammodo. Quia Isai.45. dicitur. *Verè tu es Deus absconditus.* Vel, alio eiusdē Prophetæ Euangelici innixi testimonio, de Christo dicentis c.53. *Generationem eius quis enarrabit?* Ex his verbis colligunt Dominum nostrum nequaquam vt Christum eum recipiendum. Non satis attendentes in eo duplicem esse substantiam & naturam: humanam scilicet, secundum quā vtique nouerant vnde esset, Non tamen omnino, quia eius patrē Ioseph naturalem putabant, & virginis partū ignorabant. At diuinam, quam neque in eo perspectam habebant, nec vnde eam sortitus esset agnoscebant.

Matt. 2. Isa. 45. c. 53.

Et me scitis & vnde sim scitis, &c. Quia nimirum discipuli estis Mosis, vt iactatis. Ioan. 9. *Nos discipuli Moysi sumus Moyses verò de me scripsit. Scrutamini itaque scripturas, ille enim*

Ioan. 9.

enim testimonium perhibent de me. Illis credite, aut nulla superest excusatio. Si crederitis Moysi, crederitis & mihi, opponebat Christus Iudæis.

Faxit D. O. M. vt fidem in Christum quam professi sumus, moribus & vita teneamus: fides enim sine operibus mortua est. Iac. 2. Nec nosse simpliciter Deum sufficit, nisi & eius voluntatem (quæ in mandatorum obseruatione & explicatione nobis innotescit) fideliter adimpleuerimus, Dei gloriam non nostram quærentes, cum Psalmographo agnoscentes & exclamantes: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam Psalm. 113. Amen.



FERIA QVARA, POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMAE.

De Cæco à Natiuitate.

Præteriens Iesus vidit hominem Cæcum à Natiuitate. Ioan 9.



VT intelligatur quæ sit huius Euangelij cõsequentia & cohærentia, præcedentis cap. 8. scilicet finis spectandus & in memoriam reuocandus est. *Tulerũt, inquit, lapides Iudæi, vt iacerent in eum, Christum nimirum eis prædicantem. At ille abscondit se & exiuit de templo* Statímque subnectitur huius cap. 9. exordium. *Et præteriens Iesus vidit cæcum,* cui mirabiliter medetur. O ineffabilem Christi patientiam! volunt homines eum lapidare: & in eodẽ instãti vult hominibus benefacere. Docemur proinde hoc illustri Christi exemplo inimicis cõdonare, illisque vt ad amicitiam prouocentur beneficiis, pro iniuriis acceptis & illatis viceuersa benefacere. Subiungã memorandam ethnici cuiusdam, Aug. nimirũ Cæsaris, ex Seneca lib. 1. de clemẽtia ad Neronẽ c. 9. historiam: vt Christianus præ gentili & pagano homine pudore confundatur: si parcere detrectet & benefacere hostibus & inimicis. Augu- *Senec. lib. 1. de clē c. 9.*

 stus,

stus, princeps mitis fuit. Is cùm annum quadragesimum transisset, & in Gallia moraretur: delatum est ad eum indicium, L. Cinnam stolidi ingenij virum insidias ei struere. Dictũ est & vbi, & quándo, & quẽadmodũ aggredi vellet. Vnus ex consociis consciis deferebat. Constituit se ab eo vindicare. Consilium amicorũ aduocari iussit. Nox illi inquieta erat, cùm cogitaret adolescentẽ nobilẽ, hoc detracto integrum, C. Pompeij nepotem damnandum. Subinde voces emittebat varias: quid ergo? Percussorem meum securum ambulare patiar, me solicito? Ergo non dabit pœnas ille, qui me non occidere constituat sed immolare? Nã sacrificantem, placuerat adoriri. Rursus maiore multò voce sibi, quam Cinnæ irascebatur. Quid viuis, si perire te tã multorum interest? Quis finis erit suppliciorum? Quis sanguinis? Ego sum nobilibus adolescentulis expositum caput, in quod mucrones acuant. Interpellauit tandem illum Liuia vxor. Et admittis, inquit, muliebre cõsiliũ? Fac quod Medici solent, qui vbi visitata remedia non procedunt, tentant contraria. Seueritate nihil adhuc profecisti: Saluidunum Lepidus secutus est, Lepidum Murena, Murenam Cœpio, Cœpionem Egnatius, vt alios taceam, quos tantũ ausos pudet: Nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia. Ignosce L. Cinnæ. Deprehensus est. Iam nocere tibi nõ potest. Prodesse famæ tuæ potest. Gauisus sibi quod aduocatum inuenerat, Vxori quidem gratias egit: renunciari autem exemplò amicis, quos in consilium rogauerat, imperauit, & Cinnam vnum ad se accersit: dimissisque omnibus è cubiculo, cùm alteram Cinnæ poni cathedram iussisset: Hoc, inquit, primùm à te peto, ne me loquentem interpelles, ne meo sermone medio proclames: dabitur tibi loquẽdi liberum tempus. Ego te, Cinna, cùm in hostium castris inuenissem, non factum tantùm mihi inimicum sed natũ seruaui, patrimonium tibi omne concessi. Hodie tam felix es, & tam diues, vt dicto victores inuideant. Sacerdotium tibi petenti, præteritis compluribus, quorum parentes mecum militauerant dedi. Cùm sic de te meruerim, occidere me constituisti. Cùm ad hanc vocem exclamasset, procul hanc ab se abesse dementiam: Non præstas, inquit, fidẽ, Cinna, conuenerat, ne interloquereris, Occidere, inquam, me paras, adiecit locum, socios, diem, ordinem insidiarũ, cui commissum esset ferrum. Et cùm defixum videret, nec ex conuentione iam, sed ex conscientia tacentem: quo, inquit

quit, hoc animo facis: Vt ipse sis princeps! Malè me hercule cum Repub. agitur: si tibi ad imperandum nihil præter me obstat. Domum tueri tuam non potes. Nuper libertini hominis gratia, in priuato iudicio superatus es. Adeò nihil facilius potes, quàm contra Cæsarem aduocare? Ne totam eius orationem repetēdo, sim prolixior: diutius enim quàm duabus horis locutum esse constat: Vitam tibi, inquit, Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus, vtrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tū debeas: Post hæc detulit vltrò cōsulatum, quæstus quod non auderet petere. Amicissimum fidelissimúmq; habuit, hæres solus fuit illi. Nullis amplius insidiis ab vllo petitus est. Hactenus processit grauissima historia, quæ multam cum Christi patientia & Iudæorum ingratitudine, prout præsenti tangitur Euangelio, habet conuenientiam.

Vidit hominem cæcum, &c. O quàm meritò dicit Dauid, « Psal. 9. *Tu laborem & dolorē consideras. Tibi derelictus est pauper:* quia eum qui te non aspicit, intueris. Vidit, id est diligenter inspexit, studiosè considerauit: volens suo facto & exemplo homines erudire vt in egenos, oculos coniiciant, & non postulantibus etiam eleemosynam largiantur. *Psal. 9.*

Interrogauerunt discipuli, Rabbi quis peccauit hic aut parentes eius, &c. « Ea occasione intentæ defixionis oculorum Domini in cæcum, inducti sunt discipuli ad inquirēdam causam illius cæcitatis. Sanè quia meminerunt languido ad probaticam piscinam Ioan. 5. à diuturna ægritudine curato, dictum esse à Domino, *Vade & amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, & Paralytico iacenti in grabato, qui in domo ei oblatus fuerat, per tegulas demissus, Matt. 9. Mar. 2. & Luc. 5. *Fili dimittuntur tibi peccata tua:* arbitrati sunt cæcitatem huic homini inflictam fuisse propter peccatum aut suum, aut parentum, itaque percontantur à Domino, *Si peccauit hic aut parentes eius,* ob cuius peccati demeritum & pœnam, filio sit inflicta cæcitas. Iste cæcus, Cidonius vocabatur, qui postea cū Magdalena, Martha, Maximino, & Lazaro à Iudæa expulsus est: Sicut in Catalogo Sanctorū & legenda beatæ Magdalenæ legitur. *Ioan. 5. Matt. 9. Mar. 2. Luc. 5.*

Non est prætereundum, quod D. Hieronymus. tomo 1. Epistola ad Abigaum. & alibi commemorat. Consolatio enim quædam est, ne molestè quis ferat cæcitatem corporis, cùm animo cernat. Sic igitur ille, Nec doleas si hoc *D. Hier. to. 1. ad Agi.*

non habeas quod formiculæ & muſcæ & ſerpẽtes habent, id eſt, carnis oculos: ſed illum te oculum habere lætare, quo Deus videtur. Quoſdam etiam mundi Philoſophos legimus vt totam cogitationem, ad mentis cogerent pu-
Hier.9. ritatem, ſibi oculos eruiſſe. Et Propheta dicitur Hie-
Matt. 5. remiæ 9. *Intrauit mors per feneſtras veſtras, &c.* Et Apo-
D. Hier. ſtoli audiunt. Matth.5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcẽ-*
in Cata. *dam eam, &c.*
ſcrip.Ec- Idem in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum § 119.
cleſiaſt. Didymus Alexandrinus captus à parua ætate oculis, & ob id elementorum ignarus, tantum miraculum ſui omnibus præbuit, vt ſcientias vſque ad perfectum didicerit.

Rufi. hi- De eodem habetur de Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Rufino
ſto.li. 11. auctore lib.11. cap.7. Nos Didymi Alexandrini viuæ vocis
cap.7. fuimus aliqua ex parte auditores. Hunc B. Antonius, cùm aduerſus Arrianos de Thebaïde Alexandriam deſcendiſſet, magnificis conſolatus eſt verbis: Nihil te offendat, ô Didyme, quòd carnalibus oculis videris orbatus, Deſunt enim tibi oculi illi quos mures & muſcæ & lacerta habent, ſed lætare quia habes oculos, quos Angeli habent, quibus Deus videtur, per quos tibi ſcientiæ lumen ma-
Niceph. gnum accenditur. Eadem de re Nicephorus Hiſtor. Eccle-
lib.9. ca. ſiaſt. lib.9. cap.17. D. Hieronym. iterum tomo 1. Epiſtol. ad
17. Caſtrutium, conſolans eum de cæcitate oculorum, Do-
D. Hier. cet cæcitatem à Deo propitio aliquoties immitti. Ne im-
to.1.Epi- becillitatem corporis, inquit, quam ſuſtines de peccato ti-
ſtol.ad bi exiſtimes eueniſſe. Si cæcitatis cauſam putas eſſe pec-
Caſtru- catum, inſimulabis Iſaac, qui in tantum lucis iſtius expers
tium. fuit, vt etiam cui nollet, errore deceptus, benediceret. Referes crimen in Iacob, cuius caligauerat acies, & Ephrain ac Manaſſem videre non poterat. Breuem tibi fabulam referam quæ infantiæ meæ temporibus accidit. (Obſerua fabulam hic dici, non pro narratione ficta & fabuloſa, ſed pro vera etiam ac re geſta: Sicut & verbum Fabulari
Luc. 24. Luc. 24. pro referre quod geſtum eſt: *Cùm fabularentur & ſecum quærerent* ait Diuus Lucas. Fabula ergo generaliter capitur pro rumore populi: Diciturque res paſſim vulgata etiam ſi vera ſit à fando dicta, & Confabulari eſt colloqui, ex vſu loquendi.) Beatus Antonius cùm à Sancto Athanaſio Alexandriæ Epiſcopo, propter confutationem hæreticorum in vrbem Alexandriam eſſet accitus, &

iſſet-

isset ad eum Didymus vir eruditissimus captus oculis: inter cæteras sermocinationes quas de scripturis Sanctorum habebant, cùm eius admiraretur ingenium, & acumen animi collaudaret: Sciscitans ait: Num tristis es quòd oculis carnis careas? Cùm ille pudore reticeret, secundò tertioque interrogans, tandem elicuit vt mœrorem animi simpliciter fateretur. Cui Antonius, Miror, ait, prudentem virum eius rei dolere damno, quàm formicæ, & muscæ, & culices habent, & non lætari illius possessione quam Sancti Poli & Apostoli meruerunt. Ex quo peruides, quòd multo melius sit spiritu videre quàm carne, & illos oculos possidere, in quos peccati festuca non possit incidere. Hucusque Hieronym. Peccandi materia corporali cæcitate maxima ex parte homini eripitur. Dauid cùm incautus vidisset mulierem lauantem 2. Reg. 11. adulterium homicidio copulauit. A. Gellius lib. 10. cap. 17. Democritus, inquit, luminibus oculorum sua sponte se priuauit, quia existimaret cogitationes animi, in contemplandis naturæ rationibus vegetiores fore, si eas oculorum impedimentis liberasset.

2. Reg. 11 *A. Gell. l. b. 10. c. 17.*

Clypeum constituit contra exortum Solis
Oculos effodere vt posset splendore æreo.

De quo etiam Cicero libr. 5. Tuscul. Quæstionum circa finem: Democritus luminibus amissis, alba scilicet & atra discernere non poterat, at verò bona, mala æqua, iniqua, honesta, turpia poterat. Hic vir impediri animi etiam aciem aspectu oculorum arbitrabatur. Traditum est etiam Homerum cæcum fuisse, at eius picturam non poësim videmus. Ita ad viuum depinxit, vt quæ ipse non viderit, nos vt videremus effecerit. Augurem Tiresium, quem sapientem fingunt Poëtæ, nunquam inducunt deplorantem cæcitatem suam. Sed de cęcitate hactenus. Non tam deflenda est corporalis, quàm spiritualis quam inducit peccatum, iuxta illud: Excæcauit eos malitia eorum. Qua cæcitate perculsi erant Pharisæi, Christi miracula hic impugnantes.

Cicer. li. 5. Tuscu. quæst.

Vt manifestentur opera Dei in illo, &c. Sic Ioan. 21. Mortem Sancti Petri quam propter Dei amorem passurus erat, clarificationem Dei appellat. Significans, ait Euangelista, *Qua morte esset Deum clarificaturus.* Quia per patientiam Apostoli Dei gloria magnopere declarata est. Quòd si cæcus diceret, Quomodo, Domine, homines in laboribus

Ioan. 21.

constituis,

constituis, vt gloria tua inde manifestetur? audiret, ô cæce, quàm maxima Dei indulgentia & misericordia est, vilissimum terræ vermiculum in instrumentum suæ gloriæ assumere. Virga Aaron baculus erat, veruntamen quia à Deo assumpta fuit in mirabilium suorum instrumentum, in arca testamenti reconditur: ibique tanti æstimabatur, vt nullus præter summum sacerdotem, idque semel in anno, illam perspiceret: In tribulatione lætare frater, Magno enim honore te Deus affecit assumens te in instrumentum gloriæ suæ. *Sic diligentibus Deum omnia cooperantur in*
Rom.8. *bonum.* Rom.8.

Venit nox quando nemo potest operari, &c. Vnicuique negotio tempus & opportunitas, ait sapiens: Ergo in die, non autem in tenebris operemur. Donec dies est, *Dum tempus habemus operemur bonum. Dum lucem habetis, ait Christus, cre-*
Ioan. 12. *dite in lucem.* Ioan. 12. *Quia veniet nox; id est mors, quando nemo poterit operari. In morte, ait Psalmista quis confitebitur tibi. Tunc clausa erit ianua:* Matth. 25. de fatuis virginibus. Ille pater familias qui operarios conduxit à Solis ortu vsque ad horam vndecimam, interdiu eos conduxit non noctu. Dies namque ad laborandum: nox autem ad quiescen-
Psal. 103 dum fuit instituta Psalmo. 103.

Exibit homo ad operationem suam vsque ad vesperam. Veniet mors, & postea iam non erit amplius meredi tempus, vel demerendi. Etenim, vt dicit Ecclesiastes cap. 11. *Quocũque ceciderit lignum, ad Austrum aut ad Aquilonem ibi erit.*
D. Bernard. in par. ser. Sermon. 49. Quod D. Bernardus in paruis sermonibus, sermon. 49. qui incipit, Siue ad Austrum, &c. sic disertè interpretatur. Siue ad Austrum siue ad Aquilonem arbor ceciderit ibi erit. Ecclesiastes 11. Austri calor & Lenitas in sacra Scriptura bonam solet habere significationem.

Ab Aquilone vero panditur omne malum. Porro *homines sicut arbores* (in Euangelio) *vidit aliquis.* Exciditur autem arbor in morte, & quocumque ceciderit, ibi erit: quia ibi te iudicabit Deus, vbi te inuenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter, & irretractabiliter. Videat quo casura sit antequam cadat: quia postquam ceciderit non adijciet vt resurgat, sed nec vt se vertat. Hæc ille. Si decesserit homo in gratia, manebit in illa & tandem saluabitur peruenietque ad gloriam: Si autem moriatur in mortali peccato, proculdubio damnabitur, nec vnquam è statu illo po-
Luc.16. test esse regressus Luc.16. in Historia epulonis.

Post

Post mortem locus erit præmij: Ante mortẽ verò meriti. Refert Crinitus Tamerlanem Tyrannum, cùm vrbem aliquam obsidione prẹmeret, tentoria diuersi coloris extendi præcepisse: significans & declarans eos qui in suam venirent potestatem, deditionemque facerent, dum fixum esset candidum tentorium primo obsidionis die, se liberalissimè, & cum clementia eos suscepturum: qui autem nollent, sed expectarent in secundum tertiúmve diem, quando atri coloris vel purpurei & sanguinei papiliones extendebantur, tunc absque misericordia omnes ferro & igni perdebat, & funesta quæque illis coloribus, ac luctuosa denuntiabat obsessis. *Crinitus lib.1.de honest. discip.c.1*

Ad hunc ferè modum Cœlorum Imperaror per Prophetas suos peccatoribus denuntiat, vt ad se conuertantur, deditionemque creatori & legitimo Domino suo faciant, antequam præoccupentur morte. *Hodie si vocem eius audieritis, Nolite obdurare corda vestra* inquit Psaltes diuinus. Donec igitur. *Hodie cognominatur in nobis,* ait B.Paulus Epistola ad Hebræos, ad misericordiam & veniam, seu indulgentiam peccatorum recipiemur: sed transacta iam vita, nullum erit amplius remedium. Post mortem enim non erit merendi recens & de nouo, locus vel spatium: Nam veniet nox, quando nemo poterit operari: Nunc est locus & tempus misericordiæ: *propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri.* Esaiæ 30. Tunc autem erit tempus & locus iustitiæ.

Nunc quidem seminandi: tunc autem metendi & colligendi. Sed præstat audire Crinitum sua verba sonantem lib.1.de honesta disciplina cap.1. Subit nunc στρατήγιμα, de Turbulano Scytarum Imperatore, & eius sæuitia. Is enim quo maiorem hostibus terrorem atque metum incuteret, triplici tentorio in exercitu vti cõsueuit, sic vt in vnoquoque dispar color appareret, quo animi quoque mutatio militis intelligeretur. Primùm enim colore albo, purpureo secundum, tertium nigro proferebat, idque ratione quadam Imperij & victoriæ faciebat. Nam ex colore tentorij volebat ab his cognosci belli conditiones, cum quibus in certamen descenderet. Prima diẹ cum in conspectum hostium cum exercitu aduentasset, tentorium illud colore albo explicabatur: in quo significabat nulla in re, si modò se dederent, iniuriam se aliquam illaturum: Quòd si alterã diem hostis expectasset, tũ coloris rubri tentorium educebat,

educebat, quasi ad cædem & sanguinem: Si ad tertium res protrahebatur, pro colore atro, omnia quidem atra futura, & extremam cunctis internecionem, occisionemque prænunciabat. Hæc Crinitus.

Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est, &c. Primum verbum quod legitur, Christus locutus fuit, cum
Luc. 2. dixit sanctissimæ suæ matri, Luc. 2. *Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Simile nunc profert, *Me*
Ioan. 4. *oportet operari opera eius.* Et Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam volũtatem eius qui misit me.* Quam iustum esset, vt nostrum quisque id super omnia alta mente repostũ haberet. Opera ad quæ nos Deus creauit, non sunt hæc, quibus plerumque occupamur. *Conditi à Deo sumus ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus* (vt scribit Apostolus) Atqui longè plura mala perpetramus, quàm bona. Ergo donec dies illucescit præsentis vitæ & diuinæ misericordiæ ac clementiæ, antequam mors & tenebrosa nox nos comprehendat. Bene facere studeamus, & de malè actis seriò & sedulò pœnitentiam agamus. Nota, Hominibus bene facere, appellat hic per Antonomasiam, Opera patris sui: Sicut etiam animarum salutem cibum suum nuncupauit Ioan. 4. ô ineffabilem Dei clementiam. Ecquis erit tam marmoreus, qui tanta pietate non mollescat? Si tu, ô homo, præcipientis tibi maiestate non moueris, si maximis illius pollicitationibus non incitaris, si terribilibus eius commonitionibus non afficeris, si atrocissimæ pœnæ, quæ in inferno impiis præparatæ sunt, te non deterrent, æternáque præmia, quæ in cœlo iustos manent, non accendunt: saltem hæc tanta benignitas te vrgeat, & calcar adijciat: Cùm nobis benefacere opera sua nuncupet, singulari quodam modo, vt si amare pigeat, redamare non pigeat. Quis ad hunc amoris ignem accedens non calescat plus satis? Quis non totus ardeat, ad tantam fornacem charitas Christi vrget nos ait Beatus Apostolus.

Expuit in terram & lutum fecit ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei, Vade & laua in natatoria Siloë: Abiit, & lauit, & venit videns, &c. Multa hic concurrunt notanda. Primùm enim expuit, lutúmque liniuit super oculorum sedem à natura designatam. Poterat quidem verbo solo visum cæco restituere, vt alias in Hiericho, Luc. 18. *Respice,* ait, *statimque vidit,* sed pluribus mediis vti voluit, vt non

vt non contemnamus media: lutum fecit, & oculis illius, tanquam collyrium admouit. Quibus mediis docuit se esse creatorem, qui in mundi primordio ex luto, limoque terræ, primum plasmauit ac formauit hominem. Ex saliua sua, (quæ ex capite fluit) non autem aqua è fonte hausta, lutum fecit. Ex sputo, inquam, proprio, vt nihil adscriberetur fonti, sed vt palam fieret, quia virtus oris eius aperuit cæci oculos.

Vt nimirum diuinitati Christi (*Caput enim Christi Deus*, ait D. Apostolus) acceptam referrent spectatores illius illuminationem. Adde quòd ne videretur ex virtute terræ esse curatio, oculos eius lauari iussit. Ideóque vt lutum appositum detergeretur & ablueretur, illum ad natatoriam Siloë misit, vt cùm multos contigisset euntem illum ac redeuntem videre, sic pluribus innotesceret miraculum in eo factum. Nec vacat mysterio quòd ad piscinam Siloë eum destinat: Siquidem nominis huius etymon missionem exprimit. Quapropter Messyas hoc nomine Hebraico שילח Silo, intelligitur, & præsignatur. Genes. 49. in vaticinio seu prophetia Iacob. *Donec veniat, inquit, Silo qui mittendus est*, hoc est, Messias, ex paraphrasi seu translatione Chaldaica. D. Epiphanius lib. de Prophetarum vita & interitu, narrans Isaïam sub Manasse rege Iuda in duas partes sectum occubuisse, huius meminit piscinæ his verbis, Fontem Deus Siloam causa Prophetæ effecit quando, priusquam moreretur, precatus est vt vndas illic effingere dignaretur, & confestim demisit illi cœlitus aquam viuentem, vnde sortitus est locus ille appellationem Siloam, quod sonat demissum. Sub Ezechia quoque rege, antequam piscinas fabricasset, precibus Isaïæ effectum est, vt exigua lympha scaturiret, quia populus in obsidione teneretur, ne ipsa periret vndis destituta ciuitas. Milites ergo perscrutabantur ad sedandam sitim, obsidentes Siloam. Quandocumque indigentes Iudæi, aquatum venerant, scaturiebat eis vnda, & aquabant. Exterarum nationum homines reperire nesciebant: latex namque aufugiebat. Hæc ille. Et sicut piscina probatica miraculis illustris describitur ab isto Euangelista cap. 5. Sic & hæc natatoria seu piscina Siloë, Veteris Isaïæ supra commemorato miraculo, & nouo istius cæci illuminati prodigio, & stupendo lauacro insignis refertur cap. 9. Animaduertendum est Christum, hominem terrenum, terræ limo

Gen. 49.

Paraphrasis Chaldaica.

D. Epiphan. li. de Prophet. vita.

Ioan. 9.

limo ac luto curasse. Reminiscere te lutum esse, & hodie aut cras in puluerem esse conuertendum, *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Sed de his aliàs plura. Obedientia & fides istius cæci in primis spectanda commendandaque est. Quandoquidem non secus quàm Abraham contra spem in spem credidit, nec murmurauit aduersus Christum luti collyrio ipsius iniungentem linientémque oculos. Simpliciter obediuit iussioni Domini nihilque opposuit vel obiecit, nimirum, lutum magis excæ-
Tob.1. care oculos quàm collustrare & apperire visum, *Thobias*
4.Reg.2. *namque senior cùm se sopori dedisset, fimo seu stercore hirundi-*
4. Reg. 20. *num lumen amisit* cap.1. Nihil eiusmodi dixit. In hac admiranda cæci curatione facilè intelligimus sæpe Dominum hisce rebus, quas nos perniciem allaturas credimus, saluti nostræ consulere. Sic legimus *Elizeum Prophetam amaras sterilesque aquas, iniecto sale dulces ac fœcundas reddidisse* : *Sic Isaiam ficorum massa regis Ezechiæ vlcus sanasse*, quæ, si naturam rerum spectes, magis illud exulcerare & inflammare, quàm sanare debuisset. Huiusmodi enim ferè sunt medicamenta diuina, quæ cùm carni molesta & humanæ prudentiæ noxia videantur, præter spem tamen & opinionem nostram, mentis humanæ vulnera sanant.

Vicini qui viderant illum priùs quia mendicabat, dicebant, Nonne hic est, &c. Obserua. Quatuor genera hominum circa hoc miraculum se occupant. Vicini mirantur, quærunt causam & modum, sed nihil emendantur. Pharisæi gloriã miraculi opprimere studẽt, gloriæ Christi inuidentes, talpis quidem cæciores, & tam clarum miraculum extinguere ac supprimere frustra conantes. Parentes huius illuminati cæci libenter quidem confessi essent, sed obstat timor mundanus, ne è Synagoga eijcerentur: Cæcus denique ingenuè coram vicinis & Pharisæis, amicis & hostibus confitetur veritatem Christique gloriam ac innocentiam constantissimè in persecutionis articulo, cum ab inimicis quęstionibus variis subinde pulsaretur, defendit & tuetur. Cuius fortia gesta ac respõsa vel eo nomine notanda sunt, vt fidelis quisque discat, qualiter aduersariis respondere
1.Pet.3. debeat. 1. Petr. 3. *Parati ad satisfactionem*, ait ille, *omni poscenti vos rationem de ea qua in vobis est fide & spe.*

Tria seriatim respondet. Dubitantibus num ipse sit, dicit: *Ego sum.* Quærentibus quomodo & per quem illuminatus sit, *ille homo*, respõdet. *Qui dicitur Christus lutum fecit*, &c. Inter

&c. Interrogatus vbi ille esset, *Nescio, ait*, Notandum à turba Christum secessisse, post luti super cæci oculos applicationem. Quapropter non potuit huic esse de facie notus, vel quò discessisset rescire non potuit.

Vicinos, cùm istum ad Pharisæos capitales Christi hostes, iuratosque Christi aduersarios adduxerint, coniicimus fuisse malos ac incredulos. Plato lib. 4. de Legibus ἁλμυρὸν καὶ πονηρὸν γειτόνημα. Salsuginosa malaque vicina, tanquam prouerbium vsurpauit. Palestini vicini Isaac valde illi iniurij & importuni fuerunt Genes. 26. eumque à se expulerunt. Psaltes quoque conqueritur, *Facti sumus opprobrium vicinis nostris*. Et Plautus in Mercatore, *Nunc ego verum illud verbum esse vetus, Aliquid mali esse propter vicinum malum experior.* *Plato lib. 4. de legibus.* *Gen. 26.* *Plaut. in Mercat.*

Expertus est & istè vicinos sibi infensos ac maleuolos, quippe qui apud Pharisæos hunc detulerint & accusauerint. Contrà de bonis vicinis adagium Gallicum circumfertur vulgóque iactatur, *Qui à bon voysin à bon matin*. Cui bonus contigit vicinus fœlix faustusque illucescit dies. In eam rem Suidas Græcus auctor dictione Maras scribit: Maras Syrus homo ditissimus, nec fastu elatus, pauperibus beneficus fuit. Si quis aliquid venditurus aut empturus erat, quòd ei vicinum esset, venditor aliquid amplius exigebat, vltra iustum pretium, quòd Maram virum longè optimum vicinum esset habiturus. Itaque in prouerbium abiit Maras, vt ponatur pro eo qui vicinum bonum agit. Ad idem propositum Plutarchus tom. 1. Vitarum, in Themistocle, & to. 1. Opusculorum in Apophtegmat. Græcorum: Themistocles, inquit, fundum vendens præconem indicare iussit, Commodum eius esse vicinum. Nec dissentit Hesiodus Poëta Græcus, sic scribens πῆμα κακὸς γείτων, ὅσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ. Hoc est, Noxa tam magna est malus vicinus, quantum bonus commodum. Deinde. *Suidas.* *Plutarc. to. Vit. in Themist. idem to. 1. Opusc. in Apop. Græc.*

Ἔμμορέ τοι τιμῆς ὅς τ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ. *Hesiodo. lib. 1. ἔργ. καὶ ἡμ.*

Hoc est, Sortitus est præmium, quicunque sortitus est vicinum bonum.

Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη. Id est, Neque sanè bos interierit, nisi vicinus malus sit. Hæc Hesiodus lib. Ἔργα καὶ ἡμέραι, priore.

Adducunt eum ad Pharisæos vicini, &c. Nota. Quamdiu hic homo cæcus existebat, nemo cum eo contendit: Vt autem oculi eius aperti sunt, omnes eum persequuntur. *Si*

de mundo fuissetis, dicebat Dominus, Ioan.15. *Mundus quod suum erat diligeret: Quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Corui pullos suos, cùm eos albos vident, reiiciunt, vt autem pennæ eorum crescunt & nigrescunt, statim parentes eos fouent & alunt. O munde immunde! Nullos alios vis nisi coruos, æquè ac tu nigros, atrisque moribus infuscatos. Similis similem sibi quærit, ait vulgatum prouerbium.

Abij, laui, & vidi, dicebat cæcus illuminatus vicinis. Pauca quidem, sed valde argutè. His tribus præteritis totam historiam Laconicè complexus est. Sic referente Plutarcho, tom.1. Opusculorum in Apophtegm. Romanorum. C. Cæsar Pharnacem Ponticum primo accessu quu insuperasset ad amicos scripsit, veni, vidi, vici. Sic & Carolus v. Imperator & Rex Catholicus (vt scribit lib.2. Belli Germanici Hispanicè, Ludouicus Abulēsis) reportata de hostibus fidei victoria singulari, & penè miraculosa, Anno Domini 1547. gratias agens, prout Christianum catholicumque principem decuit, apertè professus est, & hac tria protulit verba: VINE, YVI, YDIOS YENCIO, hoc est, si ex Hispanico in Latinum vertas sermonem, veni, & vidi, & Deus vicit, permutato scilicet tertio verbo, vt Deo acceptam referret victoriam. Hæc ille.

Plutarc. tom.1. Opusc. in Apophteg. Roman.

Lud. Abulensis Hist. libr. 2. belli Germ.

Interrogant Pharisæi quomodo vidisset. Respondit, Ille homo qui dicitur Iesus, &c. Eadem coram Pharisæis confitetur atque corā vicinis, Tempore prosperitatum & aduersitatis.

Schisma erat inter eos &c. Hæc dissensio eo erat bona, quòd impediebat conspirare in Christum. Sic Paulus Pharisæos & Saduceos in malo concordes, vt à se inuicem dissiderent, effecit. Act.23. Sic bellum hęreticorum pax est Ecclesiæ. Aduerte quòd Hæresis semper quærit diuisionem & schisma. Præsignata per meretricem illam 3.Reg.3. Quæ nolebat infantem viuum integrúmque manere, sed diuisum & dissectum cupiebat, vociferata impudentissimè. *Nec mihi nec tibi (subaudi) maneat integer, sed diuidatur.* Non enim erat vera mater. In Ecclesia magnus est consensus, & concordia & symphonia Luc.15. Apud hæreticos autem regnat diuisio, schisma atque discordia. *Non est Deus dissensionis sed pacis* ait Apostolus. Quàm parum inter hæreticos de fidei capitibus conueniat, & quàm dissidentes, & è diametro pugnantes opiniones ac sententias teneant, patet ex Tabulis doctissimi ac piissimi Scriptoris Pano-

Act.23.

3. Reg.3.

Luc.15.

pliæ

pliæ Euangelicæ Lindani. *Lindan.*

Tu quid dicis de eo qui aperuit tibi oculos? Respondit: Quia Propheta est &c. Cùm esset corpore illuminatus exterius, paulatim in lumine cognitionis mysteriorum fidei proficiebat interius, donec ad plenam diuinitatis Christi notitiam, eiusdémque adorationem perueniret. Nunc igitur Prophetam agnoscens ac prædicans verùm quidem dicit, sed minus quam oportuit. Siquidem non solùm erat Propheta, sed etiam Dominus Prophetarum, & verè filius Dei: Cui omnes Prophetæ testimonium perhibent. *Panop.*

Non crediderunt, donec vocauerunt parentes eius &c. In eum finem conuocantur parentes, vt per eos, si fieri posset, obscuraretur Christi miraculum. Interrogantur illi de tribus (vt patet ex textu) de duobus tantum confitentur. Quomodo autem nunc videat, ignorare se dicunt, timentes Iudæos, in quos dici potest illud Ioan. 12. *Propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eiicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Hic similiter dicitur, Quomodo nunc videat nescimus, ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius quoniam timebant Iudæos: Iam enim conspirauerunt Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret: propterea parentes eius dixerunt, Quia ætatem habet, ipsum interrogate.* Dominus suis prædixit, Ioan. 16. *Absque Synagogis facient vos,* ἀποσυναγώγους, & perinde ac excommunicatos habebāt, quotquot Christum profiterentur, tanquam reiectamenta quædam & membra putrida à suo diuellentes corpore, quos Christo verè incorporatos esse, & communioni credentium adiunctos non est dubitandum. Sed iusto Dei iudicio id ipsis accidit. *Ioan. 16.*

Eo ipso quòd pios à se eiiciunt, seipsos excommunicant, putantes alios excommunicare. Propria conuicti conscientia indignos consortio ac communione Sanctorum se se ipso facto demonstrant. Sic dum expellunt, & à se eiiciunt populum Dei Ægyptij, mari rubro operiuntur, ac finaliter pereunt.

Vocauerunt rursum hominem, Da gloriam Deo. q. d. Fatere veritatem. Verbis Iosue cap. 7. ad Achan abutuntur. *Iosue 7.*
Audiant Pharisæi quòd Ioann. 5. Christus pronuntiat. *Qui* *Ioan. 5.*
non honorificat filium non honorificat patrem. Vide quia non ei manifestè dicunt, Nega quoniam Christus te curauit,

sed sub prętextu religionis ad hoc eum inducere volunt. d. *Da gloriam Deo*, quasi dicant, Confitere, quia hic nihil est operatus, Nega quod accepisti. Hoc planè non est gloriam dare, sed Deum blasphemare: hac in re præcursores Antichristi se ostendentes, qui ad negationem Christi, & abrenunciationem homines adigere tentabit, atque minis & terroribus pro viribus id efficere conabitur, iuxta quod B. Hyppolytus martyr. Oratione de Fine sæculi, & de Antichristo scriptum reliquit. Character illius bestiæ (cuius Apocalyp. 13. in fine fit mentio) ad numerum *666*. *ἀρνοῦμαι*, id est nego exponitur.

Hypolit. orat. de Fin. sæc.
Apoc. 13.

Nam antea quoque hostis ille opera ministrorum suorum, hoc est Idololatrarum, Christi martyres hortantium, Negato, aiebat, Deum tuum crucifixum. Tale erit tempore illius honestatis omnis osoris sigillum dicens, Nego creatorem cœli & terræ, nego baptisma, nego adorationem à me Deo præstari solitam, tibi adhæresco, in te credo. Hoc enim Enoch & Elias Prophetæ denunciabunt, Ne credatis hosti qui venturus est, & apparebit. Hactenus ille.

Scimus quia hic homo peccator est &c. Quasi dicat, Diuina virtute hoc non fecit. Vide quàm temerarium sit eorum iudicium! Si hoc vobis constat, illum esse peccatorem, Cur illo cap. 8. vobis proponente: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* illum non redarguistis? cur ei non obiecistis, *Scimus quia peccator es?* Vnde hoc probare potestis? Veraciter docet. Sine crimine viuit. Quid aduersus eum solidè profertis? Mera est hæc calumnia, & impostura vestra, vt latius *σὺν θεῷ* Dominica in Passione deducetur.

Ioan. 3.

Si peccator est, nescio: Vnum scio, quia cùm cæcus essem modo video, &c. Hoc non dicit dubitans de sanctitate & innocentia Christi, sed irridendo eorum malitiam. Quasi dicat, vos dicitis, quia scitis, & ego hoc non dico, imò contrarium, quòd probatur per factum. Quia cæcus cùm essem, modò video. Et quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Quinimo vt Nichodemus Ioan. 3. protestabatur, *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ea quæ iste facit diuiniora sunt quàm vt ea facere possit misera creatura, qualis est homo & peccator. Ex opere agnoscitur & deprehenditur artifex.

Ioan. 8.

Ab effectis arguimus excellentiam causæ. Aiunt qui anatomes scientiam profitentur, tantum admirationis & artificij

artificij in oculorum fabrica reperiri, vt non minoris virtutis esse putent, oculos cæco nato præbere, quàm mortuum ab inferis excitare. Artifex enim, aiunt, qui pulcherrimam ac difficillimam alicuius regiæ domus partem absoluere posset, reliquas similiter eiusdem domus partes minori negotio posset absoluere ac complere. Quisquis ergo oculos potuit fabricare, haud dubiè quin reliquas etiam corporis partes condere valeat. Is autem solus Deus est: Non autem impurus & indignus peccator: Sic itaque ratiocinatur, & pro Christi defensione disputat iste recens illuminatus.

Nunquid vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei. Tu discipulus illius sis. Nos discipuli Moysi sumus.

Paratum se ostendit, vt omnia quæ contigerunt, plenissimè illis aperiat, nihil non illis declaraturus, si fieri cuperent discipuli Christi: aliâs importunitatem illorum, iteratis vicibus eodem de negotio interpellantium, apertè taxat.

Dixi vobis iam, & audistis, quid iterum vultis audire?

Maledixerunt ergo ei, &c. Cùm Balaam maledicere putat, benedicit in lib. Numerorum. Dicamus cum Rebecca. *In me sit ista maledictio.* Genes. 27. *Tu discipulus illius sis.* Cedò quid fœlicius nobis cõtigerit, quàm vt discipuli Christi simus? Ex Christi schola meliores atque doctiores prodibimus. Veluti Laërtius libr. 1. refert. Anacharsum Scytham Crœso regi Lydorum scripsisse, In Græciam adueni Græcorum mores & studia percepturus, vt ad Scythas redeam melior atque doctior. *Gen. 27.* *Laërtius libr. 1. in Anacha.*

Cùm doctor noster Christus sit omnium optimus, & sapientissimus, quomodo veri eius discipuli non euaderent meliores atque doctiores? Completur in eis hoc vaticinium, Maledicent, nimirum obtrectatores, & tu benedices, commutando maledictionem in benedictionem.

Nos Moysi discipuli sumus &c. Quoniam obseruatoribus legis, bona temporalia promittebantur, secundum illud Isaiæ 1. *Si me audieritis bona terræ comedetis:* Idcirco discipuli Mosis videri volunt, copiam nimirum & abundantiam sectantes, & inopiam metuentes: Christus autem discipulos suos voluit crucem ferre, paupertatem profiteri, renunciare terrenis, suspirare & tendere ad cœlestia. Luc. 9. Matth. 5. & pressuram pati Ioann. 16. *Isaiæ. 1.* *Luc. 9.* *Matth 5.* *Ioan. 16.*

In mundo pressuram habebitis. Ac denique persecutionem ferre & sustinere. 2. Timoth. 3. *Qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiantur oportet.*

2. Tim. 3.

Hunc nescimus vnde sit, &c. Q. d. Scimus quidem & certo nouimus. Mosem à Deo missum: At verò hunc ignoramus & nescimus an à Deo missus sit, sicut Moyses, an non.

Respondit ille, in hoc mirabile est, quia nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos: Scimus autem quia peccatores Deus non audit, sed si quis est cultor Dei, hunc exaudit, &c. Atqui hunc exaudiuit Deus, cùm virtute eius me cæcum illuminauit. Non est igitur peccator, sed Dei cultor, cuius etiam voluntatem facit, nec ab ea vnquam dissentit. Vide quàm fortiter & constanter Christi defendat innocentiam. Sed paulò obscurior videtur hæc sententia: *Deus peccatores non audit.* An non in Litaniis dicimus? *Peccatores te rogamus audi nos?* Nónne peccatrix Luc. 7. exaudita est?. *Remittuntur tibi peccata tua.* Nónne Publicanus in oratione exauditus est: Luc. 18. *Et descendit iustificatus in domum suam:* An nō quotidie oramus Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra, id est, peccata,* interprete alio Euangelista *Luc. 11.* Quomodo igitur *Deus peccatores non audit?* Respondet hoc in loco D. Augustinus. Loquitur, inquit, vt nondum plenè illuminatus: Alioqui enim Deus Mariam & Publicanum peccatores non audiisset, quos tamen, vt supra deduximus, exaudiuit.

Litaniæ Ecclesiæ. Luc. 7. Luc. 18. Matt. 6. Luc. 11. D. Aug. tom. 9. in Ioa. Isaiæ. 1. Psal. 68. Prou. 28.

Peccatorum nomine intelliguntur obfirmati & obdurati in peccatis. Isaiæ 1. *Cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam: Manus enim vestra sanguine plenæ sunt.* Et Psalm. 68. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et Prouerb. 28. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis* Tales proculdubio peccatores, in peccato (quod est diabolicum non humanum) perseuerantes, impœnitentes, & nullo modo contriti, Deo sunt exosi, nec exaudiuntur ad salutem. Sicque vera est cæci sententia. Audit Dominus petentes peccatorum remissionem verè & ex corde, non vt peccatores, sed vt pœnitentes. Vel, interprete Theophilacto, hoc significat quòd Deus non concedit peccatoribus signorum operationem.

Theophilactus.

Sicque non audit eos, in huiusmodi videlicet miraculis.

Si quis cultor est Dei, hunc exaudit, &c.

Conue

Conuenit Homeri ſententia Ιλιαδ.α. Achilles ad Miner- *Homer.*
uam dicit, *Iliad.1.*

Ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ. id eſt,

Quiſquis vtique Diis obtemperauit, magis exaudiunt ipſum. Si ſingulariter θεῷ dixiſſet, non θεοῖς pluraliter, nihil magis Chriſtianè dici potuerat.

A ſaeculo non eſt auditum, quòd quis aperuerit oculos caeci nati, &c. Quaſi dicat, Nihil tale in Moſe & Prophetis reperitur. Leguntur quidam cæci illuminati. Vt Thobias felle *Thob.11.* piſcis. capit.11. Sed hoc longè præſtantius eſt. In Hiſtoriis Eccleſiaſticis legimus cæcos quoſdam à Sanctis illuminatos. Vt primo loco D. Hieronymus tom. 1. in vita Hilari- *D. Hier.* onis ſcribit, in hunc modum: Cęca mulier adducta ad *tom. 1. in* eum, omnem ſubſtantiam ſe dixit expendiſſe in medicos, *vita Hi-* Expuit ille in oculos eius, ſtatimq; Saluatoris exemplum *lario.* virtus eadem perſecuta eſt.

Secundo ordine refert ex Simeone Metaphraſte, Su- *Simeon* rius tomo.4. de Sancto Stephano Papa & Martyre. Neme- *Meta-* ſius tribunus militum, cui erat filia vnica, quæ ab incuna- *phraſ. &* bulis nihil omnino viderat, ſe & illam petiit baptizari. Et *Surius de* dum baptizaretur illa, illuminata eſt Lucilla vocata, quæ *Sanctis* ſub Valeriano Imperatore paſſa eſt. *to. 4. de*

Tertio denique loco ſcribitur in vita Diui Bernardi *S. Steph.* libro 4. capit. 4. Quòd ille in pago Lemouicenſi puerum *Pap. &* decemnem cæcum natum, ſputo liniens oculos eius, *martyr.* orando in nomine Chriſti, qui aperuit oculos cæci nati, *In vita* illuminauit. *D. Ber-*

Alium item alibi ſanaſſe ac illuminaſſe ibidem deſcri- *nardi li.* bitur. Inter omnia autem ſolemne habetur miraculum *4.c.4.* cæci nati illuminati per Apoſtolum Paulum apud Surium *Surius* tomo.5. de vitis Sanctorum ex Hilduino, de Sancto Dio- *to.5. ex* nyſio. Cùm Paulus ageret iter, cæcus quidam cœpit eum *Hildui-* obſecrationis vocibus compellare: Sanctus autem Apoſto- *no de S.* lus crucis ſignum clauſis à natiuitate eius oculis impo- *Diony-* ſuit, dicens, Chriſtus Dominus & magiſter noſter, qui o- *ſio.* culis lutum impoſuit cæci nati, & lumen reſtituit ei, ipſe te potentia ſua illuminet. Quem mox videntem his eſt verbis affatus: Vade, inquiens, ad Dionyſium, & dic ei, quia Paulus ſeruus Ieſu Chriſti ad te me miſit, vt memor ſponſionis tuæ ad eum venire non differas, quo baptiſmũ ſalutis accipiens, ab omnibus poſſis abſolui nexibus delictorum. Dionyſius vt cæcum reſpexit, non ante habitis lu-

minibus contuentem, ait ad eum: Es tu ne ille, quem cæcum natum cuncti cognouerunt affines? Cui ille respondit: Ego nempe sum, cui cæco nato hactenus Sol non luxit, sed ipse Paulus, sanitatis mihi lumen indulsit. Qui surgens cum omni domo & Damari vxore sua, quam vt sumeret, more terreno nobilitatis, propter amorem suscipiendæ charæ sobolis, eum sui coëgere parentes: ad mandata properat Sancti Pauli. Hactenus Historia. Sed mouere aliquem posset, quod in prophana legitur Historia de Vespasiano Imperatore ethnico & infideli, quòd duo clarissimi Scriptores minimè incertæ fidei affirmant. Suetonius nempe in eius vita, §. 7. & Cornelius Tacitus Annalium libro 20. Contigit Alexandriæ vt è plebe quidam luminibus orbatus, Vespasianum pro tribunali sedentem adiret, opem implorans, sibique à Serapide per quietem asserens demonstratum, restituturum eum oculos si inspuisset.

Sueton. de Vespasia. §. 7. & Corn. Tacit. li. 20. Annal.

Cùm vix fides esset, rem vllo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremò hortantibus amicis palam pro concione id tentauit, nec euentus defuit. Hæc Suetonius.

Tacitus autem paulò fusius rem narrat: Ex plebe Alexandrina, ait, quidam oculorum tabe notus, genibus eius aduoluitur, remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit, precabatúrque principem, vt oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Tandem persuasus Vespasianus iussa exequitur: statim cæco reluxit dies. Hæc in summa.

Ad quòd dicendum non vno modo. Nimirum (quòd proximè ad rem accedit éstque vera solutio) Historiæ præfatæ Scriptores (quemadmodum ex scriptis eorum liquet) Christiani nomini cùm infensi essent, & exosos haberent Christianos religionis causa, vt detraherent gloriæ Christi Domini, suo Imperatori Vespasiano affinxisse, fallóque tribuisse, quòd ex rumore huius miraculi ad Alexandriam vsque ac Romam, imò dissitas magis, & remotas regiones percrebrescente, per prædicationem nempe Apostolorum ac discipulorum, Christum effecisse constabat, atque hoc modo suffurati sunt Christi honorē, vt mendacio confecto Imperatori, aliàs infideli & pagano arrogarent. Mentientes Vespasianum sputo suo cæcum illuminasse.

Suet. & alij Ro. Hist. Scriptores.

naſſe. Cùm huiuſmodi auaritiæ mancipium (ex lotio enim pecuniam conflabat & exigebat, vt qui de Cæſaribus ſcripſerunt, memoriæ prodiderunt) non ſit veriſimile tam ſtupendum ac diuinum edidiſſe miraculum & prodigium à ſæculo alioquin inauditum.

Vel dicendum cum Fulgoſio libro 1. de miraculis. ca. 6. quòd permittit Deus nonnunquam, licet occultis, iuſtis tamen de cauſis miranda fieri etiam ab his qui inter ſeruos eius non ſunt annumerandi: ſicque permittente Deo Veſpaſianus, vel potius Deus eius miniſterio tale fecit prodigium in cæco ſputo illuminato, non in fauorem & confirmationem falſitatis & impietatis, cuius erat ille cultor ethnicus exiſtens: Quin potius iuſto Dei iudicio & vindicta, vt qui Chriſti miraculis non credidiſſent, imò iſtud præſertim impugnaſſent, & exagitaſſent, & ſi potuiſſent, omnem illius memoriam & famam perpetuo & ingrato ſilentio obruiſſent, omninoque ſepeliſſent, cognoſcerent tandem eorum ſubuerſionem ac excidium iuſtum, per eum qui claruit miraculis: Atque demum conuincerentur Iudæi, quæcunque paſſi eſſent ab Imperatoribus Rom. Veſpaſiano, Titóque filio eius iuſtiſſimè ob illorum incredulitatem, & Chriſti perſecutionem, ac impugnationem mirandorum eius operum paſſos eſſe. Et vt tali ſigno, tanquam Imperij fœlici auſpicio ac præſagio (ſicut etiam loco citato ſubindicat Suetonius) omnibus pateret, Veſpaſianum non tã ab exercitu, quàm à diuina prouidentia, ad Monarchiam, ſummúque totius orbis Imperium euectum & aſſumptum poſt partam de Iudæis victoriam, reportatumque triumphum. Verùm de hoc miraculo plus ſatis. *Fulgoſi li. 1. ca. 6.*

Tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos? Exprobrãt ei cæcitatem, ac ſi dicant: Ab ipſa natiuitate, in peccatis totus es, nihil niſi peccatum. Quaſi verò illi ſine peccato nati eſſent, qui tamen in peccatis, inſtar omnium, Pſalmus 50. In iniquitatibus conceptus ſum, &c. etiam concepti erant, *natura filij iræ ſicut & cæteri* Epheſ. 2. Iuuenalis Satyr. 2. *Pſal. 50. Epheſ. 2. Iuue. Sat. 2.*

Lori pedem rectus derideat Aethiopem albus.

Improperant quòd cæcus natus eſſet, quaſi propter peccata cæcitas ei accidiſſet. Contrarium tamen dixit, Chriſtus. Vide quæſo, horum impudentiam! Omnes præ ſe videri volunt peccatores, Chriſto peccatum impingunt:

Agno qui est sine macula, scelus affingere non verentur, *Scimus autem quia hic peccator est.* Succurrit nunc quòd ab Athenagora, Apologia pro Christianis, ponitur prouerbium: *Meretrix pudicam*, Græcè sic, ἡ πόρνη τὴν σώφρονα, videlicet castigat, aut libidinis arguit. Quòd vsurpatum Antiquis videtur quoties deterior aliquis præstantiorem reprehenderet, & ea ipsa flagitia, quæ in seipsum verè quadrabant, alteri immeritè exprobraret. Sic de Christo absente dicebant, Scimus quia peccator est, quo præsente omnino obmutescebant. Et nunc huic discipulo Christi illuminato improperant, Tu in peccatis natus es totus, cùm essent ipsi peccatis onusti. Hoc erat supercilium Pharisaicum Luc.18.

Athenagoras Apolog. pro Christianis.

Non sumus sicut cæteri hominum peccatores, auari, adulteri, velut etiam hic Publicanus, &c. Sic & Hæretici sanctis Ecclesiæ doctoribus conuiciantur ac obloquuntur. Homines erant, inquiunt, errare potuerunt. Quasi ipsi forent Angeli erroris peccatíve expertes, ac natura (vt dici solet) impeccabiles. Cùm ipsi sint organa Sathanę, & Diaboli (si liceat dicere) incarnati, errantes, nescientes scripturas, ac in errorem alios mittentes, scelesti & abominabiles.

Quod dicunt, Tu doces nos? magnam Emphasim & Auxesim habet. Quasi dicerent, Et quomodo nos legisperiti, cogimur hodie audire, quòd est in prouerbio, Sus Mineruam (supple) docet aut monet, dici solitum quoties insulsus quispiam eum docere conatur, à quo sit ipse magis docendus: Aut, vt Festi Pompeij verbis vtar, vbi quis id docet alterum, cuius ipse inscius est. Quasi dicat, Tu doceri debuisti à nobis, homuncio planè rudis, literarum expers, ἄμουσος καὶ ἀναλφάβητος, qui ipsa elementa non didicisti, & tu doces nos? Apage brutum animal, naturæ monstrum & peccatum. Recitat Erasmus Cent.1. Chilias.1. Adagio 40. Celebrari à multis, maximè autem à Plutarcho, tomo.3. Vit. in vita Demosthenis, ipsius scomma: qui cùm Demades vociferaretur in eum Δημοσθένης ἐμὲ βούλεται διορθοῦν, ἡ ὗς τὴν Ἀθηνᾶν, id est, Demosthenes vult me corrigere, sus, Mineruam, Respondit, αὕτη μέντοι πρώην ἡ Ἀθηνᾶ μοιχεύουσα ἐν λήφθη. Atqui nuper hæc Minerua in adulterio fuit deprehensa. Dictum allusit ad Mineruam virginem. Hæc ibi. Poterat & iste, regere in Pharisæos conquerentes de eo, quòd Sus Mineruam, Atqui

Festi Pompeij.

Plutar. & Erasmus.

Atqui hæc Minerua in adulterio deprehensa est. De hac enim Christus Matth.12. dixisse perhibetur, *Generatio praua & adultera, &c.*

Tu doces nos? Solent maiores à minoribus discere dedignari, quòd nimirum ex latente morbo superbiæ proficiscitur, quo sibi animus falsam scientiæ opinionem ascribit, & erubescit ab eis, qui inferiori gradu vitæ, aut dignitate constituti sunt, quidpiam percipere, ne ignorasse videatur idipsum, aut minor illo in doctrina appareat, à quo discit, cùm cupit omnibus supereminere. Sed si animus quidem noster vera esset humilitate munitus, non erubesceret etiam à puerulo quidquam, quòd ignoraret, addiscere: A quocunque enim percipi potest veritas, amplectenda est, & capessenda. Exemplo nobis est Dominus noster vberrimus sapientiæ fons, qui duodecim annos natus, Luc.2.inuentus est in templo *inter legisperitos & doctores, interrogans & audiens eos.*

Hæc Diuus Cyrillus super Ioannem lib.6.cap.20. Consonat & illud quòd Diuus Augustinus tom.2.Epist.75.scribit, ipse senex, auxilio, Episcopo iuueni, en assum, senex à iuuene coëpiscopo, & Episcopus tot annorum à collega needum anniculo paratus sum dicere. Idem rursus tom.3. lib.1.cap.2.De trinitate. Nec pigebit me sicubi hæsito quærere, nec pudebit sicubi erro discere.

Et eiecerunt eum foras, &c. Rationibus conuicti ad vim & violentiam conuertuntur: sicque præualere nituntur. Sic & persecutores ac Tyranni in primitiua Ecclesia, cruces, equuleos, vngulas, & cætera tormenta in fideles martyres & testes Christi parabant, vt vel sic vincere viderentur. Cessabunt verba, dicebant illi tortores, cùm ventum erit ad verbera. Diuus Basilius Epistola octuagesima Eustathio medico Æsopicam recenset fabulam Luporum & Ouium (quæ à proposito non recedit) huiusmodi. Lupus culpas quasdã aduersus agnũ producit, quasi is turpe sibi ac dedecorosum fore putet, si præter iustam rationem interimat agnum à quo nihil sit læsus. Interim quamuis omnem quę ex adornata calumnia intenditur, accusationem agnus placidè diluat, attamen nihilo magis luxus ab impetu sibi temperat: sed etiam si iustis rationibus vincatur, dentibus tamen victorem peruincere aggreditur. Sic agunt & dicunt lupi hæretici aduersus Catholicos, rationibus licet vincamur, sed dẽtibus vincemus: atque per vim, per ferrũ, per ignes

D.Basil. Epist.80.

per ignes omnia moliũtur,& passim grassantur. Non Apostolici sed Pistolici, Gallicè *Chrestiens empistolez*, meritò nuncupandi. Et quemadmodum de Alexãdro Magno narrat Plutarchus tomo 3. Vitarum in Alexandro: Cùm Phrygiam subiugasset, in Gordio oppido erat nodus. A Barbaris autem accepit credi in fatis esse, qui vinculum id soluisset, is vt imperio orbis potiretur. Alexandrium soluere desperantem, gladio nexum dissecuisse commemorant. Sic isti non valentes soluere rationes cæci nati, vi & violentia vtuntur.

Plutar. to.3. vit. in Alex.

Audiuit Dominus quia eiecerunt eum, & cùm inuenisset eum dixit ei, Tu credis in filium Dei? Eiectus est de templo à Iudæis, & à templi Domino inuentus est. A pestifero consilio liberatus, doctorem vitæ, ac consolatorem animæ est consecutus: Contemptus à contemptoribus Christi, ab Angelorum rege honoratus est. Hæc sunt veritatis præmia, quæ assecutus est is, qui pro veritate fortiter decertauerat: Psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione*, ait Christus, & Psalm. 33. *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, &c. Et consolatur nos in omni tribulatione nostra*, ait Apostolus 2.Corint.1. Quem homines reijciunt & expellunt, Christus suscipit.

Psal. 90. Psal. 33.

Credis in filium Dei? Vide quomodo se agnoscendum præbet, atque ad sui notitiam eum perducit. Nam Ioan.17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant Iesum Christum esse Dei filium.* Ioan.20. *Vt sciatis quoniam Iesus est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis.*

Ioan. 17. & 20.

Quis est Domine vt credam in eum? Attende animi promptitudinem. Paratus est credere, vbi edoctus fuerit veritatem. Non disputat in oppositum, Quomodo potest is esse filius Dei, qui sicut alij, carne passibili & mortali circundatus, esurit, sitit, maledicitur, ab impiis blasphematur, & maiestati filij Dei indignissima patitur, nec regerit conuitia, aut se vindicat de aduersariis? Deum nemo vidit, vnquam. Iste autem oculis conspicuus est, cum hominibus conuersatur, & ab illis in turba conculcatur & cõprimitur.

Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est, & cætera.

Dicens, Vidisti eum, in memoriam reducit beneficium acceptum illuminationis. Quasi dicat, Agnosce illum esse, qui aperuit tibi oculos, vt videre eum possis. Nunquam fueris tanti accepti beneficij immemor vel ingratus. Eius agnosce omnipotentiã, & diuinitatẽ venerabundus adora.

Dicens,

Dicens, *Qui loquitur tecum ipse est*, humanitatem insinuat. In verbo autem, *Ipse est*, diuinitatem. Exod.3. *Qui est, misit me. Ego sum qui sum, dicit Dominus.* *Exod. 3.* *Ioan.4.*

Sic Samaritanæ Ioan.4. Ego sum qui loquor tecum. Hęc tria ad salutem sunt necessaria: Credere Christum verum Deum & hominem, & per illius beneficium & meritum, visum & mentis aciem collustrari, lumen gratiæ & gloriæ nobis infundi, vitamque in eius nomine nobis concedi. Quæ tria collectim Ioannis 20. exprimuntur: *Quia Iesus est Christus, filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* *Ioan.20.*

Et vidisti eum, &c. Scribunt Nicephorus lib.12. cap. 42. & Theodoretus Histor. Ecclesia. lib. 5. cap. 18. Placillam Augustam ad Theodosium Imper. Virum suum dicere solitam: Memineris, mi vir, qui fueris antea, & qui nunc sis, Deoque gratus esto. Attende cui se manifestat Dominus, Cæco scilicet & Samaritanæ: ista concubina, ille pauper: vt nimirum pauperes consoletur, & peccatoribus animos addat, quò libētius & alacrius ad eum acurrant: quos extensis brachiis ad se venientes (vt prodigum indulgentissimus, pater Luc.15.) amplectitur. *Nicep. li. 12. c. 42. & Theo. lib. 5. c. 18* *Luc.15.*

Credo Domine, & procidens adorauit eum, & cætera.

Voce confessionis, & gestu corporis adorationem absoluit Rom.10. *Ore confessio fit ad salutem, Qui me confessus fuerit coram hominibus*, ait Christus, *confitebor & ego eum coram patre meo.* Et nos à Christo spiritualiter illuminati, cùm essemus talpa cæciores, adoremus & procidamus ante Deū. Confiteamur nomini eius & gratias agamus, quantum possumus maximas. 2.Cor.4. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ, claritatis Dei, in facie Christi Iesu.* Ipsi cum patre & Spiritusancto, honor & gloria in sæcula sęculorum. Amen.

***

INCI



INCIPIT DECAS QVARTA.

FERIA QVINTA POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMAE.

De adoleſcente ſuſcitato in Naym.

Luc.7.

Ibat Ieſus in ciuitatem qua vocatur Naym, & ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa: & ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ, &c.



EATA ciuitas ac domus, ad quam Dominus venit: quandoquidem multa ab eo bona accipiet. Venit Ieſus in domum Symonis, Luc.4. & ſocrum eius febrientem curauit. Venit ad Matt. cap.9. & eũ nedum Apoſtolum, ſed etiam conſtituit Euangeliſtam. Venit in domum Zachæi Luc.19. & ſalus illi facta eſt: Inuiſit nũc Luc.7. ciuitatem Naym, & adoleſcentem filium viduæ defunctum ſuſcitauit. Sic vberem ſui hoſpitij mercedem eſſe declarat. Veluti & Prophetarũ Eliæ ac Eliſæi hoſpitium ſuſcitatione mortuorum compenſatum eſt: Vterq; enim ſuæ hoſpitæ filium à mortuis excitaſſe in libris Regum refertur. *Defunctus efferebatur, &c.* Quamuis adoleſcens, ac in ipſo ætatis flore poſitus, tamen mortem expertus eſt. Refert Lactantius lib. de ira Dei c.13. quiddam ſingulare: Viperam ferunt exuſtam, in ciueremque dilapſam, mederi eiuſdem beſtię morſui. Si ergo te momorderit auaritia aut ambitio, conſidera cinerẽ in quem vertitur gloria huius mundi, ſicque vitiũ illud curabis, hoc veluti medicamento & alexipharmaco. In ſummi Põtificis coronatione (ſicut alibi me retuliſſe memini) ſtuppa præfertur accenſa, cũ hac acclamatione, *Pater Sancte ſic tranſit gloria mũdi.* Facilè omnia cõtemnit (ſcribit D. Hieronymus) qui ſe cogitat eſſe moriturũ. Et Eccle.7. *Memorare nouiſſima, & in æternũ non peccabis.* Michaël Neãder in Eromatib. linguę ſanctę Baſileæ

Luc.4. Matt.9. Luc.19. Luc.7. Lactant. lib. de ira Dei, c.13 D. Hier. Ecclef.7.

Basileæ impressis fol. 349. sic dicit (vt vertit ipse Latinè.) Hoc est Apophtegma seu sententia, Akabię filij Mahalaël, Considera tres res, & nō venies in manus transgressionis: Cognosce vnde veneris, & quo tandem sis abiturus: coram quo etiā oportebit te tandem iudiciū & rationē dare. Vnde venisti? Ex guttula sordida. quo tandē abis? Ad locū pulueris & vermiū. Et coram quo futurum est vt rationē reddas? Corā rege, qui rex est omniū regū: qui scilicet est sanctus benedictus Deus. Hæc ex Hebraïco præfata Rabbi in Latinum sermonē versa sententia habet. Homo (vt miserā mortaliū sortem ac conditionē defiet Iob) quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nūquam in eodem statu permanet. Age. Vis videre quàm cōcisa & breuis est vita nostra? An non breuissima quæso, iudicāda est, quæ vix qualemcūque agas ætatē, etiāsi infantilē, recipere non possit tuorū annorū numerus, vnum o. siue phrá, quod in numerādo prope inutile iudicatur? Quod sic Gallicè efferimus, *Le chiffre de soy ne vaut rien, mais il faict valoir les autres.* Nam si 25. agis annū recipietne hic numerus vnicum o? Minimè id quidē. Quid si 15. annū agas? Nequaquā. Age vero 10. habeas tantū annos, admittesne vnū o? Non certè. Esset enim centenarius numerus ad quē paucissimi perueniūt. Deniq; etiāsi infantulus primū tantū ætatis suæ agat annū, nō poterit etiā hic numerus vnū o. certò recipere & indubitatò. De nemine nāque certū est quòd in crastinum victurus sit. Adeo nedū breuis, sed etiā incertissima est hæc hominū vita. Cęterū adolescētis obitus nobis ob oculos in hoc Euāgelio proponitur, vt intelligamus nemini parcere mortē, neminémve debere in florēte sua ætate cōfidere. Et certè sicut vineæ alicuius dominus sæpe solet immaturas colligere vuas, eisdēq; pro omphacio vti, (Agrestā dicimus Gall. *du verdius*) metuēs ne aliquis eas fortè sibi suffuretur: Ita Deus ipse vitę nostræ Dominus, misericorditer nobis indulgēs, eam nobis sæpe offert ante senectā maturamque ætatem, pręuidens nos in sceleribus nostris viuentes, si vlterius progrederemur æternum fore cruciandos. *Raptus est* (ait diuina Scriptura) *ne malitia mutaret animum eius.* Adolescens iste defunctus ad sepulturā afferebatur. De morte omnibus æquā cecinit Horatius lib. 1. Carm. Ode quarta. *Horati⁹ li. 1. Car. Ode 4. & Ode 28.*

Pallida mors æquo pulsat pede
Pauperum tabernas, Regumque turres.

Idem lib. 1. Carm. Ode 28. ad Archytam:

Mista

Mista senum ac iuuenum densantur funera nullum
Saua caput Proserpina fugit.

Idem lib. 2. Epist. ad Iul. Flor. Idem lib. 2. Epist. ad Iulium Florum------*Metit orcus*
Grandia cum paruis non exorabilis auro.

Cùm appropinquaret Christus porta ciuitatis, Ecce defunctus, &c. Describi videtur & tacitè insinuari Monomachia quædam, & certamen singulare, vitæ & mortis. Christus namque est Resurrectio & vita Ioan. 11. 14. *Ego sum vita.* (*Ioan. 11. 14.*) Iste verò mortuus ad sepulchrum deferebatur. Quadrat huic negotio, quod in Ecclesia die sancto Paschatis canitur: *Mors & vita duella conflixere mirando.* Præualuit vita, & mortuus resurrexit. Per quem & nos resurgemus. Proponitur hic sigillatim, per epitasim siue amplificationem res planè lugubris ac luctuosa. Mortuus est enim filius non filia. Filij masculi pluris fiunt, & maiore in pretio habentur, quàm fœminæ, quia scilicet excitant nomen familiæ, propagant nomen parentum & ad memoriam transmittunt posterorum: Non sic autem filiæ. Rectè quidem Euripides in Iphigenia in Tauris circa initia Græcè scripsit. (*Euripid. in Iphigen. in Tauris.*)

Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ, παῖδες ἄρσενες, id est,

Mares seu filij masculi sunt columnæ familiarum. Consonat & illud ex Sacris Ecclesiastici 30. (*Eccl. 30.*) *Mortuus est pater, & quasi non est mortuus. Similem enim reliquit sibi post se.* Altera circunstantia exaggerans est, quòd esset adolescens non capularis senex. Deinde filius erat vnicus, qui amplius diligi solet à parentibus. Tum demum viduæ matris, non nuptæ vel habentis virum. Quantus sit luctus, quàm acerbum lamentum fieri soleat super vnigenitum, testatur scriptura Prophetica dicens, Plagent super eum, quasi super vnigenitum & 2. Reg. 1. (*2. Reg. 1.*) Dauid Rex intimum & vnicè charum ac suæ dimidium animæ Ionatham hoc elegiaco deflebat carmine: *Doleo super te frater mi Ionatha: Sicut mater vnicum amat filium, ita ego te diligebam.* Cum igitur hæc desolata mater, ac viri solatio destituta, filium quoque vnicum, spem posteritatis & baculum senectutis suæ amisisset, quot lachrymas eam fudisse putandum est in recenti adhuc dolore? Nec enim pridem mors contigerat, vt luctus compesci posset: sed adhuc efferebatur cadauer ad sepeliendum. In eo quod dicit, Efferebatur, ex portis nempe ciuitatis Naym, satis insinuatur quòd apud Iudæos mortui non sepelirentur in ciuitatibus, sed foris in agris, & montibus, quod statim patet ex sepulchro Domini,

Domini, qui *extra portam passus est* (vt D. Paulus ad Hebræos scribit) & ibi proximè in monte Caluariæ sepultus ab Eeangelista narratur in horto, & monumento nouo in petra exciso. Liquet etiam ex sepulchro Abrahæ in agro Hebron in Genesi, & ex sepulchris 4. Reg. 23. Vidit Iosias sepulchra quæ erant in monte, & tulit ossa de sepulchris: & alibi frequenter. Nedum Iudæi, sed aliæ quoque nationes & gentes, extra vrbes sepelire solebant: vt Athenienses & Romani, de quibus scribitur apud Ciceronem lib. 4. Epist. Epist. 11. Seruius Sulpitius Ciceroni: M. Marcellũ collegam nostrum sepeliendum curans ab Atheniensibus locum sepulturæ intra vrbem vt darent, impetrare non potui, quòd religione impediri se dicerent. Neque tamen id antea cuiquam concesserant, Nos in nobilissimo orbis terrarum gymnasio Academiæ eum combussimus, & monumentum ei marmoreum faciendum curauimus. Ex quo constat, quod Athenienses intra vrbem non sepeliebant. Idem lib. 2. de Legibus: Hominem mortuum (inquit Lex 12. tabul.) in vrbe ne sepelito neve vrito. Credo vel propter ignis periculum.

4. Reg. 23.

Cice. lib. 4. Epist. epist. 11.

Idem lib. 2 de Legibus lex 12. tabul.

Quibusdam ante hanc legem in vrbe sepeliri virtutis causa tributum est, vt Publicolæ, vt Tuberto, quod eorum posteri iure tenuerunt. Sed in vrbe sepeliri lex vetat. Scribit item Iulius Capitolinus in vita Antonini Pij Imper. ad Diocletianum Augustum, quòd intra vrbes sepeliri mortuos vetuerit. l. 3. D. de sepulchr. viol. Diuus Hadrianus rescripto pœnam statuit 40. aureorum in eos qui in ciuitate sepeliunt, quam fisco inferri iussit, & in magistratus eandem qui passit sunt. Plutarchus tom. 1. Vitar. in Lycurgo ostendit non prohibuisse eum cadauera in vrbe sepelire, vt iuniores huiusmodi conspectibus innutriti, non horrescerent mortem. Et nos Christiani intra vrbes etiam Κοιμητήρια, id est, dormitoria defunctorum loca scilicet publica ad sepulturam destinata habemus. Hìc sese offert locus, vt de cura sepulturæ, & funerandi ritu, paulò fusiùs dicamus, tum ex sacris, tum ex prophanis Auctoribus. Laërtius lib. 3. in Platone, Iustitiæ ait tria esse genera. Aliud circa Deos: Alterum circa homines: Tertium circa defunctos versari.

Iul. Capitol. in Antonine Pio.

Lex.

Plutarc. to. 1. Vit. in Lycur.

Laërt. li. 3. in Pla-

Nam & qui sacra secundum leges faciunt, sacrarumque rerum curam habent, Religiosi in Deos ac pij sunt. Qui verò mutua, depositáque restituunt, iusti erga homines

ſunt. Qui autem vita functis iuſta perſoluunt, tertiam illam iuſtitiæ partem exequuntur. Philo in Flaccum, Iuſta funebria appellat. Sicque bonæ latinitatis Scriptores paſſim. Cicero Philippica 9. de Seruio Sulpitio legato loquēs. Honor ſepulturæ, inquit, eſt maximus qui haberi poteſt mortuo. Hinc Poëta Æneidos 11. circa initium:

Philo Iudæus in Flaccum
Cic. Philippic. 9.
Virgil. Æneid. Homero. Iliad. ψ.

Interea ſocios inhumataque corpora terra
Mandemus, qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt.

Et Homerus Iliad. ψ. Achillem introducit ad Myrmidones hoc pacto locutum, Iuſta exequiarum Patrocho amico exhibiturum:

Πατροκλαίωμεν· ὁ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων, id eſt,

Patroclum defleamus, hic enim honor eſt mortuorum, hoc eſt, Res eſt honoraria defunctis. Cicero lib. 1. de Diuinatione: Simoniades, inquit, cùm ignotum quēdam proiectum mortuum vidiſſet, eumque humauiſſet, haberetque in animo nauem conſcendere, moneri viſus eſt ne id faceret, ab eo quem ſepultura affecerat, ſi nauigaſſet eum naufragio eſſe periturum: itaque Simonidem rediiſſe, periiſſe cæteros, qui tum nauigaſſent. Hoc ipſum Valerius libr. 1. ca. 7. de Somniis refert. Simonides Poëta inhumatum corpus in littore ſepeliit, & gratiam recepit.

Cic. lib. 1. de Diuinat.
Valer. li. 1. cap. 7.
Lactant. li. 6. c. 12.
D. Aug. lib. 1. cap. 13. tom. 5. de ciuit. Dei.

Lactantius lib. 6. Diuinar. Inſtit. Non patiemur figuram & figmentum Dei feris ac volucribus in prædam iacere: ſed reddemus id terræ vnde ortum eſt. Et D. Auguſt. tom. 5. de Ciuit. Dei lib. 1. cap. 13. Non ſunt contemnenda & abiicienda corpora defunctorum, maximéque iuſtorum ac fidelium, quibus tanquam organis & vaſis ad omnia bona opera Sanctus vſus eſt Spiritus. Si enim paterna veſtis & annulus, ac ſi quid huiuſmodi tantò charius eſt cæteris, quantò erga parentes maior extitit affectus, nullo modo ipſa ſunt ſpernenda corpora. Hæc ibi. Ideo grauiter admonet Eccleſiaſticus cap. 7. Mortuo ne prohibeas gratiam, nempe ſepulturæ & ſuffragiorum. Valeant proinde, & rubore ſuffundantur (ſi tamen nouerint erubeſcere) impij & deplorati, homines dicam, an veriùs belluas, qui nulla ſepulturæ propriæ cura tanguntur, illud in ore habentes, quod, vt ſcribit Seneca lib. 14. Epiſtolarum, Epiſt. 93. diſertè Mecœnas aiebat.

Eccleſ. 7.
Senec. li. 14. Epiſt. epiſt. 93.
Luc. li. 7.

Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.

Et Lucanus Poëta lib. 7.

Cœlo tegitur non habet vrnam.

Et

Et apud Virgilium. *Virg.*

Facilis iactura ſepulchri.

Contingat iſtud planè Atheis, atque animorum immortalitatem negantibus, ſpemque futuræ reſurrectionis abiicientibus. Carere etenim ſepultura in pœnam à Domino infligitur, ac irrogatur cuidam apud Prophetam Ierem. 12. de Ioachim filio Ioſi.. Rege Iudæ: Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Hieruſalem. Conſtatque ex ſacra Regum Hiſtoria, aliquibus malis principibus, punitionis à Deo & pœnæ nomine contigiſſe, vt in ſepulchra patrum ſuorum non inferrentur, & magnificentia exequiarum priuarentur. *Iere.22.*

Supplicio iuſto affecta eſt impuriſſima Iezabel, in eo quòd canes comederunt eam. Contrà verò Patriarchæ maximam de ſepulchris curam geſſerunt: & Ioſeph fratribus mandauit de oſſibus ſuis: Thobias autem commendatur plurimùm, quòd ſepeliēdis mortuis diligentiſſimam eamque indefeſſam nauaret operam cap. 12. *Quando orabas & ſepeliebas mortuos, obtuli orationem tuam Domino,* ait Angelus. Idem inſtruit filium ſuum cap. 4. *Panem tuum & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue.* Chriſtus Ioannis 19. honorificentiſſimè ſepultus memoratur. *Sicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Fuitque iuxta vaticinium & oraculum Propheticum, *Sepulchrum eius glorioſum* Iſaiæ 11. Act. 8. *Curauerunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.* Conqueritur autem de Tyrannis ac perſecutoribus Martyrum Eccleſia Pſalm. 78. *Et non erat qui ſepeliret.* Sed de his hactenus. Conſequenter contra violatores ſepulchrorum nonnihil adiiciamus, huic exordio ducto. Cicero lib. 2. de Legibus: De ſepulchris apud Solonem cauetur, ne quis ea deleat, pœnaque eſt, Si quis buſtum (Nam id puto appellari tymbon (aut monumentum inquit, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit. *Tob.12.* *Cap.4.* *Ioan.19.* *Iſaia 11.* *Act. 8.* *Pſal.77.* *Cic. li.2. de Legib.*

Herodotus lib. 1. & Plutarchus tom. 1. Opuſc. in Apophtegmat. Semiramis, cum ipſa ſibi ſepulchrum condidiſſet, inſcripſit hæc: Si quis Rex pecunia indiguerit, is recluſo hoc monumento ſumat quantum volet. Darius aperto eo nullam inuenit pecuniam, ſed in aliam incidit inſcriptionem, cuius hic erat ſenſus: Niſi malus fuiſſes homo, & pecuniæ inſatiabilis, nunquam ſanè loculos mortuorum inuaſiſſes. Ioſephus Iudæorum Hiſtoriographus Antiquit. lib. 16. cap. 11. interprete Gelenio. Herodes Dauidis ſepul- *Herodot. libr. 1. & Plu. to. 1. Opuſc. in Apopht. Ioſephus Antiqu. Ind. lib. 16. ca. 11.*

chrum noctu subit: Duos satellites amisit erumpente flamma contra progressos temerè. Atque Herodis domus post violatum sepulchrum cœpit labi in deterius, vt merito videri possit impietatis præmium.

Contra tam nefarium excessum latæ sunt & præscriptæ leges Impp. leg. Pergit audacia. Cod. de sepulchr. viol. Sic Iulianus Imperator rescripsit. Pergit audacia ad busta defunctorum, Quum lapidem hunc mouere proximum sacrilegio maiores nostri semper habuerint & l. vlt. D. eod. tit. de sepul. viol. Rei sepulchorum violatorum, si corpora extraxerint, vel ossa eruerint, humiliores summo supplicio adficiuntur, honestiores in insulam deportantur. & l. 1. D. eod. Sepulchri violati actio infamiam irrogat, ait Vlpianus. Quod & iure Pontificio seu Canonico nedum ciuili & Cæsareo iamdudum obtinuit. 6. q. 1. cap. Infames, ex Stephano papa Sepulchrorum violatores ibi inter infames connumerantur In Codice Theodosiano Legum Nouellarum Valentiniani tit. 5. de sepulchris: Postquam ostendit animum hominis esse immortalem, & mentem, quæ est diuinum quid (vt scribit Aristoteles) à corpore solutam, in originem suam redire, nempe ad Deum, vt inquit Concionator Ecclesiastes 12. *Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* subiungit, Amant animæ sedem corporum relictorum, & nescio qua sorte rationis occultæ, sepulchri honore lætantur: Cuius tanta permanet cunctis cura temporibus, vt videamus in hos vsus sumptu nimio pretiosa montium metalla transferri.

6. q. 1. c. infames. *Codex Theodosianus.* *Ari. li. de anim. ὁ νοῦς θειόν τι* *Mens est aliquid diuinum.* *Eccl. ca. 12.*

Quod prudentium certè intelligentia recusaret, si nihil crederet esse post mortem. Nimis barbara est & insana crudelitas, munus extremum luce carentibus inuidere, & dirutis per inexpiabile crimen sepulchris monstrare cœlo corporum reliquias humatorum. Albine præfecte charissime, magnificentia tua legem hanc innotescere iubebit, vt criminosis pœna reddatur, innocenter viuentibus gratulatio, pax sepultis. Hæc ibi. Audis Constitutionem Imperialem piam imprimis & valde Christianam aduersus sepulturarum temeratores. Cuius criminis rei sunt Hæretici Hugnostici, nostræ tempestatis. Illi enim (vt in libello Gallicè edito, inscriptóque, *Le saccagement des Eglises*, notatis locis & oppidis Galliæ, in quibus violata fuerunt Regum Francorum & Principum Catholicorum sepulchra, vt Aurelianis, Cleriaci, Vindocini & Engolismæ

solo

ſolo meo natali, vir doctiſſimus & Reuerendus in Chriſto pater, & Epiſcopus Broicenſis Dominus Claudius de Sainctes, ampliſſimè veréque conſcripſit:) nedum viuis, ſed etiam mortuis plus quàm Turcicos & Scyticos hoſtes ſe præbuerunt exhibueruntque, Funeſtis auſibus quietos manes infeſtantes, & oſſa defunctorum eruentes, ac canibus & feris dilanienda obiicientes, Dixi pluſquàm Scythicos hoſtes: Scythæ enim ſtudioſè admodum ſepulchra ſuorum maiorum ne violarentur defendebant, vt ſcribunt Herodotus lib. 4. & Valerius lib. 5. ca. 4. de pietate: Scythæ legatis Darij reſponderunt: Sunt paterna ſepulchra, quæ vos cùm nacti fueritis, agedum tentare labefactare, & tunc intelligetis, pugnaturi vobiſcum ſimus pro ſepulchris néene (ne videlicet violentur.) Hæc Herodotus: Valerius verò ſic: Cum ad parentum ſuorum monumenta veniſſent, Sciturum Darium quemadmodum Scythæ præliari ſolerent, reſponderunt illi legatis ne violarentur maiorum ſepulchra.

Claudi⁹ de Sainctes.

Horodot lib. 4. & Valer. li. 5. ca. 4. de Pietate.

De funerandi ritu nonnihil adiicientes, à Cicerone exordimus. Is lib. 2. de Legibus. Mihi antiquiſſimum ſepulturæ genus, inquit, videtur, cùm redditur terræ corpus, & ita locatum ac ſitum quaſi operimento matris obducitur, Gentemque Corneliam vſque ad memoriam noſtram hac ſepultura ſcimus eſſe vſam. C. Marij ſitas reliquias apud Anienem diſſipari iuſſit Sylla victor, acerbo odio incitatus, quod haud ſcio an timens ne ſuo corpori poſſet accidere, primus è patritiis Corneliis igni voluit cremari. Cui adſtipulatur Plin. lib. 7. cap. 54. de ſepulturis: Corpora cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti. Terra condebantur. At poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc inſtitutum. Et tamen multæ familiæ priſcos ſeruauere ritus: Sicut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus.

Cicero li. 2. de Legibus.

Plin. lib. 7. ca. 56.

Idque voluiſſe ferunt veritum talionem, eruto C. Marij cadauere. Omnium, vt antiquiſſimus, ſic & optimus mos & modus eſt exanime corpus humare, terram terræ reddere. Ideoque antiquis Iudæis ac Chriſtianis in hunc vſque diem in vſu frequentiſſimè habitus. Quod autem in ſacris Annalibus, ſiue Paralipom. lib. 2. c. 21. de Ioram Rege ſcribitur. *Quòd illi mortuo non fecit populus ſecundum morem combuſtionis, exequias, ſicut fecerat maioribus eius,* ne intellexeris morem fuiſſe Iudaicum cōburere Reges defunctos,

2. Part. 21.

& rogum illis cremandis ſtruere: ſed vt ibidem habetur
2.Par.16 lib.2.cap.16.de Rege *Aſa, Mortuus eſt ille & ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo, poſueruntque eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus, & vnguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.* Inualuerat conſuetudo apud Iudæos, vt comburerent circa cadauera Regum, pigmenta & vnguenta aromatica, ad declarandam magnificentiam, & effugandum cadauerum reſeruatorum fœtorem. Obſeruabis etiam in diuitum exequiis, Cupreſſos adhibitas, veluti nunc quoque ſaluia, aut aliæ odoriferæ herbę, cum Thure in funere Chriſtianorum. Vnde Horatius libr.2.Carm.Od.14. docens mortē vitari non poſſe:

Hora. li. 2.Carm. od. 14.

Neque harum quas colis arborum
Te præter inuiſas cupreſſos
Vlla, breuem dominum ſequetur.

Claud. de rapt. Proſerp. lib.2. Et Claudianus de raptu Proſerpinæ libr. 2. ſubſcribit, dum ita canit:

Quercus amica Ioui, tumulos tectura Cupreſſus.

Plin. lib. 16. c. 33. Quibus concordat Plinius lib.16.cap.33. Cupreſſus, ait, arbor Diti ſacra, & ideo funebri ſigno ad domos poſita. At verò diuitum tantùm, non etiam omnium ædibus præponi ſolere auctor eſt Lucanus lib.3. de Bell. ciuili.

Lucan. lib.3.

Et non plebeios Luctus teſtata Cupreſſus.

Pompei' Feſtus. Nempe, vt puto, propter raritatem arboris, quia initio pauci in agris, aut intra vrbanas villas eam arborem inſtituebant. Pompeius Feſtus litera C. Cupreſſi mortuorū domibus ponebantur, inquit, ideo quia huius generis arbor exciſa non renaſcitur: ſicut ex mortuo nihil iam eſt ſperandum. Quam ob cauſam in tutela Ditis eſſe putabatur. Hæc ibi. Fecerint ita Ethnici, & qui ſpem non habebant nempe reſurrectionis, & ob deductas cauſas: Sed nos Chriſtiani, qui credimus animas eſſe immortales, & ſperamus tandem aliquando omnes reſurrecturos longè decētius, & rationabilius, Aſperſione aquæ Luſtralis ſiue benedictæ in funebri officio, fidem noſtram proteſtamur. Nēpe ſicut arborem de qua ſpes eſt, quòd redeunte vere refloreſcet, licet autumno & rigida hyeme, cùm eius folia exciderint, viſa ſit emori, aqua irrigamus plantas nouellas donec firmas altaſque radices egerint aqua aſpergentes: Sic & corpora quæ benedicta luſtralique aqua aſpergimus fore quamuis mortua ad tempus, in iudicio viuificanda, &

redi

rediuiua futura. Quam fidem & ſpem Christianorum (quę eſt reſurrectio mortuorum, ait Tertullianus vetuſtus auctor) hac cęremonia palam profitemur. *Tertul.*

Nunc congruo ordine, De orationibus pro requie defunctorum, conuenit vt dicamus, contra Lutheranos, Caluiniſtas, & alios huius farinæ Hugnoticos. Nota eſt imprimis & omnibus obuia Canonica Machabæorum hiſtoria ex 2.lib.cap.12. *Quomodo vir fortiſſimus & religioſus Iudas curauit ſacrificia offerri pro mortuis, miſſis in eum finem donis & muneribus in Hieruſalem ad ſacerdotes iuſtè & religiosè de reſurrectione* (nempè à peccatis non tantum de corporis ſuſcitatione, nimirum quoad pœnarum purgatoriarum redemptionem & perſolutionem ſeu relaxationem) *cogitans. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis,* id eſt, pœnis illis temporalibus debitis, *ſoluantur.* Canonicam dixi hiſtoriam, quia Catholica Eccleſia quæ Euangelium approbat, mihique legendum credendumque tradit (iuxta illud vulgatum D. Auguſtini: Euangelio non crederem niſi ad id me Eccleſiæ auctoritas commoueret. *2.Mach. 12.* *D. Aug.*

Contra Epiſtolam fundamenti ſeu Manichæi) ipſa eſt quæ Spiritus ſancti magiſterio, Machabæorum libros (vt cum de Encæniis dicemus, latius proſequemur) comprobat, & tanquam canonicos recipit, nobiſque illos commẽdat. Abdias libro 3.in vita Sancti Andreæ recitat eum audita cuiuſdam pœnitentis morte, pro illo oraſſe, vt in pace quieſceret. In omnibus Liturgiis Græcorum Diui Iacobi, Diui Baſilij, & Diui Chryſoſtomi fit memoria defunctorum (vt videre eſt in codice vtraque lingua Græca & Latina impreſſo) apud Latinos in Miſſa, diſertis verbis orat pro defunctis ſacerdos, Memento, inquiens, famulorum, &c. qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis: Ipſis Domine locum refrigerij, lucis & pacis vt indulgeas deprecamur: &c. Diuus Auguſtinus tomo.9. Meditationum capit.40. ſic orat. Præſta fidelibus defunctis requiem ſempiternam. Frequenter quoque apud eos qui foris ſunt, hoc eſt, prophanos Scriptores, Turcos & modernos Iudæos de precibus & ſuffragiis pro mortuis, fit expreſſa mentio. Refert ſiquidem Diodorus li. 1.parte 2.cap.5. de Ægyptiis: Antequam ſepeliatur corpus permittitur lege, volenti mortuum accuſare: Si comprobatur malè vixiſſe, iudices ſententiã ferunt, qua cenſent cor- *Litur. Græc.* *D. Aug. tom. 9. Meditatio. c. 40.* *Diodo. li. 1. part. 2. c. 5.*

pus eius ſepulchro priuandum : Cùm deeſt accuſator, cognati ad Laudes mortui conuertuntur, ordientes à pueritia ad viri ætatem , eius erga Deos religionem & virtutes cæteras commemorantes. Inuocatis verò inferis Diis, precantur vt eum inter pios locent , Nota ſedulò hæc poſtrema verba : tum demum ſepeliunt. Hæc Gentilis Scri-
Herod. lib.2. ptor. Iſti Ægyptij, vt ſcribit Herodotus libro 2. primi extiterunt , qui dicerent animam hominis eſſe immortalem. Non igitur abhorret à verò hanc illis inſediſſe opinionem, vt in defunctorum gratiam preces funderent.
Cuſpin. de Cæſaribus. Quoad Turcas ſcribit Cuſpinianus libro de Cæſaribus. f. 589. cùm ait de religione Turcorum , Quòd frater quidam qui captiuus 22. annis miſeram ſeruiuit ſeruitutem, quodam opuſculo teſtatur : Apud eos conſtructa Xenodochia , à Regibus dotata pro peregrinis aduentantibus, vbi & aluntur ſacerdotes nonnulli, qui pro fundatoris anima officia quotidie dicunt. Hæc ibi. Scripſit & alius Italicè de moribus Turcorum (*i coſtumi di Turchi* inſcri-
Giouanā tonio Ital.li.2. cap.19. bitur opuſculum) natione Ianuenſis, proprio nomine Ioannes Antonius nuncupatus, vulgò *Giouanātonio Genoueſe* libro 2.capit.19.(fuit autem apud illos decem annis captiuus) Turcos ſua lingua, cùm ſuos efferunt mortuos , illis ita bene precari, Subahan, illa, id eſt, Si vertas Italicè , *Dio habbi miſericordia di luy* Latinè ſic ſonat, O Deus illius miſerere, illi propitius eſto & parce Domine. Ecquid aliud eſt , quàm quod dicimus , Miſerere , Ieſu pie, animabus defunctorum ? Bernardus de Luxemburgo agens de Purgatorio §.1. Sciat lector Hæreticos purgatorium non intraturos , ſed infernus eorum erit hoſpitium & Saraceni eorum erunt iudices. Nam & hi purgatorium ponunt. Dicit enim Machometus in Alcorano in decimo articulo fidei ſuæ : Crede quòd homines tranſibunt per purgatorium , & ibi ſtabunt , alij amplius, aliqui minus. Et lato: Purgantur animæ in campis Eliſeis. Hactenus ibi.

Genebr. in Mahzor. De Iudæis modernis ſcripſit , vir æquè pius ac doctus Hebraïcarum profeſſor regius literarum , S. T. D. Genebrardus, Ex officio quo vtuntur Iudæi , inſcripto Mahzor Sanctæ Synogogæ, quòd cùm ex pheretro ſuorum corpora extrahunt , vt terræ committant , dicunt : Animæ veſtræ
Iſa.57. vita perfruantur ſempiterna. & *Requieſcat anima ipſius in cubili ſuo in pace* (ex Iſaïa capit. 57. deſumptum.) Fagius Hæreticus in libro cui titulus eſt, Targum , in Deuteromio

mio ca.14. cæremonias modernorum recitat Iudæorum, vbi & hoc habet, Requieſcat anima eius & dormitio eius in pace. Verba Hebraïca ſi quis deſideret ibi inueniet quibus referendis, ne ſim prolixior, ſuperſedeo. Et Ioannes Mercerus libro de Abbreuiaturis Hebr. Rabinorum, memorat huius temporis Iudæos lapidibus ſepulchrorum amicorum ſuorum inſcribere ſolitos: Sit anima eius in horto paradiſi, ac quoties inſcriptis meminerint ſuorum magiſtrorum, ſic ſcribere, עליו תשלום id eſt, qui in pace quieſcat, vel ſuper quem pax: vel ברחו ערן id eſt, Requies eius Paradiſus (ſub.) ſit: vel ſic בפשובבן ערן יתין Sit anima eius in horto ſeu paradiſo deliciarum. Hæc ille. Conſentit Dominus Ioannes Gropperus, Articulo 4. cap.19. de Euchariſtia: Etiam hodie Iudæi ex veteri more, pro ſuis vita functis fratribus & ſororibus precantur. Precatio quam in eorum Synagoga præcentor alta dicit voce, & populus repetit, eiuſmodi eſt: Memor ſit Deus animarum eorum, & collocet eas in paradiſo, cum Abraham, Iſaac, & Iacob, & aliis Sanctis, &c. quemadmodum Antonius Margarita, à Iudaïſmo ad Chriſti fidem traductus, ſcribit, libello illo ſuo cui titulum fecit: Vniuerſa Iudæorum fides. A.2. In margine ibi apud Gropperum habetur: Scribitis Iudæos habere libellum quendam, quem Memorem vocent, in quo vita functi conſcripti ſint, vnde ſingulis annis ter eorum nomina è ſede quadrangula vel ſuggeſtu quadrato, quem Almemorem vocent, recitantur. Hactenus ibi.

Fagius I Deut. c. 14.
Mercer. libr. de Abbreuiat. Rabinorũ.
Ioan. Grop. ar. 4. ca. 19. de Euchar.
Anton. Margar.

Quibus omnibus ritè expenſis exactéque penſatis, clariſſimum euadit Ethnicos, Iudæos, ac Turcos pro defunctorum animabus orare ſolitos. Adeò propter animorum immortalitatem, hæc fama apud omnes percrebuit nationes, cunctas peruaſit gentes, apud cunctos peruagata eſt populos, nedum eos qui Chriſtiano nomine cenſentur. Confundantur proinde Hugnoſtici qui pro defunctis ſuffragia auerſantur.

Et quid de Patriarcha illorum moderno veſano ac impudico Beza dicturi ſunt? Cui doctiſſimus Genebrardus Reſponſione ad Danæum fol.31.pag.1.obiicit, ex eiuſdem Bezæ Iconibus anno 1580. Geneuæ apud Ioannem Latoinum impreſſis, Tui, inquit, oblitus (Nam veritas aliquando ex inuitis pectoribus erumpit) precaris pro Iulio Cæſare Scaligero mortuo. Quid enim intereſt inter, *Quieſcite*

Beza Hæreſiarcha.
Genebr. Reſponſ. ad Danæum.

igitur in Christo pij manes, &, Requiescant in pace, Amen? Hæc ille. Manes autem dicuntur animæ à corpore separatæ. Etiam Beza pro mortuis orat in Poëmatibus suis impressis anno Domini 1548. in Epitaph. Simonis Grinæi, Sic:

At tu summe Deûm vasti qui pondera cœli
Dirigis,
Grinæum insontem dilectis orbibus infer.

Damianus à Goës. Præterea Damianus à Goes eques Lusitanus, de fide & moribus Æthiopum sub Imperio Ioannis, refert quòd anno Domini 1534. Legatus eiusdem Imperatoris Episcopus affirmauit quòd mortui cum crucibus, & orationibus sepeliuntur & eleemosynas, inquit, pro eis offerimus: quas credimus ipsis animis in purgatorio degentibus maximè prodesse. *B. Seuerus li. de Ritib. Syrorum.* Et B. Seuerus Patriarcha Alexandrinus, libello de Ritibus Syrorum, Guidone Fabricio Boderiano interprete, declarat quòd in missa post commemorationem Sanctorum, Defunctorum quoque fidelium fit memoria patrum, fratrum, ac præceptorum his verbis: Deus præsta eis requiem bonámque memoriam: Iterum in Syriacæ linguæ elementis: Tribue requiem Domine Deus animabus defunctorum: Tu Domine accipe animas seruorum tuorum, quorum memoriam facimus, & colloca eos, Domine mi, in mansionibus benedictis domus patris tui cum Abraham, Isaac, & Iacob amicis tuis, & cum omnibus sanctis. Quid plura? Quibus hæc non sufficiunt, nec fusiora quoque satisfaceret. Huic igitur finem imponimus tractatui, *Constitutio Nouella Leonis.* citata Leonis Imperatoris Constitutione 4. Verisimile est, inquit, nonnunquam defunctorum memoria instante, ob defectum sacerdotis, præsentem memoriæ diem nullo facto sacrificio elabi: vt inde & qui hîc viuunt, & quos altera vita tenet, vtrísque non exiguum damnum obueniat: Colligitur itaque à contrario, maximũ defunctis commodum ac emolumẽtum prouenire, ex sacrificio oblato & precibus in eo fusis. In summa, Concludere ex his haudquaquam difficile fuerit Purgatorium esse. Nam pro his qui vita potiuntur, & fruuntur æterna, quos in Sanctorum Catalogum retulit Ecclesia, non opus est orare. Iniuriam enim facit martyri qui orat pro martyre, *D. Aug.* Doctore D. Augustino: Neque pro damnatis orauerit vllus (si huius rei certior fieret.) Etenim est peccatũ ad mortẽ (vt in quo quis finaliter impœnitens decesserit)

non pro eo dico vt roget quis, inquit D. Ioãnes primæ Epi. c.vlt. Cùm igitur pro Sanctis martyribus, quorum orationibus debemus nos commendare, nefas sit orare: Similiter pro damnatis in inferno (de quo nulla est redemptio) Reliquum est vt pro his qui sunt in medio statu, nempe pro existẽtibus fidelibus in Purgatorio, preces & sacrificia Deo offeramus. Ergo est purgatorium, vt credunt Catholici: Negant verò Hæretici. Quibus semel dictum sit, quòd pro ipsis decedentibus nullum, re vera, purgatorium erit, sed infernus (nisi maturè & seriò resipuerint) illis paratus est: quia qui non credit, iam iudicatus est ait Christus. Hæresis Aërij fuit, Negare preces pro defunctis, vt ait Epiphanius contra Hæreses. 75. *1. Ioan. c. vlt.* *D. Epiphan. cõ. har. 75.*

Et hæc vidua erat. Iesus ergo misericordia motus super eam dixit, Noli flere, &c.

Christus à Psalmographo nomine patris orphanorum & iudicis viduarum nuncupatur. *Ipse enim pupillum & viduam suscipiet*, Ecclesiastici 35. *Nónne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & à maxilla ascendunt vsque ad cœlum.* Exod. 22. *Viduæ & pupillo non nocebitis, ait Dominus. Si læseritis eos vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem illorum &c.* Isaiæ 10. *Væ qui condunt leges iniquas, vt sint viduæ prædа eorum, & pupillos diriperent.* In primitiua Ecclesia ab Apostolis ordinantur Diaconi Act. 6. in ministerium viduarum, vt scilicet necessaria illis ex facultatibus Ecclesiæ subministrarent. Nam nutriebantur olim viduæ sumptibus Ecclesiæ. Hinc D. Paulus? *Viduas honora, &c.* Viduarum specialem curam gesserunt Prophetæ. Etenim ad Sareptanam viduam mittitur Helias, non tam vt ab ea pasceretur tempore maximæ famis, quàm vt eam aleret. Viduæ Eliseus multiplicauit oleum. Ioannes Diaconus in vita D. Greg. lib. 2. cap. 44. narrat. Iudicium pro vidua, quo mansuetudinem & clementiam suam declarauit Traianus Imperator: Consolatúsque est viduam quandam super filio suo innocenter eo regnante interfecto. Historia est huiuscemodi. Quodam tempore Traiano ad imminentis belli procinctum vehementissimè festinanti, vidua quædam processit flebiliter dicens: Filius meus innocens te regnante peremptus est, Obsecro vt quis eum mihi reddere non vales sanguinem eius legaliter vindicare digneris. Cúmque Traianus, si sanus reuerteretur à prælio, hunc se vindicaturum per omnia responderet, vidua dixit: Et tibi quid *Eccl. 35.* *Exod. 22* *Isaiæ 10.* *Act. 6.* *Ioã. Diaco. in vita D. Greg. li. 2. c. 44.*

quid proderit, si alter mihi iustitiam fecerit? Traianus respondit: Vtique nihil. Et vidua: Nónne, inquit, melius tibi est, vt tu iustitiam mihi facias, & pro hoc mercedem tuam recipias, quàm alteri hanc transmittas? Tunc Traianus ratione pariter pietatéque commotus, equo descendit, nec ante discessit, quàm iudicium viduæ, per semet imminens profligaret. Hactenus processit Historia notatu dignissima. Vtinam huius exemplo, Reges & magistratus pro officio, viduarum causas suscipiant, & ius pupillorum conseruent 23.q.5.c. Regum officium ex D. Hieronymo super Hieremiam: Regum officium est proprium, facere iudicium atque iustitiam, & liberare de manu calumnantium vi oppressos: & peregrinis pupillísque & viduis, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium. Vnde de Constantino Eusebius, de vita eius lib.1. c.36. Christophorsono interprete: Viduas mulieres omni ope destitutas recreare cœpit, propriáque ac sua prouisione illis sedulò prospicere. Notent iudices quòd Dominus Isaiæ 1. inculcat: *Iudicate pupillo & viduæ & venite disputemus*, dicit Dominus. In quem locum antiquissimus Tertullianus lib.1. ad vxorem sub finem: Duo ista nomina, ait, inquantum despectui humano, intantum diuinæ misericordiæ exposita suscepit tueri Pater omnium. Vide quàm ex æquo habetur qui viduæ benefecit: Quanti est vidua ipsa, cuius adsertor (id est patronus) Dominus disputabit? Hæc Tertullian. Apostolorum Coriphæus D. Petrus Act.9. Mortuam Thabitam ad preces viduarum suscitauit. Quid plura? Paulinus Nolanus Episcopus, vt scribit D. Gregorius Magnus, lib.3. Dialogorum cap.1. Rogatus à vidua se vicarium ad inseruiendum pro eius filio vltro obtulit, séque vendi in seruum passus est. Quodam die, ait de illo auctor præfatus, quædam vidua aduenit, quæ à Regis Vandalorum genero, suum filium in captiuitatem ductum fuisse perhibuit, atque à viro Dei eius pretium postulauit, si forte illius Dominus hoc dignaretur accipere, & hũc concederet ad propria remeare. Sed vir Dei magnopere petenti fœminæ quid dare potuisset, nihil apud se nisi se inuenit, petentique fœminæ respondit, dicens: Mulier quòd possum dare non habeo, sed memetipsum tolle, seruum me iuris tui esse profitere, atque vt filium tuum recipias, me vice illius in seruitium trade. Quòd illa ex ore tanti viri audiẽs, irrisionẽ potius credidit, quàm compassionem. At ille,

Decretũ *D. Hieronymy.* *Euseb. de vita Const. li. 1.c.36.* *Isaia.1.* *Tertull. lib. 1. ad vxor.* *Act.9.* *D.Greg. li.3.Dialo.c.1.*

At ille, vt erat vir eloquentissimus, atque apprime exterioribus quoque studiis eruditus, dubitanti fœminæ citius persuasit, vt audita crederet, & pro receptione filij sui, in seruitium Episcopum tradere non dubitaret. Perrexêre igitur vtrique ad Africam. Procedente autem Regis genero, qui eius filium habebat, vidua rogatura se obtulit, ac priùs petiit vt filium ei donare debuisset. Quòd cùm vir barbarus typho seu vento superbiæ turgidus ac gaudio transitoriæ prosperitatis inflatus, non solùm facere, sed etiam audire despiceret, vidua subiunxit, dicens: Ecce hunc hominem pro eo vicarium præbeo, solummodo pietatem in me exhibe, mihíque vnicum filium redde. Cúmque ille venusti vultus hominem conspexisset, quam artem nosset inquisiuit. Cui vir Dei Paulinus respondit, dicens: Artem quidem aliquam nescio, sed hortum bene excolere scio. Quòd vir gentilis valde libenter accepit, cùm in nutriendis holeribus quia peritus esset audiuit. Suscepit itaque seruum, & roganti viduæ reddidit filium. Quo accepto vidua ab Africana regione in Italiam ad Campaniæ partes, vnde venerat, discessit. Paulinus verò excolendi horti suscepit curam. Postmodum autem ex Dei manifestatione, Sanctitate viri cognita, cum omnibus ciuibus suis captiuis, Nolam liber reuersus est non sine honore. Patet ergo quanti fecerit propter Christum viduam illam vir Sanctus, pro cuius filio vicarium se præbuit, ac in seruitium tradidit, illum videlicet imitatus qui formam serui assumpsit, ne nos essemus serui peccati. Cuius sequens vestigia Paulinus ad tempus voluntariè seruus factus est solus, vt esset postmodum liber cum multis. Hæc ibi. Vidua hæc conijcitur fuisse nobilis & diues, cùm esset turba ciuitatis multa cum illa, quæ illum in funere comitaretur. Si pauper fuisset aut plebeia, non ingenua, sed è fece populi, vix tam multos habuisset comites. Dicit enim scriptura, *Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere & hi quos habuit separantur.* Prouerb. 19. & Poëta. *Prou. 19.*

Dum fueris fœlix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Misericordia motus, &c. Quamuis non rogatus, viduæ tamen lachrymis mouetur, hinc nos admonens, vt simus erga afflictos & desolatos misericordes. Luc. 6. *Estote misericordes.* Iam alibi dictum est de ara misericordiæ Psal. 118. *Misericordia tua multa Domine.* Cui proprium est misereri *Luc. 6.* *Psal. 118.*

& parce

& parcere. Obserua hìc dictum. *Quàm cùm vidisset Dominus. &c.* Absolutè & sine additamento. Nemo verò absolutè *Dominus* in Scripturis dicitur, nisi Deus, Isaiæ 42. Ego Dominus, hoc est nomen meum, Psal. 67. Dominus nomen illi, & Christus verus Deus, cũ mitteret discipulos ad soluendam asinam, Matth. 21. *Dicite*, ait, *quia Dominus his opus habet.* Lucas igitur absolutè Dominum vocans, ostendit Deum esse & Dominum vniuersæ creaturæ.

Isa. 42. *Psal. 67.* *Mat. 21.*

Noli flere, &c. D. Chrysostomus in 2. cap. ad Hebr. Homil. 4. in exhortatione morali: Cùm video lamentationes super eos qui ex hac vita migrarunt, & vlulationes & ineptias alias, credite mihi, erubesco. Dic mihi quid sibi volunt istæ lampades tam splendidæ? Quid etiam hymni? Vt non contristemini, ait Paul. 1. Thessal. 4. *Sicut qui spem non habent.* Cogita quid psallas in illo tempore. *Reuertere anima in requiem tuam,* quia Dominus benefecit tibi. Et iterũ: *Non timebo mala quoniam tu mecum es:* at tu inebriaris ex luctu. Idem rursus tom. 5. ad populum Antiochenum Homil. 69. Quid orare sacerdotes exhortaris? Nónne vt in requiem transeat defunctus & propitium iudicem habeat? Pro his ergo luges & vlulas? Et quid faciam? Talis est natura. Non est naturæ crimen, neque rei consequentia: sed nos sumus, qui confundimus omnia, qui mollescimus, & propriam prodimus generositatem, & infideles reddimus peiores. Multi quidem apud Gentiles, licet de resurrectione scientes nihil, sibi defunctis filiis coronati sunt, & apparuere candidati, vt præsentem tantum gloriam consequerentur: Tu verò neque propter futuram, agere muliebriter & plangere desistis. Illud cogita quòd nõ immortalem genuisti, & nisi nunc mortuus fuisset, hoc paulò post sustinuisset. Sed virum non habes: habes tamen consolatorem patrem orphanorum & iudicem viduarum. Audias & Paulum huiusmodi beatam vocãtem viduam, atque dicentem 1. Timoth. 5. Quæ verè vidua est & desolata speret in Deum. Idem Homil. 70. Cuius titulus est, Quòd pro defunctis lugendum non est, sed orandum. Quid ardentes, quæso lampades sibi volunt? Nónne tanquam athletas eos comitamur? Quid autẽ hymni? Nónne glorificamus Deũ, & illi gratias agimus, quia iam defunctum coronauit, absoluit à laboribus, & ab incertitudine sublatum penes se retinet? Nónne hymni propterea? Nónne propterea Psalmodiæ? Hęc omnia sunt gaudentiũ. Lętus enim est aliquis? Psallat.

D. Chrysost. Homil. 4. ad Hebr. *1 Thes. 4*

Psallat. Deinde subiungit: Quid psallas cogita cùm ad illum perueneris locum: Cõuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Et iterum, Non timebo mala, quoniam tu mecum es, & rursum, Tu es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me. Quid isti velint psalmi recogita. Hucusque os illud aureum. Verùm dicet aliquis, Quomodo flere mortuum Dominus prohibet, cum Ecclesiastici 22. & 38. dicatur, Supra mortuũ plora, & in mortuum produc lachrymas? Abraham super Saram defunctam: Ioseph, super patrem suum Iacob fleuisse legitur, Nam in Ægypto 70. diebus lugetur Iacob, & 30. diebus Moyses à filiis Israël. Dauid 2. Reg. 1. Saulem & Ionatham defleuit, Iudam Machabæum omnis Israël, &, quod omnibus præponderat Christus Lazarum amicum Ioan. 11. *Et lachrymatus est Iesus*, & dicebant: *Ecce quomodo amabat eum*! Ibidem de Magdalena dicebant Iudæi: *Quia vadit ad monumentum vt ploret ibi, &c.* De ea ipsa Ioan. 20. *Mulier quid ploras?* Flebat enim ad monumentum Christi. Respondeo: Non prohibet Deus pias & modestas seu religiosas lachrymas, sed immoderatas, vt non absorbeamur tristitia desperationis, quasi spem nullam de resurrectione haberemus. *Modicum*, ait sapiens Ecclesiastici 22. *plora super mortuum.* Nominatim autem huic à Domino dicitur, Noli flere, quia iã in proximo suscitaturus erat filiũ eius. Materiam igitur gaudij ei præbens, meritò lachrymas fletumque prohibet. Cesset luctus, in præsenti est consolatio.

2. Reg. 1.

Ioan. 20.

Eccle. 22

Tetigit & loculum, &c. Valde apposité dixit Euangelista, loculum, diminutiuè, ad retundendam superbiam & ambitionem cupiditatemque humanam. In eum sensum Satyrographus Iuuenalis Satyr. 10. de Alexandro Magno insatiabili, cecinit: »

Iuuenal. Satyr. 10

Vnus Pelleo iuueni non sufficit orbis
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Sarcophago contentus erit: Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula.

Eusebius de vita Constantini libr. 4. cap. 30. fertur cuidam ex suis dixisse, qui inexplebili cupiditate & auaritia occæcatus erat, Quousque tandem, ô bone, hanc inexplebilem auaritiam cumulamus? Deinde cùm corporis humani perfectæ ætatis circumscriptam mensuram hasta quam manu tenebat, humi impressisset: Omnes, inquit, vitæ diuitias & totius orbis opes, si domi haberes plus hoc à me circum

Euseb. de vita Constant. lib. 4. ca. 30.

circumscripto agello, non possidebis, si & illud fortè posse-deris. Hæc beatus Imperator.

Ephes.5. *Adolescens tibi dico surge, &c.* Ephes.5. *Surge qui dormis & exurge à mortuis, illuminabit te Christus. Ego* (qui habeo claues vitæ & mortis) *dico tibi mortuo*, cuius est etiam imperium meum audire, Omnes etenim audituri sunt vocem filij Dei, &c. Vocat ea quæ non sunt, ait Apostolus tanquam ea quæ sunt.

Cœpit loqui, &c. Et reddidit eum matri suæ, &c. Hæc ad veritatem & certitudinem resurrectionis maximè faciũt, Non erat spectrum seu phantasma: Mouebatur. *Resedit,* ait Euangelista, *qui erat mortuus. Loquebatur, & redditus est matri.* Vt nedum verbis, sed etiam factis, desolatam matrem Christus consolaretur. Scribit Egesippus, de excidio Hierusalem libro 3. capit. 2. quòd Simon magus adorsus suscitare defunctum adolescentem Romanum incantauit carmina: visus est defunctus caput agitare, Petrus tunc dixit: Si viuit defunctus, loquatur: Si resuscitatus est, ambulet: phantasma est quòd videatur caput mouisse. Petrus autem orationi intentus ait: Adolescens surge, sanet te Dominus Iesus: statim surrexit & locutus est, ambulauit & cibum sumpsit, & dedit eum matri suæ. Consimiliter Marc.12 Marc.5. de Archisynagogi filia annorũ 12. suscitata à Christo, dicitur: *quòd ambulabat, & dixit seu iussit dari illi manducare.*

Magnificabant Deum dicentes, Propheta magnus surrexit in nobis & Deus visitauit plebem suam. Propheta magnus, auctor nimirum vitę & destructor mortis, Qui dedit voci suæ vocem virtutis, qui est resurrectio mortuorum, *surrexit in nobis.* De quo Moses vaticinatus fuerat: Prophetam de gente vestra suscitabit vobis Dominus. *Visitauit nos oriens ex alto.* Luc.1. Luc.1. Per viscera misericordiæ. Cui laus sit per æterna sæcula. Amen.

***

FERIA



FERIA SEXTA, POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMAE.

De Lazaro suscitato.

Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Marthæ & Mariæ sororum eius. Miserunt ergo sorores eius ad Iesum dicentes. Domine ecce quem amas infirmatur. Ioannis 11.



PRO explicanda Lazari historia à D. Augustino exordiri libet. Is tom. 9. in Ioannem in cap. 11. Inter omnia miracula, inquit, quæ fecit Dominus, Lazari resurrectio præcipuè prædicatur, & quendam quasi obtinet principatum, quod circa Lazarum operatus est signum. Nec sine grandi mysterio, vndecimo cap. Euangelista illud recensuit, vt tacitus insinuaret huius præ cæteris magnitudinem atque excellentiam. Norunt docti decadem siue denarium numerum esse perfectum, & terminum seu limitem omnium numerorum. Hunc autem numerum transcendit vndecimum caput huius historiæ, vt indicetur hoc miraculum omnem excedere mensuram, & numerum superare, ac super omnem esse virtutem naturæ & intelligentiæ creatæ. Adde quòd appositè vndecimo loco statuta est hæc narratio, vt quasi centrum in medio sphæræ positum à quo ad circumferentiam omnes lineæ ducuntur æquales, meritò videri possit. Vtrinque enim, tam à parte anteriori, quàm posteriori habet decem capita. Quæ omnia in vnam collecta summam, ad vnum & viginti perueniunt. Quibus numeris in vniuersum D. Ioannis Euangelium absoluitur. Cuius finis & scopus ab eodem planè indicatur, dum dicit: *Hæc scripta sunt vt credatis quoniam Iesus est Christus filius Dei, &c.* Ad faciendam verò fidem quòd Iesus est filius Dei, maximè valet hæc Lazari quatriduani tam stupenda suscitatio, ipso Christo assertore, *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt*

D. Aug. tract. 9. in Ioann. cap. 11.

glorificetur filius Dei per eam. Et iterum ad Martham: *Nónne dixi quia si credideris videbis gloriam Dei?* Et rursus ad patrem: *Propter populum circunstantem dixi, vt credant quia tu me misisti.* Bene igitur occupat medium locum eiuscemodi narratio. In medio enim consistit virtus. Suscitauerat quidem Dominus filiam Iairi principis Synagogæ sed adhuc funere calente, corpore adhuc in domo parentum morante. Suscitauit & vnicũ matris, sed sic vt anticiparet sepulturam, vt corruptionem suspenderet & præueniret fœtorem, vt ante mortuo vitam redderet, quàm tota mortuus iura mortis intraret. Circa Lazarum verò quod geritur, totum singulare est: Cuius resurrectio cum prædictis nihil commune habet, circa quem vis tota mortis impleta est. Erat siquidem nedum mortuus, sed sepultus, & iam fœtebat quatriduanus. Ideò autem mortem eius ad quatriduum vsque prorogari voluit, & vsque ad fœtorem præualere, vt discipuli dubium non haberent posse Dominum post triduum adhuc recentem surgere, cùm seruum vidissent post quatriduum surgere iam fœtentem, & crederent illum facile posse sibi vitam reddere, qui alium taliter reuocaret ad vitam.

" *Miserunt sorores ad Iesum, &c.* Seruant decorum hæ Sanctæ mulieres. Non vagantur, non iter arripiunt ad remotiora loca non discurrunt, aut hac illacve circursant, sed domi stant, domus fidæ custodes, vt honestas decet matronas D. Apostolo monente tit. 2. *Adolescentulas*, inquit, *hortare esse οἰκουρούς*, ad verbum, *domus custodes, domus curam habentes.* Vt testudo nunquam à domo discedit: sic & ipsæ domi maneant. Hinc Plutarchus tomo 1. Opusculorum de coniugalibus præceptis: Eleiorum Venerem Phidias fecit, quæ testudinem calcaret: quo signo mulieres domi sibi degendum esse monentur. Ibidem: Ægyptiorum mulieres maiorum instituto calceis non vtebantur, vt domi meminissent tempus esse exigendum. Probę matrisfamiliâs symbolum, Domi manere, sicuti contra foris vagari adulteræ; de qua Prouerb. 7. *Mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, & garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere: pedibus suis nũc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians, procacique vultu blandiens.* Quia egressa est Dyna filia Iacob, vt videret curiositate ducta filias regionis Sichem. Genes. 34. vitium seu stuprum passa est à filio principis Sichimitarum.

Plut. to. 1. opusc. de coniugal. præcept.

Proue. 7.

Gen. 34.

Domine

Domine ecce quẽ amas infirmatur, &c. Quasi dicat, D. Augustino interprete ac commentatore, Non amas & deseris, imò necesse est, si amas vt bene velis. Si bene vis, vt benefacias. Tuum enim bene velle, benefacere est. Solus es cuius ipsa voluntas opus est. *Quem amas.* Quasi dicat, Tua hîc causa agitur. Amici tui salus periclitatur: Ergo amicitiæ leges æquum est te seruare, & amicis in rebus afflictis non deesse. Si quidem *Amicus certus in re incerta cernitur*, vt vulgò iactatur. Hic iam apertè vides quomodo Deus amicis suis afflictiones tribulationesque immittit. At dices, Cur id ita facit? Quia probè intelligit fauoribus & prosperis rebus homines sæpe insolescere, sicque in æternum perire. D. Aug.

Itaque, quemadmodum si quis nobilis vir accipitrem habeat quem permagni æstimet, illum compedibus quibusdam deuinciat, oculisque capitium apponat: ne scilicet auolare aufugereque valeat: Sic Deus amicos suos compedibus vincit, affligit laboribus, afficit infirmitatibus, ac sollicitat ærumnis, ne scilicet superbia elati, *prodeat quasi ex adipe iniquitas eorum*, vt verbis psalmographi vtar, & ne contingat illis, quod Deuteronom. 32. de populo ingrato scribitur: *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Calamitates quidem & res aduersæ nos ad Deum ipsum reducunt, atque mala quæ nos hîc præmunt ad Deum nos ire compellunt, inquit magnus ille Gregorius. *Fœlix verò necessitas quæ nos ad meliora compellit. Imple facies eorum ignominia,* ait psaltes diuinus, *& quærent nomen tuum Domine.* Dauidem cùm multis beneficiis exornasset Dominus, cùm eum ad regiam dignitatem euexisset, cùm Prophetiæ donum infudisset, cùm triumphum de Goliath concessisset, cùm encomium illud à mulieribus, *Saul percussit mille, & Dauid decem millia*, decantari permisisset & prouidisset, attamen ne aliquo modo propter tanta munera superbiret, datus est illi Saul in persecutorem, ad virtutis patientiæ exercitium. Si Ioseph cum à patre plus cunctis amaretur, gratusque existeret oculis Phutipharis domini sui cui inseruiebat, ne tantus amor ac indulgentia eum fortè perderet, permittente Deo à fratribus suis venditus, in Ægyptum deportatus, & in carcerem coniectus, atque compedibus vinctus fuit. Audi porro Apostolum ita de se loquentem: *Ne magnitudo*

Deut. 32.

D. Greg.

reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet, &c. Quid Eliam, Ezechiëlem, ac aliquammultos Deo charissimos commemorem? Elias certè Deo familiarissimus ac prodigiis & signis clarissimus, in persecutionem tamen Iezabelis impiissimæ, Deo sic ordinante, incurrit. Ezechiël ne fortè multis reuelationibus elatus insolesceret, vocatur & sæpe quidem à Domino, Filius hominis. Thobiæ seniori ab Angelo dicitur: *Quoniam probatus eras & Deo acceptus, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Sic Iob per patientiam ante illum, exercitatus & imprimis clatus, ad posteritatis exemplum trãsmittitur: Sic denique quicunque plus Deo dilectus, ab eodem in virga disciplinæ paternæ visitatur, eruditur, castigatur. Prouerb. 3. Apocalip. 3. *Quem enim diligit Deus corrigit: Flagellat autem omnem filium quem recipit.* Id efficiens, ne terrenis allecti, nimium retardentur animi nostri, quominus ad Deum rectà pergant.

Proue. 3. *Apoc. 3.*

Contingit siquidem per sæpe viatoribus, vt si fortè viderint amœna aliqua & opaca loca, ad ea ab ipsa itineris sui rectitudine digrediantur & diuertant: Ita plerique rerum mundanarum fallaci pulchritudine illecti, in eisdem rebus consenescunt. Quod ne fiat, aduersa electis à Domino immittuntur. Quod olim in filiis Israël adumbratum videmus, Quos Dominus permisit vt Pharao persequeretur, quatenus ea persecutione ardentius ad terram promissionis properarent. Et certè si quis vel in insulam aliquam maximè solitariam secessisset, vbi tamen sibi omnia necessaria abundanter suppeditarentur, is ferè nullo desiderio redeundi in patriam teneretur. At verò si ibidem fame cruciaretur, si laboribus opprimeretur, si in omnium rerum indigentia versaretur: tunc sanè & magnis equidem suspiriis natale solum exoptaret, ad illud suspiraret, & anhelaret. Nam & Iacob tamdiu in domo Laban commoratus est, quamdiu ad palatum suum ferè omnia geri conspexit, nunquamque de reditu ad patriam deliberauit cum effectu. At verò vbi res ex voto suo minus gerebantur, statim ad ipsum iter se accinxit.

Hoc facto sororum ad infirmum, Christum medicum accersentium & conuocantium, instruimur in infirmitatibus nostris medicos spirituales imprimis euocandos à nobis, vt in Euangelio de Centurione latius prosecuti sumus. Priùs namque Dei auxilium, quàm medici inuocandum

dum ac implorandum est. Nunc verò inuertitur ordo, &c. Non audent salutem petere, sed tantùm necessitatem suam illi demonstrant, Domine non est tuum diligere & obliuisci. Amicus tuus grauiter infirmatur: proinde quod magis nobis expedit & conducit, pro tua in nos beneuolentia, summaque in rebus gerendis prudentia tua benignus imparti: *Tua misericordia adiiciat, quod nostra oratio non præsumit* (vt dicitur in quadam Ecclesiæ collecta) *Fiat voluntas tua.* Sic nos orare conuenit.

Non proponunt Domino, amorem quo Lazarus illum diligeret, sed è contrario. Nam amor Dei erga nos est immensurabilis, & propter hunc nobis beneficia confert.

Quòd si ad amorem nostrum esset respectꝰ, modica vel nulla nobis distribueret largireturve beneficia. Sic Isaiæ 43. *Doleo iniquitates tuas propter me.* Et alibi, *Vniuersa propter semetipsum fecit altissimus.* *Isaiæ 43.*

Ecce quem amas infirmatur. Quomodo? Tu Domine dixisti Isaiæ 3. *Dicite iusto quòd bene illi succedet:* Cur ergo huic, alioquin iusto, quem tu amas, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Diligit Dominus iustos*, ait Regius Vates, malè interim successit? Dico, iusto semper bene succedere tam in infirmitate, quàm in sanitate. Romanorum octauo. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: Hoc simili persuadetur. Cùm clauum figere vis, altera manu clauum tenes ne cadat, altera tundis, & quò fortius, eo figitur altius: Sic Deus suæ iustitiæ manu dum aliquem tundit, altera misericordiæ manu sustentat & tenet, ne cadat in impatientiam. Psalmo trigesimo sexto. *Iustus non collidetur: supponit enim Dominus manum suam.* Quò plures tribulationis ictus fuerint, eò firmius in Dei amore sancti permanere solent. Symbolum palmæ, *Pressa valentior.*

Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei. &c.

Videris Domine, iuxta sæcularium hominum morem & consuetudinem loqui. Nam infirmum inuisentes, sic eum fermè alloquuntur: Bono animo esto frater: bene sperare te iubeo, non morieris ex hoc morbo, tandem conualesces.

Infirmitas hæc non est ad mortem. Hæc dicens Satanas primam seduxit mulierem, *Nequaquam moriemini.* Idem nunc hoc verbum in ore multorum ponit vt hominem

lecto decumbentem ab agenda pœnitentia reuocet ac remoretur: Non est ex importunis istis ac molestis visitatoribus infirmi vllus, aut certè rarus admodum qui cum Propheta dicat Isaia, *Dispone domui tuæ, quia morieris & non viues.* Omnes verò dicunt: *Nequaquam moriemini.* Quid Domine? Loqueris nunc sicut & illi. Respondeo, Non negat Dominus absolutè illum esse moriturum, sed apertè fatetur hanc infirmitatem non tam esse ad mortem, quàm ad Dei gloriam ordinatam ac prouisam. Quinimo ipsa mors (ait D. Augustinus in Ioannem) non erat ad mortem sed potiùs ad miraculum. Et licet ex illa infirmitate mortuus fuerit, tamen non fuit ad mortem ordinata infirmitas, quia videlicet mors inde consecuta diuturna, ad μακροχρονια, id est, longinqui temporis nō fuit, quemadmodum aliorum mors, qui sic moriuntur, vt postea inter viuos locū habituri non sint, ante generalem omnium resurrectionem, *Vt glorificetur filius Dei per eam.* Dixerat supra Ioan. 5. *Venit hora vt omnes qui in monumentis sunt, audiant vocem filij Dei, &c.* Contra opposuerunt Iudæi cap. 10. dicentes: *Dæmonium habet & insanit, quid eum auditis?* Vt ergo glorificetur, & insaniæ non arguatur filius Dei, in Lazaro ostendere voluit, quod in vniuerso hominum genere facturus est.

D. Aug. in Ioan.

Ioan. 5.

Cap. 10.

Vt ergo audiuit tunc mansit in eodem loco, &c. Quomodo audiens amicum infirmari, non festinat, imò verò, adhuc duos dies expectat? Hoccine est diligere! Verùm audi causas. Ideo tardat vt moreretur, & sepeliretur, ac perueniretur ad experimētum resurrectionis. Eatenus ipse tardauit.

Eamus in Iudæam iterùm, &c. Vbi persecutores sui erāt, Non ad voluptates aut mūdanas delitias suos ducit Christus imò ad crucem. *Si quis venit ad me, & non fert crucē suam post me, inquit, non est me dignus.* Vt amico ferret opem In Iudæam se conferre deliberat. An non igitur fidus amicus, in necessitate vel maximè oportunus? Quis neget? Verùm, ais, non statim accurrit, cunctatur plurimum, Vnde sicut Fabius Maximus apud Roman. Historiæ Scriptores Plutarchum ac Valerium & cæteros id genus, dictus est, Cunctator: de quo vetustus Poëta Ennius.

Plut. & Val. ac alij. Ennius.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Ad hunc planè modum Christus etiam nuncupari posset, cùm tandiu tardando ad amicum venire cunctetur. In procinctu causa est. Euentus namque consilium Domini

faci

facilè declarat. Si enim statim abiisset, non vitam mortuo sed salutem ægro reddidisset: quam alius naturę, alius medicinæ, alius etiam casui tribueret, pauci diuinæ virtuti. Atque ita hoc opus, nec tam magnificè gloriam Dei illustrasset, nec tantum homini beneficium contulisset. Ideoque dedita opera distulit remedium, vt maius impenderet beneficium. En quò tendat diuinæ miserationis dilatio, quantumque vtilitatis ex ea dilatione sequatur. Frequenter citò concessa nocent, quæ diu dilata profuissent. Hinc discamus, fratres, patienter misericordiam Dei præstolari. Non enim tardat Dominus, sed magis saluti nostræ hæc mora consulit. *Qui crediderit*, ait Isaias cap. 28. *Non festinet*, non statim despondeat animum, quamuis ad tempus non videatur exauditus, ad instar patientissimi Iob, constantissimè professus. capit. 13. *Etiamsi occiderit me in eum sperabo*. Hoc est poterit mihi mors vitam eripere, vt spem in morte abiiciam & deponam, efficere nullo modo poterit. Prouerb. 14. *Esa. c. 28* *Iob. c. 13.*

Sperat iustus in morte sua. Huius symbolum est. *Spero quandiu spiro*. Huius prophetici dicti, *Qui crediderit, non festinet*, Hæc est intelligentia, Qui crediderit, inquit Isaias non existimet Christum non esse venturum, si statim non venerit, *Non festinet*. Christus enim veniet. Nam iuxta Habacuc, cap. 2. Nemo desperet quia *veniens veniet*, & promissa sua complebit. Hoc ideo dicit Isaias quia videbat difficilè esse fragiles homines de promissionibus Dei aliquando non dubitare. Nolite, ait D. Paulus Hebr. 10. *amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulumque qui venturus est, veniet, & non tardabit*. Sed de his satis.

Rabbi, Nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Quasi eum dehortari & dissuadere vellent à profectione sua deterrentes eum ex nouissimo quod euaserat periculo. Quasi dicant: Nemo prudens sese in periculum temerè coniecerit. Non enim debet tentare Deum. Vitabit incommoda si potest, quicunque recta ducitur ratione. Id enim cuique à natura tributum est, vt ea quæ nocitura sunt, fugiat & auersetur. Proprio periculo sapere oportet nedum alieno, Recens est eius rei memoria, nec temporis diuturnitate obliterata. Quomodo ergo iterum vadis

illuc? Nunc nũc lapidibus te obruere conabantur. Vulgò Gallicè dicitur. *Chat eschaudé craint l'eau froide.* Vtinam tot malis ac plagis non ita pridem à nobis toleratis, prudentiores euadamus ac emendemur. Auis si semel casses, retia vel laqueos euaserit, vix ac ne vix quidem in illos se vnquam coniiciat. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Prou.1. Noli ergo in Iudæam reuerti. Apud Macrobium lib.2.Saturnaliorum c.7.Publij Mimographi sententiæ leguntur, inter quas ista celebratur: *Improbè Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.*

Prou.1. Macro. lib.2.Satur.ca.7. ex Pub. Syr.

Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die non offendit, &c. Quasi dicat Dominus, Homo mutabilis est. Solus Deus est in quem mutatio cadere non potest. *Ego Deus & non mutor.* Malach.3. *apud quem non est transmutatio,* inquit D.Iacobus. Plutarchus tom.2.Opuscul. lib. de vitiosa verecũdia, Plato cùm Heliconi Cyziceno daret ad Dionysium literas, commendauit illum vt humanum ac modestum, Deinde in calce literarum adscripsit: Hæc autem tibi scribo de homine animante, natura mutabili. Sic nunc Christus: *Nonne 12. sunt horæ diei?* Si tunc volebant me lapidare, modò tamen non facient, quia cum tẽpore potest voluntas mutari. Erat enim prouerbium apud Iudæos & adhuc est apud nos, quod de mutatione propositi, lapsu successuq; tẽporis vsurpatur: *Duodecim sunt horæ diei.* Atq; ita nũc Christus loquitur. Sol ab oriente in occidẽte 12. horarum spatio, diẽ vsualẽ seu ciuilẽ perficit. Neque in hominum arbitrio & potestate est vt ante 12. horas occidat, in æquinoctio: Ita etiã de me futurũ est ait Christus, Tota hominum fortitudo ac machinatio me occidere non poterit, ante horam à me constitutam. Et eousque nemo vestrum offendet præsentię meæ luce ductus. *Nemo misit in eum manus quia nondum venerat hora eius, ait Euangelista.*

Malach. 3.

Lazarus amicus noster dormit, &c. In vtroque testamento vsitatus est hic loquendi modus: *Dormiuit ille cum patribus suis. Obdormiuit in Domino.* Vbi & dormientium nomine, qui mortem obierunt intelliguntur. Somnus Lazari in morte desinit. Vnde psal. Cum dederit dilectis suis somnum. Christus palàm deinde & sine prouerbio dicit, Lazarus mortuus est. Nec abludit, quod à Poëta scribitur:

Ouid. *Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago?*

Hinc somnum & mortem germanos fratres, *ὕπνον καὶ θάνα*

θάνατον finxit Homerus. Vnde D. Gregorius Nyssenus, Oratione 3. de Resurrectione Christi circa fines vergente. Nonnulli, inquit, externi sapientes, germanum mortis, somnum vocarunt propter similitudinem eorum, quæ in vtroque accidunt, affectuum & perturbationum. Obliuio namque pariter & ignorantia præteritorum & futurorum in vtroque contingit: Corpus sine sensu iacet, amicum nõ nouit, inimicum ignorat: circumstantes & spectantes non videt, &c. nihil differens ab his, quæ in loculis & sepulchris reposita sunt. *Homer.* *D. Greg. Nyssen. ora. 3. de Resur. Christi.*

Perinde nimirum dormientem (si velis) compilas, ac si mortuus esset euacuas & exhauris ædes, vincula iniicis, ac nullus eorũ quæ fiunt sensus interuenit. Hactenus ille. Ælianus libro 2. Varia. Historiar. in hunc sensum refert, quòd Gorgias Leontinus ad finem vitæ spectans, & benè senio confectus, cum aduersa valetudine correptus paulatim in somnum prolaberetur, & quidam ex necessariis accedens inuisendi causa, quomodo se haberet, quæreret: Iam, inquit, me somnus incepit suo fratri tradere, hoc est morti. Nam mors Græcis θάνατος, est masculini generis, vt ὕπνος somnus, germanus eius frater. *Aelian. li. 2. Var. Hist.*

Domine si dormit saluus erit, &c. Quoad homines quidẽ mortuus erat Lazarus, sed Christo dormiebat. Nullus quippe tanta facilitate posset aliquem excitare à somno, quanta Christus Lazarum resuscitare valebat à tumulo. Adde quòd amici Dei non tã mori quàm dormire dicũtur, cùm extremum diem claudunt, ob spem beatæ resurrectionis: & quia dormiunt in somno pacis, de sua beatitudine certi ac securi: &, vt inquit Scriptura, *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Tunc consolantur, vt de altero Lazaro dixit purpurato diuiti, *Pater Abraham.* Luc. 16. At discipuli non somnum illum mortis, sed dormitionis naturalis æquiuocè intelligentes, responderunt: Si dormit, saluus erit. Solet esse somnus, ait D. Augustinus, ægrotantium salutis initium. Stobæus sermon. 98. de morbis ex Euripide, *D. Aug.*

O gratum somni lenimen, auxilium morbi,
Quàm suauiter ac tempestiuè mihi, aduenisti.

Theophylactus sic exponit, Volentes impedire dicunt: Satis est, *si dormit saluus erit.* Non est necessarium vt nos abeamus: imò nedum non necessarius est aduentus tuus, sed & amico damnosus, cùm sit ei somnus ad salutem. *Theoph.*

Somnus mors ſanctorum vocatur, vt diſcamus non horreſcere mortem. D. Hieron. to. 1. in vita D. Hilarionis dicẽtis in extremis: *Egredere anima mea quid dubitas?* 70. prope annis ſeruiſti Chriſto & mortẽ times? In hæc verba exhalauit ſpiritum. De ſancto Martino canit Eccleſia, Qui nec mori timuit, nec viuere recuſauit. Surius tomo 2. in vita Diui Ambroſij auctore Paulino presbytero. Dicebat ille ægrotans, non timeo mori, quoniam bonum Dominum habemus. Cupio diſſolui dicebat Apoſtolus, & eſſe cum Chriſto. Quemadmodum defatigatus homo & laſſus ſomnum & quietem exoptat: Sic poſt tot labores ſancti mortem expetebant clamantes cum pſalmiſta: Educ de carcere animam meam: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.

D. Hieronymy. to. 1. in vita, D. Hila.

Lazarus mortuus eſt, &c. O Sancte Deus, fieri ne potuit mortem aduerſus elegantem adoleſcentem diuitem atq; potentẽ præualuiſſe? Etiam, mortuus eſt. Quàm rectè dicit D. Bernardus alicubi: Mors ſenibus quidem pro foribus: iuuenibus autem in inſidiis eſt. Iuuenes, ait item Seneca, mortem habent à tergo, ſenes ante oculos. Breuiter, *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram quæ non reuertuntur. 2.* Regul. 14. Sic apertè Dominus locutus eſt, Quoniam de dormitione ſomni putauerunt illum dixiſſe. Lazarus dormit, &c. Non intelligebant carnales adhuc diſcipuli cœleſtis philoſophiæ idiomata, in qua iuſtorum obitus, non mors ſed ſomnus appellatur. Sicut enim qui dormit, poſt modicum tempus excitatur, vt ad intermiſſum vitæ vſum redeat: ita iuſtorum corpora exiguo temporis ſpatio terræ gremio condita, velut in lecto conſopita iacent, quæ paulò poſt in reſurrectione futura ad intermiſſam vitam redibũt. Quam verò exiguum ſit ſomni huius ſpatium, declarat planè reſponſio illa, quæ ſanctis in Apocalypſi corporum ſuorum reſurrectionem deſiderantibus, data eſt, qua modicum expectare iubentur, donec fratrum ſuorum numerus impleretur. Itaque totum hoc ſpatium, quod ante futuram reſurectionem interiectum eſt: Modium appellatur. Quid enim totum hoc, ſi cum æuo ſempiterno conferatur, niſi modicum, aut etiam momentum vnum eſt?

D. Bern.

Senec.

2. Regul. 14.

Gaudeo propter vos, quia non eram ibi, &c. Quomodo de amici interitu gaudet? aut ſi gaudet, cur poſtea fleuit? Solutio eſt in hoc verbo, *Propter vos:* Gaudebat propter

diſci

discipulos, flebat propter Iudæos, eorum scilicet deflens incredulitatem. Vt audientes me scire absentia, ædificemini in fide diuinitatis meæ, dicentes cum Iob, *Nulla te latet cogitatio.* Vt etiam ex meo affectu discatis verum esse illud: *Ego diligentes me diligo*, Prouerb.8. & ædificemini ad proximi charitatem, atque vt ait Chrysologus sermo.63. vt discipuli dubium non haberēt posse Dominum post triduum surgere, quum seruum vidissent quatriduanum, iam fœtidum suscitatum, vt supra attigimus, atque hoc modo ædificentur ad fidem suæ omnipotentiæ. Gaudium ergo Christi est, si credamus eum omnia scire, omnia posse, & nobis optimè affectum esse. Hæc omnia in eo sermone *Propter vos*, implicitè continentur. *Prou. 8.* *Chrysolog. serm. 63.*

Dixit Thomas, Eamus & nos, & moriamur cum eo, &c.

Hoc, si consideremus & distinguamus tempora, non tam ex animi fortitudine, ante receptum Spiritum sanctum, quàm ex quadam veluti pusillanimitate & diffidentia, dixisse Thomam certum est. Quasi dicat, Siquidem seipsum & nos in manifestum conijcit periculum. Sequamur: nec enim euasuros nos esse spes vlla reliqua est. Sicque despondentis animum verba sunt potiusquam confidentis.

Veruntamen post receptionem Spiritus sancti, magna cum fiducia dixerunt Apostoli: *Eamus & moriamur cum eo, imò pro eo.* Excusat interim Thomam & reliquos charitas & affectio erga Christum. Nolebant eum perire: Sicut serui Dauid: *Ne extinguas, dicebant illi, Lucernam in Israël* 2. Reg.21. Discipulorum erga præceptorem gratitudo & beneuolētia iudicatur. Laërtius lib. 4. in Xenocrate Chaldaïco (qui à primis annis Platonis auditor fuit) Cùm Platoni. Dionysius diceret: Caput tibi quispiam tollet, Aderat hic, ait, & suum ostendens: Nullus, inquit, id prius quàm istud abscindet. Idē lib.2. in Socrate, Cùm illi dixisset Æschines, Pauper sum, & aliud habeo nihil, meipsum autem tibi do, An verò tu, inquit, non animaduertis, quam mihi maxima tradas? Scribit Nicephorus lib.11.c.22. Valens Imperator Arianus Edessæ persecutionem exercuit, Significatū est ex parte eius Christianis, ne in Oratorio D. Thomæ Apostoli extra vrbem in campo conuenirent, aliàs deprehensi grauiter punirentur. Hāc denunciationem parui pendentes Edesseni, alacrius diluculò illuc perueniunt. Quod vbi Modesto præfecto indicatum est, is ad campum *2. Reg. 21* *Laërtius lib. 4. in Xenocr. & lib. 2. in Socrate.* *Nicepho. li.11.c.22*

conten

contendit, & in mulierculam incidit manu puellũ raptantem & acurrentem. Interrogans cur tantopere festinaret, & quò? Respondit, in campum in quo veræ pietatis cultores sunt congregati, vt æqualia cum illis consequar præmia. Subiungens autem, Puerum cur ducis? Vt & ipse, ait honoris eius particeps fiat. At ille videns tantam alacritatem in fœmina, Imperatori denuntiauit, sicque conseruata fuit multitudo illa. Hæc in summa ibi. Idem lib. 7. cap. 6. Tempore Diocletiani Imperatoris Christianorum persecutoris, quum natalis Christi festus adesset dies, & multitudo ætatis omnis Christianorum in templo apud Nicomediam natalem celebratura conuenisset, Tyrannus veluti opportunum tempus nactus, misit eo qui templum clauderent, ignem circum circa accenderent: Aderat ibi præco qui promulgabat, vt qui viuere vellet, ex templo exiret, & in proxima Iouis ara thura adoleret, alioqui vnà cum domo ipsa conflagraturus. Quidam pro multitudine in templo respondit: *Omnes nos Christiani sumus: Vnum Deum credimus esse Christum*, & ipsi sacrificare, & nos omnes vnà offerre parati sumus. Tunc ignis est accensus, qui temporis momento illos omnes viginti millium numerum explentes, in cinerem redegit. In Kalendario Græcorum 28. Decembris ponitur festum celebre, Bis decem millium martyrum in Nicomedia vstorum. Vnde concluditur, Sanctos quamplurimos pro Christi quo ardebant amore, seipsos consecrasse & morti obtulisse quàm libentissimè, illud clara voce protestantes: *Eamus & nos & moriamur cum eo.* Vel vt doctissimus Iansenius in Concordia Euangelica scribit ad hunc locum, *Moriamur cum eo*, magis refert Lazarum quàm Christum. Sic ergo intelligebat tunc temporis D. Thomas. Moriamur cum eo scilicet Lazaro: Sicut & Dominus supra indefinitè fuerat locutus: *Eamus ad eum*, scilicet Lazarum quasi Apostolus dixisset, Accedamus ad mortuum Lazarum, vt cum mortuo etiam moriamur. Siquidem ille tunc diffidebat, ipsos præseruandos ab offendiculo, & Lazarum posse à morte resurgere, vt postea præ aliis magis dubitauit de Christi resurrectione, vt idem Ioannes de eo refert cap. 20. *Nisi videro non credam*, inquit.

Nicepho. 2. li. 7. c. 6

Kalẽda. Græcorũ.

Multi Iudæi è Hierusalem venerant Bethania ad Mariam & Martham, vt consolarentur eas de fratre suo, &c.

Vide Iudæos erga sorores istas nobiles, lachrymis super fratris

fratris obitu perfusas, charitatẽ exercuisse: vel ob sanguinis nobilitatẽ, vel certè cognationem quandam, aut, quod verissimillimum est, propter locorum viciniam: vel denique contractam quandam & conciliatam honestam amicitiam: Sicut & ad consolandum Iob in sua graui plaga & tribulatione, tres eius amici profecti leguntur. Veluti etiam cum vidua in Naym (vt supra diximus) multa ciuitatis turba describitur, quæ nimirum eam in eius luctu consolaretur, Hic autem obseruandum est: Quæ sit vera Christiani consolatio in luctu suorum. Illa nimirum quam D. Apostolus porrigit, de certissima fide ac spe resurrectionis omnium, per Christum & quòd *capillus de capite nostro non peribit*, authore Christo: itemque *quòd non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius*. Et rursus, quòd *mortali homini induet immortalitatẽ ac incorruptionem*. Quod denique *iusti in perpetuum viuent*: & reliqua similia frequenter in sacris occurrentia. *Vt non contristemini*, inquit D. Paulus, *sicut & cæteri qui spem non habent; Consolamini inuicem in verbis istis*. Ne putes filium aut fratrem, cum moriens hinc recedit, te amittere, sed potiùs præmittere. Quod ex sacra Iob historia persuadebitur facilè. Cùm enim duplum eorum omnium quę amisisset, restituit ei Dominus, non tamen duplum filiorum: Sed quot ab eo liberos sustulerat, tot reddidit: vt patet ex collatione cap. 1. & 42. Ibi: Septem millia ouium abstulerat initiò, Quatuordecim millia dedit in fine. Tria millia camelorum abstulerat: sex millia reddidit. Iuga boum quingenta abstulerat: Mille verò dedit in fine: Quingentas asinas abstulerat, Et mille postea reddidit: Filios decem abstulerat, Totidem nec plus reddidit. Vnde hoc quòd in filiis non duplicatur numerus, sicut & in cæteris omnibus rebus ablatis? Responsio in promptu est: Quia filij erepti ex hac vita non perierant, sed in meliori seruabantur: Duplũ non reddidit, quia verè amissi, nõ erant. Credebat eos vitam æternam viuere. Sicque filios suos etiam duplicatos habuit, sicut & reliqua: vt patet rectè perpendenti. Ita æquum est cogitare nos defunctos nostros, verè amissos non esse, sed adhuc viuere. Abel defunctus adhuc loquitur. Heb. 11. *Non est Deus mortuorum*, ait Christus apud Matthæum contra Saducæos negantes resurrectionem, sed viuentium. Hæc tum demum vera & Christianorum consolatio, in funeribus & exequiis defunctorum.

Iob 1. & 42.

Heb. 11.

Dixit

Dixit Martha ad Iesum, Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus. Ecce postquam mortuus fuerat, vocat eum fratré. Cum defunctis fidelibus fraternitatem etiam seruemus: Atqui nos fratrum non recordamur. Congruit illud Psalmographi, *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde: ô ingratitudinem & inhumanitatem!*

Si fuisses hic. Credit Martha solam Christi præsentiam sufficere potuisse contra vim mortis? Tamen prodit infirmitatem suam. Ita enim loquitur, quasi Christus absens fuerit, Secundò, Existimat Christum non nisi corporaliter præsentem posse auxiliari: Tertiò putat non aliter quàm oratione sua operari miracula cùm subdit.

Quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus, &c. Quid ais mulier? Iudex ipse est quem tu desideras aduocatum. In hoc dantis potestas est, non necessitas est rogantis, ait Chrysologus Ser. 63. Nefas est & impium prorsus, sic orationes nostras ad Christum formare, Christe Saluator ora pro nobis, Id Arianismum saperet: sed sic orat Ecclesia: *Christe miserere.* Persona enim diuina est, & vnum suppositum diuinum: Non duo, sed vnus Christus filius Dei, quem orando interpellamus, qui & exaudit nos: *Christe audi nos, Exaudi nos: χριστὲ ἐλέησον* in Litaniis & supplicationibus publicis orat Catholica Ecclesia.

Chrysolog. Ser. 63.

Obserua Marthæ hanc fuisse fidem, certissimámque eius animo hæsisse persuasionem ex maiorum traditione, quòd Piorum virorum precibus defuncti iuuarentur, maximéque subleuarentur. Vnde cùm Christum sanctitatis opinione imprimis celebrem, virum sanctissimum crederet, Deóque vnicè charum, qui ab eo facilè exaudiretur si pro anima fratris eius orare dignaretur: Id prorsus videtur voluisse, cùm diceret, *Quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Adiunctis etiam his sequentibus verbis: *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei, &c.* Implorabat igitur pro fratre à Christo orationũ suffragium & auxilium dicens, Quęcunque poposceris à Deo. Vt scilicet pro quiete fratris, ac refrigerio animæ eius deprecaretur. Martha credidit precibus iuuari fratrem. Non enim eum vt à morte excitaret, tunc temporis Martha postulasse Christum videri potest: Cùm id fieri posse nullatenus, falsò crederet, sed ad futurum nouissimumque diem, fratris suscitationem remitteret, dicens.

Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Reliquum est igi

est igitur, vt pro salute animæ fratris, Christum orare cuperet. Consentit & illud quòd in B. Magdalenæ collecta seu oratione dicitur: *Cuius precibus exoratus quatriduanum fratrem ab inferis resuscitasti.* Orauerunt igitur bonæ sorores pro fratre defuncto. Et nos debemus pro defunctis orare, vt fusius supra prosequuti sumus.

Resurget frater tuus, &c. Poterat Christus Martham arguere: verùm afflictæ non addidit afflictionem, sed potius consolationem. Quasi dicat Christus, Quid ploras, Martha, fratrem tuum quasi omnino perierit? Ignoras quoniam *Iustorum animæ in manu Dei sunt?* Sap. 3. Hæc est vera consolatio. *Scio*, ait Iob. cap. 19. *Quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, &c.* Diuus Chrysostomus Homil. 61. in Ioannem, inuehitur contra muliercularum insolentius mortuos deflētium insaniam, his verbis: Quid facis mulier? Nónne te Deum offendere arbitraris? Nónne ridebunt gentiles? Nónne fabulam nostram putabunt religionem? Dicent enim nullam esse resurrectionem: Illusiones omnium Christianorum dogmata putabunt. *Sap. 3.* *Iob. c. 19.* *D. Chry. Hom. 61.*

Haud enim aliter quàm si nihil post mortem remaneat, mulieres lamentantur, non attendunt scripturis, omnia illa figmenta ipsæ credere videntur. Si quidem se crederent mortuum non esse mortuum, sed ad meliorem vitam translatum, non vtique ipsum tanquam nihil esse deplorarent, non tantas efferrent voces incredulitatis indices: Nunquam te amplius videbo. Deinde subiungit: Non ita gentiles effœminantur. Multi apud eos philosophati sunt: & cùm audisset mater filium in prælio cecidisse, mox rogauit, quomodo se respublica haberet. Et alius philosophus coronatus, cùm audiret filium pro patria cecidisse, coronam deposuit: Inde sciscitatus quomodo cecidisset, vt fortiter occubuisse cognouit, in caput statim coronam reposuit. Spartanæ autem mulieres hortantur filios, vt clypeum è prælio referant, aut super eo occumbant. Ideo pudet me hæc gentiles sapere, nos imprudentes esse. Qui de resurrectione nihil intelligunt, intelligentium opera faciunt: qui intelligunt, ignorantium. Atqui Dominus inquit, Matth. 5. *Beati qui lugent.* Peccata videlicet, quæ nemo luget, nemo animæ suæ curat perditionem. Quod lugere non iubemur, id lugemus. Quid inquit? Cùm homines simus de morte hominis nō est lugendum? *Matt. 5.*

Nunquid

Nunquid ego hoc prohibeo? Minimè lugere, ſed impudenter lugere veto. Non ſum immanis atque crudelis. Videam naturam dolere, & quotidianam requirere conſuetudinem. Non licet nullo affectu moueri, quòd & Chriſtus oſtendit. Lachrymatus eſt ſuper Lazaro, eius ſequere exemplum: lachrymare, ſed leniter, & pudenter, & cum Dei timore. Si hac ratione lachrymas fundes, non reſurrectionis diffidentiæ argueris, ſed ægrè ferre clariſſimè diſiunctionem videberis. Nam & peregrè proficiſcentes lachrymis proſequimur, non tamen vt mortuos: ita & tu lugeas, tanquam præmiſeris peregrinum. Hæc ego non vt præceptor, ſed vt permiſſor, humanæ fragilitatis conſcius admoneo.

Quòd ſi peccator, & qui ſæpenumero Deum offenderit, moritur: is deflendus eſt, vel potius minimè, cùm nihil illi afferat vtilitatis, ſed ea facienda, quæ ei aliquid conferre poſſint, eleemoſynas, oblationes. In hoc lætandum eſt, quòd malitia eius abſciſſa eſt. Quòd ſi iuſtus, rurſus lætandum, quòd in tuto collocatur quòd liberatus eſt futura formidine. Si iuuenis, quòd ex medio malorum ereptus eſt: Si ſenes quòd eo diutius vſus quòd maximè deſiderabile videbatur, vitæ ſatietate migrauit. Poſtea ſubdit. Honor mortuo, non fletus eſt, non eiulatus, ſed hymni & pſalmi, & vita optima. Vis mortuum honorare? Fac eleemoſynas. Deinde quibuſdam interiectis. Et quomodo poteſt, inquit, non dolere qui filium vel vxorem amiſit? Nō dico, ne doleat, ſed ne immodicè. Nam ſi intelligeremus Deum illum abſtuliſſe, quem mortalem virum ac filium habebamus, mox conſolaremur. Indignari enim maius quiddam ſupra naturam quærentis eſt. Homo natus & mortalis, quid doles quòd ſecundum naturam contigit? Nunquid doles, quòd edendo nutriris? Num quæris ſine cibo viuere? Ita & in morte, num quæris immortalitatem? Mortalis natus es, ſemel hoc definitum. Noli dolere, noli te affligere: ſed ama quæ communiter omnibus ſtatuta ſunt. Doleant tibi peccata tua. Hic optimus fletus. Hactenus D. Chryſoſtomus. Vt autem commodius exempla ab eo prolata intelligas: vtar neceſſaria quadam, nec iniucunda digreſſione ex prophanis Scriptoribus. Valerius Maximus lib. 5. cap. 10. Hæc duo proponit. Xenophon cum ſolemne ſacrificium perageret, è duobus filiis maiorem natu, nomine Gryllum apud Mantineam

Valer. li. 5. c. 10.

in præ

in prælio cecidiſſe cognouit, nec ideo inſtitutum Deorum cultum omittendum putauit: ſed tantummodo coronam deponere contentus fuit, quàm ipſam, percunctatus quonam modo occidiſſet, vt audiuit fortiſſimè pugnantem interiiſſe, capiti repoſuit: Numina quibus ſacrificabat teſtatus maiorem ſe ex virtute filij voluptatem, quàm ex morte amaritudinem ſentire. Alius remouiſſet hoſtiam, abieciſſet altaria, lachrymis reſperſa thura deficeciſſet, Xenophontis cor pia religione immobile ſtetit. Idem ibi rurſus: Anaxagoras audita morte filij, Nihil, inquit, mihi inexpectatum aut nouum nuntias. Ego enim illum ex me natum, ſciebam eſſe mortalem, nec viuere aliquem poſſe qui non ſit moriturus.

Hæc ille. Conſentit Ælianus Var. Hiſt. lib. 3. De Anaxagora niſi quod de duobus liberis mentionem facit ſic: Cùm quidam Anaxagoræ Clazomenio nuntiaſſet duos liberos eius mortuos eſſe, quos etiam ſolos habebat: Ille nihil perterritus aut affectus nuntio, Reſpondit: *Sciui eos mortales natos eſſe.* De Xenophonte item, Audiens ille filium cum victoria mortuum eſſe, receptam coronam iterum repoſuit. Hæc, inquit, vulgaria ſunt & multorum ſermone celebrata. Addit inſuper ſequentia Dion Platonis diſcipulus, publica quædam & communia negotia tractabat: Eius filius à lecto delapſus in atrium, vitam cum morte commutauit. His nihil commotus eſt Dion, neque mutatus: ſed conſtanter in eo quòd inceperat efficiendo, perſeuerauit. Antigonum ſecundum aiunt, cùm aliqui filium eius ex acie mortuum reportarent, vidiſſe quidem ipſum, ſed vultum non mutaſſe, neque verò lachrymas fudiſſe: ſed collaudatum, quòd vt fortis miles occubuiſſet, ſepulchro mandari iuſſiſſe. Hoc Ælianus. Plutarchus tom. 1. Opuſcul. in Apohtegmat. Lacenarum. Quędam, inquit, Spartana ſeu Lacæna, cùm quinque ſuos filios ad bellum emiſiſſet, ſtans in ſuburbiis, exitum pugnæ ſolicitè & cupidè expectabat. Cùm autem, quidam inde veniſſet, & ſciſcitanti omnes interiiſſe renuntiaſſet: Atqui non de hoc ſciſcitabar, inquit, mancipium nequam, ſed quo loco eſſent res patriæ. Quum igitur addidiſſet illam vincerę: Libens igitur, inquit, de filiorum etiam morte nuncium accipio. Ibi rurſus.

Ælianus Var. Hiſ. lib. 3.

Pluta. to. 1. Opuſc. in Apotheg Lacænarū.

Alia ſcutum filio præbens, eumque ad fortitudinem cohortans, Fili, inquit, aut hanc, aut ſuper hac, ſcilicet

armatura, refert, vel morere. Quasi dicat, aut tanquam victor refert clypeum, aut cum clypeo generosè & fortiter pro patria mortem sustine. Alia, ait idem, quum pompæ interesset quæ publicè celebrabatur, & filium in prælio victorem fuisse, sed ex vulnerum multitudine interiisse audisset non detracta sibi corona, sed iactabunda illis quæ adstabant dixit, Multò est honestius amicæ in acie vincentem occumbere, quàm Olympia vincentem superstitem esse. Hactenus processerunt ex prophanis exempla. Qui volet huc ex sacris, nempe 2. Reg. 12. Dauidis Regis exemplum, deflere cessantis, vel à luctu surgentis, postquam filium obiisse resciuit, conferet, tractabítque diffusius. Ille enim magna cum patientia voluntati diuinæ se conformare voluit, & alienam mortem, cui remedium adhibere non posset, patienter tolerandam docuit. Necessitati enim parendum est. Verùm de his satis (si tamen vnquam satis) ad textum regrediamur.

2. Reg. 12.

Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die, &c. Fuit apud veteres fides certa resurrectionis mortuorum. In lege Naturæ nempe in Abraham, de quo Hebr. 11. *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur,* ex Genes. 22. & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones, *arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus.* Quomodo hoc sperasset, nisi & mortuorum resurrectionem credidisset? Fides enim (ait ibidem Apostolus) est substantia seu fundamentum rerum sperandum. In Iob similiter dicente: *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum* cap. 19. ibidem. *In nouissimo die de terra surrecturus sum, &c.* In lege scripta pleráque habentur similiter testimonia, vt patet legenti vetus Testamentum: Quasi dicat, Generalem resurrectionem semper credidi, sed quid hoc ad præsentem dolorem? Si spes affulgeret aliqua, eum vel nunc suscitandum fore, hoc me solaretur: sed video fieri non posse, præsertim cùm quatriduanus iam sit & fœteat. Ergo oportet me expectare resurrectionem generalem. Narrat Stobæus Serm. 121. de luctu, quomodo Solon amisso filio flebat, & cùm dixisset quidam nihil eum proficere flendo: Propter hoc ipsum flere se dixit: Sic quodammodo Martha, cùm eam Dominus consolaretur mentione iniecta & spe proposita resurrectionis, illa vicissim retorquens verba Christi. *Scio quia resurget*, inquit, *sed in nouissimo die.* Tandiu absque consolatione & fratris solatio mihi expectandum,

Heb. 11. *Gen. 22.* *Stob. ser. 121.*

spes

ſpes verò quæ in tam remotum differtur tempus, magis meum angit & excruciat animum. Propter hoc vel maximè defleo prædilectum fratrem mortuum. Chryſologus ſerm. 63. Martha ante te eſt reſurrectio, quam tam longè mittis. *Chryſol. Ser. 63.*

Ego ſum reſurrectio & vita. Ego, inquit, *ſum reſurrectio, &c. Ego*, & non alius *ſum*, verus Deus, *Reſurrectio* corporum,& *vita* animarum: *Per quem reſurgunt omnia, per quem viuunt omnia.*

Ego credidi quia tu es Chriſtus filius Dei viui qui in hunc mundum veniſti, &c.

Hoc & Petrus Apoſtolorum caput profeſſus eſt Matth. 16. Eadem eſt fides Apoſtoli & Marthæ, prælatorum ac ſubditorum: nec differunt niſi penes maiorem minoremve explicationem. Sed attende pauliſper, & penitus conſidera, Martha, ſepoſitis tanti mœroris affectibus ac perturbationibus. Si pro quia, iſte eſt Chriſtus filius Dei viui, vt tu credis,& verè ita eſt: quomodo diffidere videris de fratris per illum ſuſcitatione? quomodo ad preces eius confugis, vt pro fratris negotio ad Deum ſollicitatoris & aduocati perſonam ſuſtineat, qui eſt Reſurrectio, per quem omnes reſurgere habent cum corporibus ſuis? Quomodo illi dicis: *Quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus*, qui eſt filius Dei viui, vt te credere aſſeris, patri nimirum conſubſtantialis,ac eiuſdem cum illo omnipotentiæ? Non ſicut ſerui, precibus mortuos reuocat ille ad vitam, ſed ſicut Dominus omnium. Imperio & iuſſu ſuo, etiam mortuos excitat ac viuificat dicens: *Puella adoleſcens tibi dico ſurge. Qui credit in me, inquit, etiam ſi mortuus fuerit, viuet.* *Mat. 16.*

Vocauit Martha, ſororem in ſilentio &c. id eſt ſuppreſſa vel ſubmiſſa voce. Nam quomodo alioqui ſiluit, quæ dixit, *Magiſter adeſt?* Submiſſius autem ac in aurem ſorori loquitur, ne circunſtantes illam Iudæi Chriſti æmuli & aduerſarij, quæ dicerentur exaudire poſſent.

Cito illa ſurrexit &c. Non ſegnis fuit, ad Chriſtum ocius accurrit. Hinc manifeſtum, quòd non præueniſſet eam Martha, ſiquidem cognouiſſet Chriſtum venturum.

Nondum Chriſtus venerat in caſtellum &c. Tardius ibat ne videretur ad miraculum properare, ac ſe ſe ingerere, ſed exoratus hoc facere ait Theophilactus. Sic D. Paulus Hebr. 5. *Nemo aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo quemadmodum & Aaron.* *Theophi. in Ioann. Heb. 5.*

Heb. 5. *Vbi posuistis eum? &c.* Non vt ignorans quærit, qui absens
Genes. 3. sciuit eum esse mortuum. Sic Genes. 3. *Adam vbi es?*

Lachrymatus est Iesus &c. O charas lachrymas, ex quibus
Gen. 45. ad mortuum vita manauit. De Ioseph. Genes. 45. scribitur: *Non se poterat continere Ioseph, eleuauitque vocem magnam cum fletu, quàm audierunt Ægyptij.* Christus fleuisse legitur,
Sap. 7. nascens, sap. 7. Primam vocem similem omnibus emisi plorans. Fleuit super Hierusalem, præuidens eius excidium.
Luc. 19. Luc. 19. Fleuit & super Lazarum. Aliàs ingemuisse etiam
Marc. 7. & 8. dicitur, dum surdum & mutum curauit. Mar. 7. Suspiciens in cœlum ingemuit. &c. Iterum cap. 8. dum quærerent signum de cœlo, Ingemiscens spiritus ait: Quid generatio ista signum quærit? contra obstinationem & obdurationem Iudæorum iustè indignatus. Fleuit denique in cruce
Heb. 5. Hebr. 5. Cum clamore valido & lachrymis exauditus est pro sua reuerentia.

Notatione dignissimum est Christum nunquam risisse,
Cicer. li. 3. Tuscu. quæst. & libr. 5. de Finib. Solinus cap. 4. sæpe autem fleuisse. Ille meritò vocari poterit ἀγέλαστος quasi irrisibilis. Sic olim dictus Crassus nobilis Romanus, vt de illo testantur Cicero non semel, nempe Tusculanarum Quæstionum libro 3. & de Finib. libro 5. Solinus item Polyhistor capite 4. Crassus auus eius quem rapuerunt bella Parthica quòd nunquam riserit, fertur ἀγέλαστος cognominatus.

Ælianus Var. Hist. libr. 4. Contrà verò Democritus teste Æliano Var. hist. libro 4. Quia omnes deridebat, & aiebat eos insanire: Gelasinum, idest, risorem eum ciues sui appellarunt. *Christus beatos*
Matth. 5. *prædicat lugentes* Matth. 5. Ex antithesi autem Luc. 6. riden-
Luc. 6. tibus imprecatur, *Væ vobis qui ridetis ait, quia flebitis.* Lachrymatus est Iesus, quia è sinu Abrahæ Lazarum ad hanc
Eccles. 7. & 4. vallem miseriæ reuocare debebat. Sic Ecclesiastes cap. 7. *Melior est,* ait, *dies mortis, die natiuitatis.* capit. 4. *Laudaui magis mortuos quàm viuentes.* Quod etiam Ethnici consideratione humanæ conditionis ac miseriæ sensisse, testantur Scriptores.

Valer. li. 2. cap. 6. Solin. Polyhist. ca. 16. Herodo. lib. 5. Valerius libro 2. capit. 6. de institutis externis Thracia, natales hominum flebiliter, Exequias cum hilaritate celebrat. Solinus Polyhistor. capit. 16. de Thracibus sic scribit: Apud eos luctuosa sunt puerperia: Recentem natum fletu parens excipit: Controuersum læta sunt funera, adeo vt exemptos gaudio prosequātur. Adstipulatur antiquior illis & vetustior auctor Herodot⁹ pater Historię li. 5.

ſub principio de iiſdem ita referens : Edito puero propinqui eum circumcidentes cum ploratione proſequuntur, ob ea mala quæ neceſſe eſt illi, quod vitam ingreſſus ſit, perpeti: humanas omnes calamitates recenſentes. Hominem autem facto functum, per luſum atque lætitiam terræ demandant, referentes quot malis liberatus in omni ſit felicitate. Pomponius Mela lib. 2. de Thracia agens: Lugentur, inquit, apud quoſdam puerperia, natique deflentur. Funera contrà feſta ſunt, & veluti ſacra, cantu luſuque celebrantur. Hactenus de Thracum moribus in funeribus ſuorum. Quod autem illi agebant ſolo naturæ ductu, & lumine rationis naturalis. D. Ioãnes Euangeliſta ac Theologus in Apocalypſi ex cœleſti pronunciauit oraculo, & ſcribere iuſſus aſſeruit: cap. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* &c. *Apo. 14.*

Ecce quomodo amabat eum &c. Bene amabat, non amauit aut Amauerat? Perſeuerabat enim, non pertranſierat aut effluxerat Chriſti erga Lazarum amor. Ierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te*: & Ioan. 13. *Cum dilexiſſet ſuos vſque in finem dilexit eos.* Prouerb. 17. *Omni tempore diligit qui amicus eſt.* Diligebat eum dum viuens infirmaretur, poſtea quàm mortuus eſt, *Lazarus amicus noſter* dormit. Et poſtquam ſimiliter fœtidus eſſet & quatriduanus. *Ecce quomodo amabat eum!* Si pro lachymis ita ſentiunt Iudæi, recogita quantò feruentius illos amauerit, pro quibus totum ſanguinem fudit. *Hier. 31. Ioan. 13. Prou. 17.*

O immenſam Chriſti charitatem, ac nimium erga nos, vt ſcribit Epheſ. 2. Apoſtolus, amorem? Vnde D. Ignatius egregius doctor & martyr, referente D. Dionyſio de diuinis nominibus cap. 4. Epiſtola ad Romanos in ordine 12. exclamat. ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωθαι. hoc eſt, *Amor meus* (Chriſtus) *crucifixus eſt.* Si paria amicorum aliquot, ab exteris enarrata computentur, vt verbi cauſa, Ex Cicerone lib. 3. Officiorum Damon & Pythias Pythagoræi: Ex Ouid. libro 3. de Ponto Eleg. 2. Oreſtes & Pilades. Ex ſacris bibliis, 1. *Reg. 18. Dauid & Ionathas*, nihil huic exemplo amicorum reperietur æquale. Scilicet Chriſtus Lazari amicus adeò perfectè ipſum dilexit, vt ſatis pro dignitate exponere nemo queat. Narrat Plutarchus tom. 3. Vitar. in Alexandro Magno, quod cum ad Achillis ſtatuam perueniſſet, Fœlicem illum appellauit, quòd viuo quidem tam fidum amicum, mortuo autem tam magnum contigit habuiſſe præconem. Per *Epheſ. 2. D. Ignatius Epiſ. 12. D. Dionyſ. ca 4. lib. de diuin. nomin. Cic. li. 3. Off. Ouid. lib. 3. de Ponto. Eleg. 2. 1. Reg. 18. Pluta to. 3 vit. in Alex. Magno.*

 amicum,

amicum, Patroclum Achilli coniunctissimum, per Præconem Homerum qui laudes eius in Iliade scripsit, intelligens. O verè fœlicem iure dixerim Lazarum, cui Christus talis tantusque contigit amicus! *Ecce quomodo amabat eum!*

D. Aug. in Ioan. *Rursus fremens venit ad monumentum, &c.* D. Augustinus in hunc locum sic adnotat. Fremuit, lachrymatus est, magna voce clamauit, dum vellet Lazarum suscitare. Quàm difficilè surgit, quem malè consuetudinis moles premit, sed tamen surgit, occulta gratia intus viuificatur: Eccl. 10. Ecclesiastici 10. *Languor prolixior grauat medicum. Breuem languorem præcidit medicus.* Sic mala consuetudo difficile deponitur.

Tollite lapidem, &c. Dixerat per Ezechielem Prophetam, *Auferam cor lapideum.* Præcepit vt Iudæi ex se cor tollant: Euoluant perfidiæ saxum: Silicem duræ incredulitatis excludant, ait sermone 65. Chrysologus. Chrysolog. ser. 65.

Tollite lapidem vt magis elucescat veritas, Iudæos iussit tollere lapidem vt miraculo crederent, nec calumniari possent. Hic quærit D. Cyrillus, Cur lapide non amoto, quòd maius esset signum futurum, non suscitauit Lazarum? Respondeo vt videretur à Iudæis præsentibus, in sepulchro mortuus, & postmodū inde resurgens: Et ne eludere valerent, alterum & non ipsum suscitatum fuisse pretexentes: Sicut de cæco nato Iohannis 9. *Quidam ex vicinis, quia hic est, dicebant. alij contra, Nequaquam, sed similis est ei.* D. Cyril. Ioan. Ioan. 9.

Pater, gratias ago tibi quia audisti me: Sciebam autem quia semper me audis, &c.

Non quidem orasse, sed gratias egisse dicitur. *Semper me audis:* Voluntatis identitatem cum patre significat Hebr. 5. *Exauditus est pro sua reuerentia.* D. Augustinus to. 10. Sermone de tempore 140. Legimus quidem Act. 9. 20. Apostolos mortuos suscitasse, Sed illi, vt suscitarent, Dominum orauerunt: suscitauerunt non sua virtute, sed inuocato Christi nomine: Filius autem Dei Lazarum virtute propia suscitauit, Dum imperandi verbo diceret, *Lazare veni foras, &c.* Heb. 5. D. Aug. to. 10. sermon. 104 de tem. Act. 9. & 20.

Lazare veni foras, &c. Idem tomo. 1. de verbis Domini in Ioannem sermone 52. sub finem. Ideo dicit nomen ne omnes mortui cogerentur exire. Expectant audientiam omnes mortui. Subitò vna vox intercepit cæteros. Idem, to. 1 de verbor. Domini in Io. ser. 52

Lazare

Lazare veni foras. Non dilatio vlla retinet resurgentem, Surgit, ambulat, currit. Et sermone de tempore supra citato. Sine dubio tunc mors audita voce Domini omnes mortuos à se potuisset dimittere, nisi propriè vocatum Lazarum cognouisset.

Statim prodijt qui fuerat mortuus ligatus, &c. Ibidem rursus Sanctus pater Augustinus: Dominus duplicem virtutem in Lazaro suæ operationis ostendit: Non enim minoris admirationis est Lazarum ligatum pedibus ambulare potuisse, quàm à mortuis resurrexisse. Concordant Theophilactus & Euthimius in hoc Euangelium. Non minus, aiunt, videbatur esse mirabile vinctum egredi, quàm suscitari. Et miraculum erat verè vinctum moueri coniunctum miraculo resurrectionis. Exclamat verò Euthymius, O maximum ac duplum miraculum! Non solùm fœtidus resurgit, sed etiam qui obuinctus erat, exiuit à monumento. *Theoph. & Euthimius.*

Dixit eis Iesus, Soluite eum & sinite abire, &c. Quibus dixit? inquies. Haud dubiè Apostolis locutus intelligitur: pensatis aliis colatisque scripturæ Euangelicæ locis Ioannes. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, & Matth. 18. *Quæcunque solueritis super terram, erit solutum & in cœlis.* & capit. 21. ad animalia soluenda mittuntur discipuli: *Inuenietis*, ait, *asinam alligatam, & pullum cum ea, Soluite & adducite mihi &c.* Illud autem Apostolis fuisse dictum: *Soluite eum*, disertis verbis non semel testatus D. Augustinus In hunc locum semel tomo. 9. Ioannes 11. Ministris hoc dixit, quibus & Dominus: *Quæ solueritis in terra, erunt soluta in cœlis.* Expressius iterum tomo. 4. li. de ver. & fal. pœnit. capit. 10. Inter eiusdem opera sic habetur: Lazarum de monumento iam suscitatum obtulit Dominus discipulis soluendum, per hoc ostendens potestatem soluendi concessam sacerdotibus Matth. 18. *Quodcunque solueritis, &c.* Habetur etiam ex Innocentio 3. capit. A nobis. Extra de sententia excommunicationis. Vinculum quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissoluitur: Illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cùm sententia remittitur, relaxatur. Quod in suscitatione Lazari sermo Euangelicus manifestat: quem prius Dominus suscitauit, & Apostolis præcepit postmodum soluere suscitatum: Hæc ibi. Ergo peccator in pœnitentiæ sacramento solutus, cum *Ioan. 20. Mat. 18. Ioan. 21. D. Aug. in hunc locum. & to. 4. li. de verbo. & falsid. pœni. cap. 10. Mat. 18. Decret.*

psalmista Domino gratias agat, dicens: Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis psal. 115. Tibi laus & gloria in seculorum sæcula. Amen.



SABBATO POST DOMINICAM QVARTAM QVADRAGESIMAE.

De Luce, & eius proprietatibus.

Dixit Iesus Iudæis: Ego sum lux mundi, Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Dixerunt ergo ei: Tu de teipso testimonium perhibes, & testimonium tuum non est verum. Ioan. 8.



HVius celeberrimæ concionis, tamque profundæ & altæ prædicationis, imprimis aperienda est ex circumstantiis huius Euangelij occasio. A re nimirum præsenti, & veluti è re nata (vt dici solet) captasse videtur occasionem Dominus Christus. Id enim familiare illi fuit: vt cùm Samaritanam alloquebatur ad puteum Iacob, ex aqua fontis occasionem sumpsit loquēdi de dono Spiritussancti: & cum discipulis, ex cibo corporis, loquendi sumpsit ansam de cibo mentis, atque ita sępe. Nunc verò quia matutino tempore, illucescente iam die, in templum venerat, Ex temporis circumstantia, Exoriente nimirum Sole, prædicat dicens: *Ego sum lux mundi, &c.*

Diuinitatis suæ sacramentum aperit. Quasi dicat, interprete Emisseno, Ego sum lux illa, quæ Soli splendorem, oculis visum, & menti tribuit intellectum. Per me Sol splēdet, oculi vident, & anima intelligit. D. iterū Dionis. l. de diuinis nominib. c. 4. Lucis voce, inquit, laudatur optimū, id est, Deus, sed & illuminat potentia omnia, id est, cuncta illuminabilia. Sic diuinę bonitatis significatiua imago, magnus & hic & plenus luce, Sol, & omnia quęcunq; partici-

pare

pare eum possunt illuminat, expandens inuisibilem mundū sursum ad deorsum propriorum luminum claritates, & si quid eas non participat, hoc non infirmitatis est illuminatiuæ eius distributionis, sed per assumptionis luminis importunitatē, id est, materiæ indispositionem. Sed & ad generationē sensibilium corporum cōmittitur, & ad vitā ea mouet, & nutrit & auget, & perficit & purgat ac renouat: Estque mēsura & numerus horarū, dierum, & secundū nos totius temporis, Et cętera quæ illi fusiùs prosequitur. Nō tamen, vt gentes dicunt, Sol Deus est, sed Christus verus Sol iustitiæ, de quo Psalmographus: *Tu fabricatus es auroram & Solem.* Ibidem: *Deus autē rex noster ante secula: operatus est salutē in medio terræ*, scilicet habitabilis, nempe in Hierusalem passus pro hominum salute. Psal. 73. *Omnia per ipsum*, nimirum Verbum, *facta sunt, & verbum caro factum est.* Ioan. 1. Ille nunc verè: *Ego sum lux mundi.* Sap. 13. *Solē & Lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt vani homines, in quibus nō subest Dei scientia.* 1. Ioan. 1. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Ioan. 9. *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* Luc. 1. *Visitauit nos Oriens ex alto*, Cuius rei indicium fuit quod Luc. 2. in natiuitate eius noctis tēpore, *Claritas Dei circūfulsit illos*, pastores videlicet. Ibidem Symeon cōfitetur ipsum esse *lumen ad reuelationē gentium.* Mal. 4. *Vobis orietur Sol iustitiæ.* Quæ erat Christi venturi promissio. Illo moriente, Luc Solis defecit triū horarum spatio. Obserua, Primum verbū in principio conditionis creationisq; omnium, fuit istud: *Fiat lux, & facta est lux.* Eius planè mirabiles sunt proprietates, & quę immensam illā ac diuinam lucem maximè referant. Primò, cum lux affatim omnibus participationē sui locupletissimam præbeat, nunquam tamen minuitur. Secundò, lux pellit tenebras. Ioan. 1. *Tenebræ eā non cōprehenderunt.* Tertiò, lux oculis est gratissima, si sani sint. Aristoteles initiò Metaphysicorum, *Videre sanè præ cæteris expetimus.* Et Ecclesiastes c. 11. *Dulce lumē, & delectabile est oculis videre Solem.* At verò ægris oculis molesta est & exosa lux. 1. Reg. 3. *Hely non poterat videre lucernam antequā extingueretur, quia caligauerāt oculi eius* sic Ioan. 3. *Qui malè agit, odit lucem.* Iob. 24. *Fuerunt rebelles lumini.* Ephes. 5. *Omnia quæ arguuntur, à lumine manifestantur.* Quartò, lux omnibus communis est. Mat. 5. *Solem suum oriri facit super bonos & malos.* Sic non est personarū acceptor Deus. Quintò, lux solis huius ab hominibus extingui núquam potest.

Psal. 73. *Ioan. 1.* *Sap. 13.* *1. Ioan. 1.* *Ioan. 9.* *Luc. 1. & 2.* *Mal. 4.* *Arist. li. 1. Metaph.* *Eccle. 11.* *1. Reg 3.* *Ioan. 3.* *Ephes. 5.*

Quaſi dicat Chriſtus, Quid vos, ô Iudęi inuidi, gloriam meam opprimere conamini? Nunquid nõ deridendi eſtis, ſi ſolem iſtum viſibilem exufflando extinguere, vel è cœlo deiicere tentetis? Simile eſt, quod nomen meũ delere vultis. Sextò: lux non inquinatur contactu immundorum. Septimò lux ſolis alia liquefacit, vt ceram, alia indurat, vt lutum. Octauò, lux licet pluribus communicetur, non tamen minuitur vllo modo ex hoc, neque deperit. Vnde verſus.

Quid vetat appoſito lumen de lumine ſumi?
Mille licet ſumant, deperit inde nihil.

Quę omnia appoſitiſſimè Chriſto conueniunt, qui eſt, *Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ.* Ioan. 1. *Candor lucis æternæ.* Sapient. 7. *Splẽdor gloriæ.* Heb. 1. *Hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël.* Luc. 2. Octauò, lux emi nõ ſolet. Nihil viliori pretio habetur quàm Sol. Dormitis, cũq; expergiſcimini, nec arbitramini, videtis Solem ingredientem per feneſtrã veſtrã, ô quàm gratè ſe hominib. prębet Dei ſumma benignitas, & quàm vniuerſaliter cõmunicatur iis, qui ei aditum patefaciunt, & illũ in domũ ſuam recipiunt. Hoc Chriſtus ſignificat dicens. Ego ſum lux mũdi. Sed Ioan. 3. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim illorum mala opera. O charam lucem! Dicebat meritò ſenior Tobias cap. 5. *Quæ cõſolatio eſt mihi, qui in tenebris ſedo, & lumen cœli non video?* Paradiſus locus lucis nuncupatur: Vnde pro defunctis orat Eccleſia: *Locum refrigerij, lucis & pacis vt indulgeas deprecamur.* Quid eſſet mundus, ſublata de eius medio luce? Hinc Romanæ eloquentiæ parens Cicero lib. de vniuerſo ſcribit. Hac varietate diſtinctum, bene Græci κόσμον, nos lucentem mũdum nominamus. Subſcribit Plinius li. 2. c. 4. Quem κόσμον Græci, nomine ornamenti appellarunt, eum nos à perfecta abſolutáque elegantia mundum. Vnde patet non eſſe nomine κοσμȢ nuncupandum mundum, ſi lucis munere & beneficio careret. Quæ enim elegantia, quæ pulchritudo vlla eſſe poterit, ſi lux abfuerit? An non ſedes beatorum cœlum vocatur Empyreum, non à calore, ſed à ſplendore ac luce? ô bonam lucem! Geneſ. 1. *Vidit Deus lucem quòd eſſet bona.* Sap. 16. *Oportet ad orientem lucis te adorare, Domine.* Sicut & nos Chriſtiani ex traditione paterna, ad orientẽ orare, & adorare ſolemus. Hac proteſtantes cæremonia, Deũ lucem

Ioan. 1. *Sap. 7.* *Heb. 1.* *Luc. 2.* *Ioan. 3.* *Tob. 5.* *Cice. lib. de vniuerſ.* *Gen. 1.* *Sap. 16.*

lucem esse quem adoramus: nosque vt filios lucis non tenebrarum in lucem credere: dicente Christo: *Dum lucem habetis, credite in lucem vt filij lucis sitis.* Ioan. 12. Sol diuinitatis est symbolum. Macrobius, libro primo. In somnium Scipionis. cap. 20. Solem Heraclitus fontem cœlestis lucis appellat, Ibidem, Cor cœli iure dicitur, hoc est, sol in æthere, quod in animali cor. Et Chalcidius in Timæum Platonis, fol. 32. dicit solem cordis obtinere rationem, nam semper in motu est. Item Plinius libro secundo cap. 6. Solem astruit mundi totius esse animum ac planius mentem. Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras. Hic reliqua sydera occultat, Hic cœli tristitiam discutit. Hic suũ lumen cęteris quoque syderibus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, vt principi literarum Homero placuisse vid eo. Nam ille *ἰλίαδ.γ.* ἥελιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις, id est, *Solque qui omnia vides, & omnia audis.* Quod eo sensu verum est, quia suo cuncta collustrat lumine, quasi mundi oculus, & quia stulta gentilitas putauit numen esse quoddam.

Ioan. 12. Macrob. lib. 1. c. 20 Heraclitus. Chalcid. in Timæum. Plin. lib. 2. cap. 6. Homer' ἰλιάδ.γ.

Cicero de natura Deorum libro secundo. Syderum princeps sol, omnia clarissima luce collustrans. Sol dictus vel quia solus ex omnibus syderibus est tantus, vel quia cùm exortus est, obscuratis omnibus, solus apparet. Herodotus libro primo Persas Solem pro Deo coluisse, illique sacrificasse disertè scribit, & libro tertio narrat, septem qui magos interfecerant, pepigisse de regno, hunc in modum: vt sub ortum Solis conscensis equis, dum in suburbanis vectarentur, cuius equus vocem primus edidisset, is regnum Cambysis obtineret. Darius sortem habuit, & illum, tanquam numine præsente regem Persarum electum, adorauerunt, vt ibi fusius refertur. Non dissimile Iustinus Historicus lib. 18. à Tyriorum seruis factum describit, hoc modo: Tyrij à seruis suis multitudine abundantibus indigna supplicia perpessi sunt. Conspiratione facta omnem liberum populum cum Dominis interficiũt, atque ita potiti vrbe, lares dominorum occupant, Rempubl. inuadunt, coniuges ducunt, & quod ipsi non erant, liberos procreant.

Cicer. de natu. deorum li. 2. Herod. li. 1. & 3. Iust. Histor. li. 18

Vnus ex tot millibus seruorum fuit, qui miti ingenio senis domini, paruulique filij eius natura moueretur, dominosque nõ truci feritate trucidauit, sed pia misericordia

ac humanitate respexit. Itaque cum velut occisos alienasset, Seruisque de statu Reipubl. deliberantibus placuisset, regem ex suo corpore creari, eumque potissimum quasi acceptissimum Diis, Qui Solem orientem primus vidisset, rem ad stratonem (hoc nomen ei erat) dominum occultè latentem detulit. Ab eo informatus cum medio noctis, omnes in vnum campum processissent, cæteris in orientem spectantibus, solus occidentis regionem intuebatur. Id primùm aliis videbatur furor, in occidente Solis, ortum quærere: Vbi verò dies aduentare cœpit, hic primus omnibus fulgorem solis summo fastigio ciuitatis ostendit. Non seruilis ingenij ratio visa. Requirentibusque authorem de domino confitetur. Tunc intellectum est, quantum ingenua seruilibus ingenia præstarent, malitiaque seruos, non sapientia vincere. Igitur venia seni filioque data est, & velut numine quodam reseruatos arbitrantes, regem Stratonem creauerunt. Ab Alexandro tandem serui illi perfidi, crucibus affixi sunt.

Quibus duobus eligendi regem exemplis, apertè euincitur Solem orientem diuini numinis quasi tesseram quãdam, ac diuini fauoris portendisse præsentiam. Sed ad sacratiora pergamus misteria. Lux in tribus linguis, trium literarum nomen est. Dicitur enim Hebraycè אור, Græcè φῶς, Latinè lux, ad designandum Trinitatis misterium. Prima litera. א litera. patrem significat: אב pater. Secunda litera. ו. vim habet copulatiuam, pro &, capitur: vnionis hypostaticæ symbolum. Tertia litera. ר capitalis seu initialis est huius nominis, רוח הקדש Spiritum in sanctum significantis. Sol etiam Triliterum vocabulum, Sanctæ Triadis quoddam non incongruum Symbolum habetur. In quo tres proprietates inueniuntur: Corpus nimirum solare, splendor, & calor. Quæ ipsam Solis complent naturam: Sic per primum, Patrem, Per secundum, Filium qui dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, Per tertium autem Spiritumsanctum ab vtroque procedentem, sicut calor ex Solis corpore ac splendore fluit, intellige 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritussanctus: Et hi tres vnum sunt.* Tres nempe hypostases seu personæ, sed vna essentia vel deitas. O Sancta Trinitas, trium scilicet vnitas: *τρία πρόσωπα, μία ὀσία, μία θεότης*: Tres scilicet personæ, vna essentia, vna diuinitas. *τριὰς καὶ ἑνάς*, Trinitas & vnitas. Verùm de sancta Trinitate non plura

Ioan. 5.

ad præ

ad præsens institutum facientia nunc quidem dicturi sumus.

Subdubitare aliquis posset. Quomodo Apostolis dixerit Dominus. Matth. 5. *Vos estis lux mundi*. Et de Ioanne Baptista. Ioan. 5. dicitur: *Ille erat lucerna ardens & lucens ante dominum*: Et de fidelibus scribit Apostolus. Eph. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Respondeo: Christus aliter lux mundi dicitur, aliter Apostoli. Nam Christus est independens & essentialis lux: Apostoli verò dependenter ac participatiuè sic vocantur. De Ioanne quidem Ioan. 1. scribitur: *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Non erat lux per essentiam, sed bene per participationem: Sicut & de Prophetis dicitur: *Ego dixi Dij estis.* Lux mundi dicitur, non vnius vrbis vel regionis sed totius orbis: Non Iudeæ tantùm, sed etiam gentilitatis. Salus enim ac illuminatio omnibus communis est. Isa. 9. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Isa. 42. & 49. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Matt. 5. Ioan. 5. Ephes. 5. Isa. 9. Isa. 42. & 49.

Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, &c.

De quibus tenebris hîc agitur? Non noctis, sed ignorantiæ & erroris. Christus enim sapientia & veritas. Vbi hæc sunt, ignorantia & error esse non possunt. In his totus mundus sedebat, quoniam Christus apparuit, iuxta Isaiam supra citatum. Habebit autem quicunque Christum sequitur, lumen vitæ, quod scilicet vitam præstat æternam Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, &c.* Theologi constituunt lumen triplex. Videlicet lumen naturæ, de quo Psal. 4. *Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, Lumen gratiæ, de quo 2. Cor. 4. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris*, scilicet per fidē & gratiā suam. Et lumen gloriæ, de quo alicubi Psalmographus: *In lumine tuo videbimus lumen.* Postremum est tantùm beatorum, Primum etiam Turcarum & gentilium, Secundum autem ac medium, est Christianorum solùm. Sequi autem debemus lucem, ne tenebræ nos comprehendant. Sequamur Christum, vt heliotropium seu solsequium sequitur Solem. Vt Plinius lib. 2. scribit c. 41. & lib. 18. c. 27. Herba vna quę vocatur Heliotropium circumagitur cum Sole, abeūtem Solem intuetur semper, omnibúsque horis cum eo vertitur, Plin. li. 2. c. 41. & lib. 18. c. 27.

vel nu

vel nubilo obumbrante. Ad hunc modum & nos Solem iustitiæ Christum sequi oportet : in eius gloriam nostros dirigere actus, illius semper spectare voluntatem, iussisque obtemperare. Sicque habebimus lumen vitæ.

Ne simus noctuis similes, ac bubonibus mali ominis auibus nocturnis. Lucem enim oderunt: Interdiu latitant, noctu autem foris vagantur, ideo Lucifugæ aues meritò dicuntur. Huiusmodi nicticoraces, vespertiliones, & eius generis bestiolæ lumen Solis refugientes, impiè agentes designant, qui vt scelera perpetrent sua, obseruant caliginem, tenebriones, ad lucem accedere nolentes, ne redarguantur opera eorum, de quibus Psaltes diuinus: *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*. Similiter aliqua ex parte Atlantibus, de quibus Plinius lib. 5. c. 8. & ante illum Herodotus lib. 4. sic scribũt: Atlantes, ait Plinius, degeneres sunt humani ritus, Solem orientem occidentémque dira imprecatione contuentur, vt exitialem ipsis agrisque, Hi, inquit Herodotus, Solem transcendentem execrãtur, eique præterea omnia conuitia ingerunt, quòd torridus & ipsos & regionem perdat. Sic impij & ἄθεοι, qui Deo rebelles, Christo conuiciabãtur, vt frequenter in Euãgelio Pharisæi, nonne per Atlãtes illos appositè designantur? An non hoc est θεομαχεῖν, id est aduersus Deum pugnare, & Spiritui sancto resistere velle? Act. 5. μὴ θεομαχῶμεν, id est, *ne pugnemus cum Deo. Act. 7. Dura ceruice: vos semper Spiritui sancto restitistis*. Ergo veniamus ad Lucem in eius amorem rapiamur. Id enim bonorum operum & integritatis morum argumentum erit. *Luceat*, ait Christus Matth. 5. *Lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est*. De Liuio Druso clarissimo iuuene Romano scribit Velleius Paterculus, Historiæ Romanæ posteriori volumine paulò post principia libri ad hunc modum: Tribunatum iniit M. Liuius Drusus vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio animoque quàm fortuna vsus. Cuius morum minimè omittatur argumentum. Cùm ædificaret domum in palatio, promitteretque ei architectus, ita se eam ædificaturum, vt libera à conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset, neque quisquam in eam despicere possit: Tu verò, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, vt quicquid agam ab omnibus perspici possit. Hactenus ille.

Pli. lib. 5. c. 8. Herod. li. 4.

Act. 5.

Act. 7.

Matth. 5

Patercu. li. 2. hist. Rom.

Non

Non ambulat in tenebris,&c. Tenebris inquam, ignorantiæ, quia ego ſum veritas, nec culpæ, quia *ego ſum via*, neque damnationis æternæ, quia *ego ſum vita, Ioan.14* Dicit autem, *Qui ſequitur.* Quia ſicut quicumque non vult errare in tenebris, oportet vt ſequatur eum qui lumen portat: Ita quicunque vult ſaluari, oportet quòd ſequatur Chriſtum qui eſt lux, credendo & amando, *Et ſic Apoſtoli ſecuti ſunt eum, Matth.4.* Chriſtus ergo nos deducere debet Pſalm. 118. *Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum.* Quod etiam ſignificabat olim columna illa ignis, quæ per noctem illuminabat filios Iſraël, eiſque viam præmonſtrabat. Hinc & Moyſes dicebat: *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto.* *Matt. 4.* *Pſal.118.*

Non ambulat in tenebris,&c. Duo hic imprimis obſeruare oportet. Vnum eſt. Quamuis de omnibus in peccato mortali exiſtentibus dici verè poſſit, eos in tenebris ambulare, magis propriè tamen hoc de illis dicitur, qui fidei lumen perdiderunt. Alterum eſt: Hæreticos huius miſeræ tempeſtatis, maius damnum animabus attuliſſe, quàm anteriorum temporum cæteros. Illi enim prædeceſſores, vt plurimum hæreſes circa ſpeculabilia, quæ ad intellectum ſpectant, ſeminarunt, ac introduxerunt: Hi verò ſucceſſores, ac moderni, Mahumedis inſtar, (Mahometum vulgò dicunt) carnis libertatem prædicantes, & quæcunque improbi homines faciebant comprobantes, infinitos ſtultos ad ſe pertraxerunt: animaduertentes hac noua doctrina facilè deprauatos peccatores poſt illos eſſe abituros: Quia quod anteà cum aliquo conſcientiæ ſtimulo ac ſcrupulo faciebant, nunc liberiùs ac impudentiùs abſque conſcientiæ remorſu faciunt ab hæreticis iſtis edocti, imò potiùs ſeducti, falſoque perſuaſi, ſe hæc nefanda ſine peccato facere poſſe. Sicque hi maledicti, ieiunia & corporis afflictiones ſuſtulerunt, Caſtimoniam cœlibatumque relegarunt, Confeſſioni ſacramentali ſilentium impoſuerunt: Prælatorum obedientiæ derogarunt: Perſolutionem decimarum denegarunt: In alios denique quamplurimos errores homines carnales induxerunt. *Illi Epicuri de grege porci*, vt Horatius loquitur? *Inimici crucis Chriſti*, quos Apoſtolus deflet, Quorum Deus venter eſt, *& quorum finis interitus, Philip.3.* Efficacius remedium quo ab his tenebris & erroribus poſſimus liberari eſt, quòd hic à Chriſto ſalubriter edocemur, *Horati⁹.* *Philip.3.*

Qui

Qui ſequitur me non ambulat in tenebris. Sequamur ex animo per imitationem hunc doctorem, eiuſque veſtigia, ambulantes in Dei mandatis: eodem dicente: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Matth. 19. Eccleſiaſtici. 15. *Si volueris mandata ſeruare conſeruabunt te.* Impoſſibile eſt enim eum qui Dei præcepta diligenter cuſtodit, fidem amittere, & in hæreſim prolabi. Dicunt enim Doctores: *Hæreſim in Chriſtiano nunquam eſſe primum peccatum, ſed ſemper eſſe peccatum, & pœnam aliorum peccatorum.*

Matt. 19. Eccle. 15.

Qui ſequitur me. A Chriſti ſequela neque diuitiæ neque cupiditates noſtræ, nec mundani honores, aut aliud huiuſcemodi nos impedire vel remorari debet. Res ſiquidem iſtæ mundanæ viles ac perexiguæ, multos ſæpè vſque adeò præpediunt & auocant, vt instar remoræ cuiuſdam, nos à bono propoſito frequenter reſilire faciunt, ô quàm pudendum pro minima vtilitate, pro modica voluptate, pro turpi lucro, à ſequela Chriſti recedere, ab incepto regredi, ac retrocedere! Narrat Plinius libro 9. capit. 25. quomodo eſt paruus admodum piſcis aſſuetus petris, Echeneis appellatus, hoc carinis adhærente naues tardius ire creduntur, inde nomine impoſito. Idem lib. 32. cap. 1. Vnus ac paruus admodum piſciculus, Echeneis appellatus, cogit ſtare nauigia, quod non vincula vlla, non anchoræ pondere irreuocabili iactę: E noſtris quidam Latinis remoram appellauêre eam. Hactenus Plinius: Ita viliſſimæ res mundanæ, quas Apoſtolus arbitrabatur vt ſtercora, quorumdam retardant curſum, cœleſtemque nauigationem. Qua quidem Chriſtum ſequentes, ad potiſſimum fœlicitatis portum peruenire ardentiſſimis votis exoptant. *Filij Adam, vſquequo diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Pſal. 4. Valde ſtupendum eſt quòd minimus piſcis, leuiſſima quædam occaſio & res nihili, nos à cœpto virtutis itinere, à ſequendo Chriſto, & ferenda poſt eum cruce, carniſque mortificatione, nos reuocet & remoretur. Alij derelicto Chriſto luxuriam, alij auaritiam, alij ſuperbiam, alij verò faſtum & hypocriſim turpéque lucrum proſequuntur. Sed de his ſit ſatis. Quoniam verò, L. nullus idoneus. D. de teſtibus Pomponius ait, Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur, Chriſto procaciter obijciunt quod ſubijcit Euangeliſta.

Pli. lib. 9. ca. 25. & li. 32. c. 1.

Pſal. 4.

Lex.

Tu de teipſo teſtimonium perhibes, & teſtimonium tuum non eſt verum, &c.

Quaſi obijcerent: Quemadmodum nemo poteſt eſſe

index

iudex in propria cauſa: Ita etiam teſtis eſſe non poteſt. Paſſio enim & proprius amor rationis iudicium peruertit: iuxta illud vulgatum: *Amor & odium impediunt cernere verum.* Quaſi dicant, Eo ipſo quod tu de teipſo teſtificaris, teſtimonium tuum non eſt verum. Dedecet enim valde, hominem ſeipſum commendare, & laudare. Prouerb. 27. *Prou.27.* *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus & non labia tua.* Et Apoſtolus: *Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt.* 2. Cor. 10. Iulianus Imperator Apoſtata dictus in quadam ad Baſilium Epiſtola vſurpauit hoc prouerbium, ſcilicet, ἐπῄνεσα γάρ ἐμαυτὸν ὥσπερ Ἀστιδάμας. id eſt, Meipſum namque ſicut Aſtidamas collaudaui. Eraſ. Chiliad.2. Centur. 7. Adag. 59. Teipſum laudas vt Aſtidamas. Narrat hiſtrionem quempiam fuiſſe hoc nomine vocatum Morſinij filium, cui ſtatua in theatro ponenda decreta fuerat. Itaque titulum ipſe conſcripſit, in quo ſuas laudes complectebatur, eumque in concionem attulit, vt approbatus adderetur ſtatuæ: Verùm ſuffragiis populi decretum ne moleſtus ille titulus inſcriberetur. *2. Corin. 10.*

Ea res primùm comœdiæ iocis agitata poſt in prouerbium abiit, Recenſetur à Zenodoto: Titulus autem quem Aſtidamas ſtatuæ ſuæ inſcripſit, extat etiamnum apud Suydam Græcè. Recurrat ad illum qui volet. Valer. lib. 7. cap.2. De ſapienter dictis: Ariſtoteles de ſemetipſo in neutram partem loqui debere prædicabat: Quoniam laudare ſe vani, vituperare ſtulti eſſet. Plutarchus tom.2. Opuſculorum, De ſua ipſius laude, ſiue, Quomodo ſe quiſpiam citra inuidiam laudare poſſet, ſcribit ita: Cuique laus ab aliis impertita, iucundiſſima auditu res eſt, vt Xenophon ait: Si quis autem ſeipſum laudet, aliis odioſiſſima. Primùm enim eos qui ſeſe laudant, impudentes exiſtimamus, quum conueniret eos erubeſcere, etiamſi ab aliis laudarentur: Deinde iniquos, quòd ſibi ipſis tribuant, quæ eos ab aliis accipere oportebat.

Semetipſum laudare irreprehenſibile eſt, Primùm quidem ſi ob defenſionem id facias aduerſus calumniam, aut accuſationem, vt Pericles, Verùm mihi, inquiens, iraſcimini, tali viro, qui nullo ſum inferior & ad cognoſcendum & ad eloquendum ea quæ oportet. Inſuper ciuitatis amans atque pecuniis inuictus, prudentiam oſtendit. Qui reprehenditur propter ea quæ rectè confecit, & planè venia dignus eſt & reprehenſibilis, ſi facta laudibus euebat.

Videtur enim non exprobrare, sed semetipsum defendere. Vt Demosthenes Oratione pro Corona, glorians de legationibus in bello, ac decretis, ob quæ incusabatur. Sic accommodabimus instituto & proposito Christi seipsum citra omnem inanis gloriæ suspicionem ac labem laudantis, contra calumniam Pharisæorum. Et quia immeritò ab illis reprehendebatur: Sic & Paulus suas descripsit laudes. *2. Corinth. 11. & 12.* & concludens dicit: Fui insipiens, vos me coëgistis.

2. Corin. 11. & 12.

Respondit Iesus: Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, Testimonium meum verum est, quia scio vnde veni, & quò vado. Vos autem nescitis vnde veni aut quò vado, &c.

Vide quæso quàm mansuetè illis respondet. Dixerunt Christum esse mēdacem & quæcumque diceret falsa esse: Quare, Domine, tam amarulentis conuitiis, tam dulce reddidisti responsum? Salomon ait Prouerb. 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur:* Quare igitur his stultis, sicut merentur, non respondisti? Cum tibi dixerunt: *Magister, scimus quia verax es, asperrimè respondisti: Quid me tentatis hypocritæ?* Matth. 22. Hîc autem cum ab illis mendax voceris, tanta cum mansuetudine illis respondes? Responsio. Ita conueniebat vt cœlestis magister faceret, ad prælatos, & illos qui publicis muneribus funguntur erudiendos: vt cum mansuetudine ac patientia se excusent. Sic faciebat Iob cap. 31. *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me.* Quasi dicat, Non illos afficiebam iniuriis, si aliquo modo de me conquererentur, sed benignè facti reddebam rationem, & apud illos me excusabam, vt mansuetissimè cuidam obmurmuranti Paterfamiliâs in Euangelio respondisse comperitur: Matth. 20. *Amice non facio tibi iniuriam, Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & valde, &c.* Non dixit, Serue nequam, abi in malam rem: Vade furcifer, Satage rerum tuarum. Tanta verò cum acrimonia illis respondit, qui blandis & assentatoriis verbis illum alloquebantur, vt nos moneat ab adulatore tanquam à capitali peste esse fugiendum cauendumque.

Prou. 28. *Mat. 22.* *Iob. 31.*

Testimonium meum verum est, &c. Non enim semper falsum est quod quis de seipso dicit. Aliâs frequenter mentiti essent Prophetæ.

Quid dicitis & blasphematis, ô Iudæi? Veritas mentiri non potest. Etsi ego testimonium perhibeo, Vide, Vide

Emphasim!

Emphaſim! Ego qui ſum verus Dei filius, & verus homo, in quo humana ratio nequaquam perturbari poteſt, cum tam illuſtrata ſit à diuina natura, rectè poſſum de me teſtimonium perhibere: & quod perhibeo verum eſt. Quod probat hoc argumento: Quia ſcio vnde veni, & quo vado. Mirabilis argumentatio! Dic, Domine, vnde venis? *Exiui à patre.* Quo vadis? *& iterum vado ad patrem:* relicto mundo quoad præſentiam viſibilem ac familiarem. Si hoc ita eſt, Ergo filius Dei es. Vltra, Si filius Dei es, Ergo mentiri non potes. Concluſio, *Quia filius Dei es, verum eſt teſtimonium tuum.* Non aduertis hanc ætiologiam, ſeu cauſæ rationem apertiſſimam eſſe, & luce meridiana clariorem? Vos autem neſcitis vnde venio, quia ſecundum carnem iudicatis.

Cum nihil amplius aduertatis, quàm hoc corpus carnis, ex muliere natum, non iudicatis niſi carnaliter, nec vultis credere plus in me eſſe quàm hoc, quod corporalibus oculis intuemini, licet plurima miracula me videatis operari: Atque hæc cæcitas & infidelitas vos ad condemnationem deducet. *Vos neſcitis vnde venio, aut quo vado.* Si ſciretis quò peruenturus ſim, non tam impia contra me tentaretis. Sentietis enim iudicem eum, quem nunc quidem blaſphematis. Et nos ſedulò recogitemus, quòd in throno iudicij ad iudicandum ſedebit. Ergo ab offenſa diuinæ maieſtatis caueamus. Ideo neſcitis vnde & quò, quia non creditis me Dei filium.

Vos ſecundum carnẽ iudicatis, Ego non iudicò quẽquam, &c.

Quaſi dicat: Externa ſpecie & humilitate mea ſcandalizamini. Suprà dictum eſt. *Nolite ſecundum faciem iudicare.* Præferebant enim Moyſem ipſi. Vos carnaliter & craſſo modo, ad id ſolum, quod apparet: intuentes iudicatis: *Ego non iudico quenquam ſcilicet nunc.* Ioan. 3. *Non miſit Deus filium ſuum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per eum.* Attende etiam emphaſim in pronomine Ego. Quaſi dicat: Ego vniuerſorum redemptio, ego peccatorum propitiatio & remiſſio, vos non iudico quia me non recepiſtis: Non iudico qui libenter indulgeo, qui ſanguine meo redimo peccatores, ego non iudico, qui deleo iniquitates & memor non ero, ego non iudico, qui malo vitam, quàm mortem peccatoris, ego non iudico, quia non damno ſed iuſtifico confitentes, ego non iudico. Moyſes vos accuſat, ille vos arguit in quem ſperatis, ille accuſat vos, Ioan. 3.

quia iudicandi non habet potestatem, quæ eius debetur authori. Ille ergo, in quem speratis, accusat: Iste in quem sperare noluistis, absoluit. Magna, Iudæi, imprudentia. Meritò accusatur in criminibus suis, quia accusatorem elegerunt, & bonum iudicem refutarunt. Ideóque deest il-

D.Amb. Epist.20. lib.5. lis absolutio, pœna non deest. Hactenus D. Ambrosius emphaticѐτικῶς hanc tractauit sententiam libr. 5. Epistolar. Epistola. 20. sub finem illius Epistolæ ad Horontianum. Non parua insurgit difficultas ex collatione horum Scripturæ Euangelicæ locorum, qui specie tenus contra-

Ioan.8. rij videntur, apud eundem Euangelistam, scilicet Ioan. 8.

Ioan.5. hic: *Testimonium meum est verum, quia scio vnde veni & quo vado:* Ioan. 5. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet*

Ioan.8. *de me, & scio quia verum est testimonium eius.* Iterum hic.

Ioan.5. cap. 8. *Ego non iudico quenquam* rursus cap. 5. *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem.* Respondeo, supradictos locos sic conciliandos esse, vt nullam inuoluant inditionem.

Euthym. in Ioan. Prima quidem obiectio à doctore Græco Euthymio sic diluitur. Quod Ioan. 5. habetur; *Testimonium meum non est verum,* non simpliciter & absolutè accipiendum est, sed sic cum determinatione, Non est verum, scilicet ex vestra opinione. Dicturi enim estis, quòd non est verum testimo-

Ioan.8. nium, sicut reipsa, c. 8. nunc obiecerunt hoc ipsum Christo. Contrà verò Christus respondit ibidem: *Testimonium meum verum est:* Illi putabant eum non esse fide dignum, qui de seipso ferret testimonium, vt pote hominem: Ipse verò, è diuerso sese fide dignum dixit tanquam Deum. Scio enim vnde veni, à Patre Deo, & quò vado, ad eundem, post finem dispensationis.

Vtique filius Dei sum & Deus; Ergo fide dignus, sicut

Ioan.14. ipsa veritas. Ioan. 14. *Ego sum veritas:* Nescitis vnde venio, id est nescire videmini, in veritate tamen scitis. Vnde supra; *Et me scitis, & vnde sim scitis.* Hactenus Euthymius. Altera oppositio, *Ego non iudico quemquam. Et Ioan. 5. Omne iudicium dedit Pater Filio,* sic dissoluitur, distinguendo de primo aduentu & secundo, Nam in primo non iudicat iudicio nimirum condemnationis, sed in secundo venturus est iudicare viuos & mortuos, vt habet fidei articulus.

Ioan.12. Ioann. 12. *Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem,*

Alioquin

Alioquin possem meipsum egregiè de vobis vindicare. Indicat quidem, sed non sicut Pharisæi secundum carnem. Vos namque, ait illis, secundum carnem iudicatis, etiam inaudita parte, ante causæ discussionem, temerariè pronunciare soletis, & indicta causa damnare alios: At ego Ioan. 5. *sicut audio, iudico: & iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed eius qui misit me. Sed hæc ad obiecta suffecerint.* Ioan.5.

Vos secundum carnem iudicatis, &c. Id contra mundanos facilè accommodabitur, qui potiùs ex splendido ornatu exteriori iudicant, quàm ex ipsius rei veritate. Ideo ex vestitu de hominibus ferunt iudicium. Refert Innocentius tertius libro secundo de contemptu mundi cap. 39. Cum quidam Philisophus in habitu contemptibili, principis aulam adiisset, & diu pulsans non fuisset admissus, sed quoties tentasset ingredi toties contigisset eum repelli, mutauit habitum & assumpsit ornatum. Tunc ad primam vocem aditus patuit venienti: Qui procedens ad principem, pallium quod gestabat cœpit venerabiliter osculari. Super quo princeps admirans, quare hoc ageret exquisiuit: Philosophus respondit: Honorantem me honoro, Quia quod virtus non potuit, vestis obtinuit. ô vanitas vanitatum? exclamat Innocentius, Plus honoris defertur vestibus, quàm virtutibus: Plus venustati, quàm honestati. Hucusque narratio. Narrat etiam Ioannes Damascenus in Historia Balaam, quomodo cuidam regi in curru deaurato, obuiauerunt duo viri attritis & sordidis induti vestibus, & attenuati macie. Rex desiliens de curru, amplexatus est eos, in terram procidēs insuper veneratus, Magnates de hoc indignati sunt, putantes regem indigna fecisse regali gloria. Iussit ille fieri de lignis arcellas 4. duas auro coopertas, aureis seris obfirmatas, intus autem reponi ossa mortuorum putrescentia: Duas pariter pice & bitumine liniens, repleuit lapidibus pretiosis, & omniū vnguentorum odoribus, funiculis cilicinis adstrinxit. Has sic dispositas arcas, proposuit ante magnates, vt æstimarent, & de pretio illarum ferrent sententiam. Illi autem putantes regia ornamenta, diadema, sceptrum, & similia, in auratis scriniis esse reposita, maiore in pretio illa habuerunt: sed illis reseratis fœtor exhalauit nimius. Bituminatas, deinde arcas iussit aperiri, omnes autem odore recreantur, qui inde proficiscebatur, suauissimo. Exposuit autem quid hęc

Innocēt. 3. li. 2. de contemp. mundi. c. 39.

Ioā. Damascen. in Histo. Balaam.

designarent his verbis. Deauratæ quidem arcæ, typum gerunt eorum qui splendidis vtuntur vestibus: Cæterum malis operibus referti sunt. At verò bituminatæ, eorum qui vilibus induũtur, sed virtutibus decorãtur. Ego igitur videns præcones Dei, ac fidos eius seruos, quamuis in humili & abiecto cultu, reuerentiam illis exhibui, decorem
Psal. 44. considerans animarum: Sicut in Psal. 44. habetur: *Gloria eius ab intus.* Non enim secundum faciem & laruã externã, non secundum carnis iudicium de illis æstimaui, aut iudicaui. Vos autem secundum carnem iudicatis. Quis de equi bonitate ex phaleris iudicaret? An non planè ridiculus esset: Equum quispiam empturus, non ex deaurato freno aut sella, ipsius æstimabit pretium: Quin potiùs nudum illum contemplatus ex cursu & bene cõpactis mẽbris, æstimaturus est. Sed his intermissis ad sequentia pergamus.

Si iudico eo, iudicium meũ verum est, quia solus non sum, &c. Supra probauit se non mentiri in verbis, ita nunc non errare in iudicio, maior igitur est homine qui & mentiri & errare potest. *Omnis enim homo mendax & decipi potest.*

In lege vestra scriptum est: Quia duorũ hominum testimoniũ
Deu. 17. *verum est.* Deut. 17. 19. Argumentatur à minori ad maius
19. ex lege, sic 1. Ioan. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testi-*
1. Ioan. 5. *moniũ Dei maius est.* Quoniã hoc est testimoniũ Dei quod maius est, quoniã testatus est de filio suo. Cum igitur duorum hominum validum sit & firmũ testimoniũ, quoniã in ore duorum vel trium testium stabit omne verbũ: Quanto magis patris diuini & filij eius, stabitq; fixumq; est testimoniũ: Testimonium enim Dei quàm hominũ longè maius & credibilius est: dicente Psalmista, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, Solus non sum,* ait Christus, homo solummodo non sum, sed Deus & homo sum, vnũ cum pa-
Ioan. 10. tre. Nã & ego & pater vnum sumus Ioan. 10. Duæ quidem personæ. *Non enim est consolatio perfecta solitario.* Solus ergo non sum. Attamen vna est patris ac filij diuinitas, atq; cõsubstantialitas vt aliâs plenius dicetur. Obiecerit fortassis Iudæus, Patris de filio suspectum esse testimoniũ. Nam L. Testis idoneus D. de testibus, ait Paulus Iurisconsu. Testis idoneus Pater filio, aut filius patri non est. Sed aperta est dilutio, ac quæstionis solutio, De homine id quidem verum esse, at non de Deo. *Testimonium perhibet de me qui*
Matt. 3. *misit me pater, &c.* Nam Matth. 3. 17. in baptismo Christi ac
17. eius gloriosa transfiguratione, paterna vox audita est: *Hic*
est

est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Iterum Ioã. 5.*Opera quæ ego facio in nomine patris mei illa testimonium perhibent de me.* Sic verbo & opere pater de filio testificatur. Ioan.5.

Dicebant Iudæi: vbi est pater tuus? &c. Contemptim hæc dicunt. Quasi dicant: Multum gloriaris de patre, quasi nesciamus fabrum illum patrem tuum esse. Vides iam eos nõ nisi secundum carnem iudicare.

Respondit Iesus, Neque me scitis neque patrem meum. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis, &c. Simulabãt se scire quòd filius esset Ioseph. Si me ita cognoscitis, inquit, vt fingitis, & quemadmodum simulatis, Neque me nostis (neque enim sum filius Ioseph) neq; patrem meum. (Nam Ioseph non est pater meus). Hæc est interpretatio Euthymij. Aliàs ex Scripturis nouerãt in veritate, vel nosse poterant illum à Deo missum, & verum esse Dei filium. *Si me sciretis & patrem meum.* Nam correlatiua sunt Pater, & Filius. Qui nouit patrẽ ab æterno fuisse, nouit & filiũ. Cognito vno, statim cognoscitur & aliud correlatiuũ. Vnde Christus Philippo: *Philippe qui videt me, videt & patrem. Nõ credis quia ego in patre, & pater in me est? Ioã.14.* Forsitan nõ dubitando, sed increpando dicit: Non nouit filium, qui patrem nescit. Qui negat filium, neque patrem nouit. Philip.2.

Hæc locutus est Iesus in Gazophylacio, &c. Loco celebri in templo. Vnde patet inuicta Christi in asserenda veritate constantia, & animi fortitudo: Quæ nobis imitanda proponitur, vt tanquam legitimi filij Lucis, veritatem liberè contra filios tenebrarum defendamus, & lucis exempla, ad conuersionem infidelium monstremus: prout monet Apostolus, *Philipp.2. Sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Verbum vitæ continentes.* Innascentis ecclesiæ exordio, tanta erat Christianæ professionis perfectio, vt Christianæ mulieres viros suos infideles conuerterent ad catholicam vitã, quia viri videbant sanctam illarum conuersationem, ac morũ integritatem. Sicque ad fidem inducebantur cõiuges, qui Apostolica prædicatione aliquando non conuertebantur. Magis enim mouent domestica exempla, quàm aliunde allata verba. Id testatum reliquerunt Apostoli 1. *Corint.7. Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelẽ.* Patet in beata Cecilia, & sponso eius Valeriano, & aliis Sanctis coniugibus. *Sanctificata est etiam mulier infidelis per virum fidelem & 1. Pet.3. Mulieres subditæ sint viris suis, vt & si qui non cre-* 1. Cor.7.

dunt verbo, per mulierem conuersationem sine verbo lucrifiant. considerantes in timore castam conuersationem vestram.



1586. Die Circõcisionis.

DOMINICA IN PASSIONE.

De veritate. Ioan. 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.



Plinius. NArrat Plinius lib. 35. capit. 10. quòd Apelles egregius pictor solebat imagines ad ostiũ collocare, vt vnusquisque prętereuntium secundum artem quam callebat sentẽtiam suam de illa imagine diceret: Sic Christus hodie vitæ suæ puritatem diuinis virtutum coloribus depictam ad ostium protulit, vt ab omnibus perspiceretur, & probaretur integra & absq; defectu. Ideo dicit, Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare nõ creditis? Dilemma validum: Aut cõdemnate, aut recipite. Nihil aduersus me obiicere potestis: Ergo si non recipitis, inexcusabiles estis. Hæc est vera Apologia Christi. Talis decebat vt esset nobis pontifex Sanctus, innocens, impolutus, segregatus à peccatoribus. Heb. 7. Quasi dicat: Doceo veraciter, viuo sanctè, Nihil in doctrina, nihil in moribus reprehensione dignum. Doctri-
D. Greg. na & vita coniũguntur: quia, vt ait D. Gregorius, Cuius vita despicitur, restat vt & eius prædicatio cõtemnatur. Qui fecerit, & docuerit, ait Christus, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Ita vt hic liceat illud Iurisconsulti respõsum vsurpare, de quo alibi. Nauem si diuidas, perdes. Ob-
Plinius. serua ex Plinio libro 1. Hist. in præfatione: Cum tribunos appellaret L. Scipio Asiaticus, inter quos erat Gracchus, hoc attestatur se vel inimico iudici approbari posse. Magnum profectò integritatis ac innocentiæ argumentum ad suos prouocare aduersarios, eorumque velle subire iu-
Deu. 32. dicium Deut. 32. *Non est Deus noster vt Dy eorum, & inimici nostri sunt iudices.* Validũ ab hoste testimoniũ, ait quidam.

Arguet

Arguet me, dicit Christus, nō simpliciter, & absque probatione sufficienti & valida obiiciet mihi quidpiam, sed cōuincere oportet. Iansenius in Concordia Euang. ἐλέγχει, id est, conuincet, argumentis refellet. Arguere igitur non pro accusare, sed pro conuincere sumitur. Alioqui Iudæi Dominum de peccato frequenter accusabant, & in eius operibus, cùm dicerēt, Illum soluere sabbatum, & in eius doctrina dicentes: *tu de teipso testimonium perhibes, & testimonium tuum non est verum.* Nunquam tamen potuerunt eū certis cōuincere argumentis, sed vbique est à Domino obstructum os loquentium iniqua. Si quis ait Christus, vel doctrinam meam de aliqua falsitate, aut vitam meam de aliquo peccato conuincere potest: prodeat ille in medium & probet. l. 2. De probationibus & præsumptionibus ait Paulus Iurisconsultus, Ei incumbit probatio qui dicit, non qui negat. Ergo nedum dicat, sed probet & euincat, me alicuius criminis esse reum. Alioqui quantumuis innocens per calumniam infamabitur à maledicis hominibus, & sycophantis. Accusare non sufficit, sed probare oportet. Vnde Ammianus Marcellinus lib. 18. initio: Iulianus Cæsar, inquit, in Galliis Numerum Narbonēsis paulò ante rectorem accusatum vt furem, audiebat, qui quum inficiatione defenderet obiecta, Nec posset in quoquam confutari, Delphidius orator acerrimus vexemēter eum impugnās, Documentorum inopia percitus, exclamauit: Ecquis florētissime Cęsar, nocens esse poterit vsquam, si negare suffecerit? Circa quem Iulianus prudenter motus ex tempore, Ecquis, ait, innocens esse poterit, si accusare sufficiet? Iansen.

Quis arguet, &c. Hoc exemplo instruit Præsules 2. Cor. 6. *Nemini dantes vllam offensionem. Oportet Episcopum sine crimine esse ac irreprehensibilem, scribit Apostolus ad Timoth.* Matth. 5. *Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Sacerdotibus optimum fuerit si sunt boni nominis & famæ: Roman. 12. Prouidentes bona non tātùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Ecclesiast. cap. 7. *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa:* Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ:* 1. Corint. 9. *Bonum est mibi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Inter Græcorum Gnomas, seu præclaras sententias hæc celebratur καλῶς ἀκούειν μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν θέλε, id est: Bene audire magisque ditescere velis, Et sicut authore Plutarcho tomo. 1.

2. Cor. 6. 1. Tim. 3. Matt. 5. Ecclesi. 7. γνωμή. Plutar.

Opuscul.in Apophtegma.Laconicis: Agesilaus interrogatus, quomodo quis famam optimam consequeretur: Respondit: Si optima dicat & pulcherrima agat. Ita Christus in præsenti Euangelio, de vtroque complexim verba facit
Eccl. 41. Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni. Bonũ*
Arist. *nomen permanebit in æuum.* Aristoteles similiter 3. Ethicõ c.6. Qui dedecus metuit, is probus est. Qui nõ extimescit,
Philip. impudens iudicandus est. Et Philelphus in Satyris:

Omnia si perdas, famam seruare memento:
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Decretũ ex Aug. 11. quæst. 1. capit. Nolo, ex Diuo Augustino, sermone de communi vita clericorum: Qui confidens conscien-
D. Hier. tiæ negligit famam, crudelis est. Hinc D. Hieronymus, tomo. 2. ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani. Nolo, ait, in suspicione hæreseos quenquam esse patientem, ne apud eos qui ignorant innocentiam eius, dissimulatio conscientia iudicetur si taceat. Bonum est ergo prælatis & magistratibus Christi exemplo
Num. 16 famam suam seruare integram, &, vt dicitur, sartam te-
1. Reg. 12. ctam. Ideo legitur in Sacris Iustificatio Mosis. Numero 16. *Scis quod nec asellum quidem acceperim.* Itemque Sa-
Act. 20. muelis 1. Reg. 12. *Loquimini de me coram Deo & Christo*
2. Regũ 20. *eius, &c.* Pauli denique Act. 20. *Argentum & aurum & vestem nullius concupiui, &c.*

Si veritatem dico vobis, &c. 2. Regũ 20. Legimus quòd sapiens mulier quædam dicebat: *Ego sum quæ respondeo veritatem in Israël.* Quantò melius hoc potuit dicere summa veritas?

Quare non creditis mihi? Hæc est causa, Domine, quia veritatem loqueris. Quòd si, per impossibile, illas fabu-
Psal. 118. las diceres fidem potius auresque adhiberent. Psalm. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.*

Omnia mandata tua veritas. Tu dixisti. Ioann. 14. *Spiri-*
Ioan. 14. *tus veritatis quem mundus capere non potest.* 3. Reg. 22. *Achab Micheam oderat, qui non prophetabat illi bonum sed malum.* Bonum, hoc est delectabile secundum suam voluntatem & concupiscentiam, licet veritatem diceret, Malum illud
Psal. 11. appellabat. Psalm. 11. *Diminutæ sunt veritates à filiis hominũ.*
2. Tim. 4 Iam illud completur. 2. Timoth. 4.

A veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Prouerbium est etiam à Terentio poëta comico

vlur

vsurpatum, Veritas odium parit. Et Paulus Gall.4. *Ergo, inquit, inimicus factus sum vobis verum dicens vobis?* Ioan.7. *Me odit mundus quia testimonium perhibeo de eo quòd opera eius mala sunt.* *Gal. 4.* *Terēt. in Andria.*

Veritas Domini, vt habet diuinus psaltes, *manet in æternum. Psalm.116.* Quòd illa firma sit ac efficax omniáque vincat. probatur ex grauissimo illo Apophtegmate Zorobabelis, quòd 3.Esdræ 3.& 4.continetur. *Forte quidē vinum: fortis etiam rex: at fortiores mulieres: Super omnia verò vincit veritas.* Valida est veritas & permanet. Quæ postrema de veritatis excellentia sententia ab omnibus audientibus comprobata est, solemni acclamatione & applausu. Ex lingua Sancta veritatis stabilitas mysterio quodam designatur. Nam ita scribitur : אמת Characteres seu literæ ad quadraturam tendunt. *Psal.116.*

Quarum prima in Alphabeto quoque primam sedem obtinet, secunda, fere est media Alphabeti. ת. postrema est. Id designat veritatem esse consensionem medij cum principio & fine. Nam Christus medius, & qui præibant, & qui sequebantur omnes clamabant, Osanna. *Matth.21.* Eadem est fides antiquorum & nostra. Contrà in eadem lingua nomen mendacij, שקל literis componitur velut in curuis & non quadratis, sed inconstantibus : vt significetur quòd mendacium debiles habet pedes & claudos, nec facilè consistit. Hæc ex Georgio Veneto Minoritani instituti & Sodalitij, in suo de mundi harmonia opere. Refert Sozomenus libro quinto capite decimo septimo: Historia Ecclesiastica: quòd Apollinarius Syrus doctissimus, librum aduersus Imperatorem Iulianum Apostatam, siue aduersus philosophos gentiles pro Veritate inscripsit. in quo sine vllis Sacrarum literarum testimoniis, planè ostēdit eos, in illo quod de Deo sentiendum est, per errorem vehementer lapsos esse. *Matt. 21* *Georg. Ven.* *Sozomenus.*

Quæ irridens Imperator Episcopis eius temporis facilè præstantissimis scripsit hæc verba: Legi, intellexi, improbaui. Ad quæ rescripsère Episcopi: Legisti quidem, sed non intellexisti: Nam si intellexisses, non improbasses. Sunt qui hanc Epistolam Basilio Cappadociæ Antistiti attribuant, neque id sanè immeritò. Vides quòd veritas si intelligatur, non improbatur.

Vnde Apostolus secundæ Corinthiorum decimo tertio. *Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate.* *2.Cor.13*

Galath.

Gal.3. Galath.tertio. *O insensati Galathæ quis vos fascinauit non obedire veritati?* Sed dices: Cum veritas sit obiectum & perfectio humanæ rationis, & Lactantio libro primo capite primo assertore, Nullus suauior animo cibus est, quàm cognitio veritatis: & capite quinto. Veritatis ipsius tanta vis est, vt nemo possit esse tam cæcus qui non videat ingerentem se oculis diuinam claritatem: Cur Pharisæi & similes apertissimæ veritati adeò non consentiunt, vt illam etiam vehementer impugnent: Responsio. In promptu causa est.

Lactāti⁹

Nam quemadmodum vbi gustus morbo infectus est, dulce iudicat amarum, & contrà: Ita cum intellectus spirituali morbo laborat, vehementer in spiritualium rerum iudicio hallucinatur, ex deprauata scilicet voluntate. Intellectus noster spiritualiter ægrotat, vel quia praua doctrina corruptus, erga syncerae fidei dogmata caligat, quòd hæreticorum est, vel certè quia affectu aliquo vehementi, velut ardentissima febri, voluntas æstuat. Tunc enim propter maximam inter intellectum & voluntatem cognationem, ipse quoque intellectus simili morbo laborat.

Tanta enim est affectuum vis atque potestas, vt sicut primum mobile incitatissima conuersione cæteros orbes quamuis in aduersum tendentes secum rapit: motu scilicet raptus, secundum Astrologos, suprema sphæra inferiores ciet & voluit, ab oriente in occidentem: Cum tamen ipsæ motu proprio,& renitentię ab occidēte in orientem vergant & suos absoluant cursus: Ita planè quo vehemens aliquis affectus propendet,eò quoque omnes animæ nostræ vires inclinant. Quinimò ipsa quoque intellectus acies,in eo maximè acumen suum exercet,vt rationes excogitet, quibus id quod affectus cupit probare possit. Hinc illa vulgò iactata sententia,Quod vult,non quod est,credit,qui cupit errare.

Si veritatem, &c. Quasi dicat, Si Pseudopropheta essem, iure me exploderetis: dicente Scriptura, Deuter.13. Non ei credes, Insuper interficietur ille. Nota: Non est quòd magnopere se cruciet concionator, si minus sibi credant improbi & duræ ceruicis peccatores, si modo ritè suo fungatur officio, ac munere. Ecce enim summo concionatori Christo, vt hîc clarè patet, Iudæi non crediderunt. nec obedierunt. Et Dominus per Ezechielem:

Nolunt,

Nolunt, inquit, audire te quia nolunt audire me. Quod etiam in Samuele adumbratum videmus, quem populus audire contemnebat. Hanc autem concionatoribus factam iniuriam, sibi fieri Christus testatus est, Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit, &c.* Figuratur etiam. 4. *Reg.* 4. Cùm misit Heliseus seruum suum Giezi cum baculo, vt poneret super faciem mortui. Et cùm nihil proficeret reuersus ad Heliseum dixit: *Non surrexit puer.* Sic & prædicatores moderni dicunt? Misisti nos Domine, Posuimus baculum super faciem mortui, hoc est, Prædicauimus illis iudicij tui seueritatem, pœnarum magnitudinem, diei mortis incertitudinem, virtutum pulchritudinem, præmij excellentiam, maiestatis tuæ misericordiam: Prædicauimus inquam, plurimis, qui in suis mortui peccatis iacent. Illud, Ephes. 5. *Luc. 10.* *4. Reg. 4* *Ephes. 5.*

Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et iterum, Adolescens tibi dico surge, Clamauimus iterum, Lazare veni foras. O Iuuenes qui pompaticè inceditis, in fornicibus cum prostibulis delitescentes, & immortuæ peccatis adoscentiæ vestræ, qui sequimini vanitatem, & lethargicem mortiferumque dormitis somnum, eia surgite: Expergiscimini, exite de cauernis & antris turpitudinis, Venite foras, relictis lupanaribus, venite ad loca sancta, ad orationis domum, ad Dei templum: Clamauimus inquam in suggestu, sæpiusque hæc & similia intonauimus. Sed quid? *Non surrexit puer.* Nondum vidimus aut percepimus in eis vitæ modicum, aut contritionis, nondum vocem confessionis, nullam emendationem vitæ aut morum, spiritualis resurrectionis argumentum. Populum tuum Domine ad te conuerte propitius. Obserua hoc Euangelio Christum trifariam se comprobare Deum esse. Primum argumentum est: Quia natura impeccabilis est. Quod est deitatis proprium, vt in Tripartita historia libr. 9. cap. 35. scribit Cassiodorus, Omnino non peccare diuinum, & vltra humanam naturam esse cognoscitur. Et D. Hieronymus tomo tertio Epistolarum scribens Damaso, de filio prodigo: Solus Deus est, inquit, in quem peccatum non cadit. Ergo quia Christus est ἀναμάρτητος, sine peccato, Per naturam, nedum per gratiam, vt beati, impeccabilis, Verus Deus esse conuincitur, ac demonstratur. Dicit itaque, Quis ex vobis arguet me de peccato? *Cassiodorus.* *D. Hier.*

Et notan

Et notanter, Ex vobis. Nam conuicerat eos de pec-
Ioan.8. cato, in causa Adulteræ. Ioan. 8. *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat. Tuncque confusi omnes discesserunt, propria conuicti conscientia incipientes à senioribus.*
Ioan.7. Iterum cap.7. *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex*
Ioan.5. *vobis facit legem? Quid me quaritis interficere?* Iterum ca. 5. *Est Moyses qui accusat vos in quo vos speratis.* Secundum argumentum est: Quia immortalem facit credentem in se, & sermonem eius seruātem. Si quis, ait, sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum. Tertium argumentum: Quia ab ęterno fuit, Quod peculiare est Deo: *Antequam Abraham fieret, Ego sum, inquit.* Vides Christianam religionem efficacissimè comprobatam ac demonstratam? Credimus enim in Christum, qui est verus Deus & vita æterna. Primæ Ioannis vltimo. Immortalitatem in
Ioan.1. se credentibus tribuit. Patri vtique coæternus. Ioan.1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. Ideo
Heb. 12. meritò. *Hebr.12.* vocat eum D. Paulus: Authorem fidei nostræ & consummatorem Iesum. Quàm sancta hæc est religio ac professio Christiana, ab eo, *qui peccatum non fecit, nec*
1. Pet. 2. *inuentus est dolus in ore eius.* 1. Pet.2. è cœlo allata. Ideoque orthodoxè cum eodem Christo & nos profiteamur. Ioan-
Ioan. 17. nis 17. *Sermo tuus veritas est.*

Qui ex Deo est, verba Dei audit, &c. Audiendum est verbum Dei, vt Iosias pius Rex audiuit, lecto libro legis &
4.Regū. 23. obediuit 4 *Reg.23.* Ex lectione libri legis vitam suam ac regnum ad normam diuinæ legis conformauit. Audire
Genes.3. hîc, pro, Obedire non incongruè sumitur: Sic Genes. 3. *Quia audisti vocem vxoris tua*, id est, obedisti voci vxoris, & comedisti de ligno vetito, &c. Nota: Non audire verbum Dei, signum est reprobationis. Hinc Psalmista: Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, vt in sequenti-
Act.7. bus explicabitur. Et Actor. 7. *Continuerunt aures suas*, ne scilicet audirent, & impetum fecerunt vnanimiter in Ste-
Hier.6. phanum, ac lapidauerunt eum. Hieremiæ sexto. *Ecce incircuncisæ sunt aures eorum, & audire non possunt: Ecce verbum Domini factum est illis in opprobrium, & non suscipient illud.* Expone, Audire non possunt: excæcati propria malitia, quia scilicet audire nolunt. *Noluit intelligere vt bene ageret*, de reprobo Dauid in psalmis cecinit. Vnde sicut aspides alteram aurem terræ affigentes, & alteram implicita cauda obstruen

obſtruentes,ad incantantium voces obſurdeſcunt: Ita iſti partim bonorum terrenorum amore quibus affixi ſunt, partim Draconis cauda in aurem alteram immiſſa, ſurdi prorſus ad concionatorum voces efficiuntur. Vehemens enim terrenorum amor hominem ad infima trahit, Dæmon verò eundem à Deo auocat: Quibus duabus rationibus, velut inſenſibilis homo, ad omnes Dei voces, ad omniaque eius promiſſa, blandimenta, flagella, minas & terrores redditur. Propterea vos nõ auditis, quia ex Deo non eſtis, exprobrat Chriſtus Iudæis.

Qui autem ex Deo eſt, verba Dei audit: quia nimirum illis paſcitur, delectatur, & miro modo reficitur. Maior enim eſt refectio mentis quàm ventris Pſalm. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Ideo Maria Luc. 10. ſecus pedes Domini in mẽſa recumbentis, & prandentis audiebat verbum eius, & interius à Domino paſcebatur. Pabulum ſiquidem animi eſt verbum Dei. Quid illos duos Anachoretas memorem? Quorum cum alter alterum de diuinis rebus collocuturus inuiſeret, & lenticulas, interim dum loquuntur, igni admouerent, quibus poſt colloquium reficiendi eſſent: vbi totum diem huic ſtudio impendiſſent, corporeæ refectionis obliti, à ſe inuicem diſceſſerunt, prout fuſiùs ex vita patrum concione de quinque panibus deduximus. Prædeſtinationis argumentum & vehemens quædam coniectura, eſt audire & ſuſcipere prædicationis verbum: Sicut in Actis Apoſtolicis frequenter legitur crediſſe electos prædicantibus Chriſti Apoſtolis. Act. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Et cap. 16. Quædam mulier, nomine Lydia Purpuraria audiuit Paulum concionantem. Cuius Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur à Paulo, & baptizata eſt, & domus eius. Et cap. 14. *Aperuit Dominus Gentibus oſtium fidei.*

Pſal. 118.

Act. 13. & 16. & 14.

Nonne bene diximus nos, Quia Samaritanus es tu & Dæmonium habes, &c.

His verbis apertè innuunt ſe iampridem hæc tam dirã conuitia in Dominum ieciſſe, quorum vſque adeo illos non pœnitebat, vt nunc denuò eadem repetant, atque confirmant. His autem ſimiles mihi videntur eſſe illi, qui cum iamdiu in multis criminibus verſati ſint, tam longa peccandi licentia non contenti, ſtatim à confeſſione eadem repetunt quæ commiſerunt. Quos ego viperis

quàm

quàm simillimos esse iudico, quas ferunt in littore maris positas, sibilo ad se ex profundo gurgite murænas euocare, vt illis congrediantur & commisceantur & fœtus concipiant: quæ cum ad hoc venenum deponant, vbi è consorte recesserunt, venenum iterum resumunt, quo solito more noceant.

Hoc idem isti facere videntur, qui ad horam dum sacerdotes adeunt, peccati virus quodammodo deponunt, peracta verò confessione, virus iterum quod euomuerant. resorbent, quo & aliis & sibi ipsis mortem inferant: In quo quidem periculosissimo statu mors sæpe illos intercipere solet. In eis impletur illud prouerbij: *Canis reuersus ad vomitum, & sus lota ad volutabrum luti*. Verùm quod de vipera & de muræna dictum est, latius conuenit explicare: Ex Plinio & aliis. Ille libro 9. capit. 23. sic de Murena: In sicco littore lapsas, vulgus coitu serpentium impleri putat. Aristoteles myrum vocat marem qui generat. Hæc ibi. Idem libro 32. capit. 2. Licinius Macer, Murænas tantùm fœminei sexus esse tradit, & concipere è serpentibus, vt diximus, ob id sibilo à piscatoribus, tanquam serpentibus euocari & capi. Hæc ibi. Quæ Pierius in Hieroglyphicis libro 29. de Muræna etiam retulit. Videat ibidem qui volet. D. Basilius, cum D. Ambrosio, in opere apud vtrumque titulo, Hexameron, siue de sex diebus inscripto: conformiter scribunt. Prior quidem Oratione 7. de reptilibus, sub finem: Vipera, inquit, infestissimum animal eorum quæ serpunt, cum marina muræna congreditur, sibiloque se adesse significans, ex profundo eam ad concubitum euocat.

Plinius. *Pierrius.* *D. Basil. & D. Ambros.*

Hæc autem moram gerit, & cum venenata bestia copulatur. Quorsum hæc spectat oratio? Vt intelligamus si duris & feris moribus sit vir, cum esse vxori ferendum, nec coniugium vlla ex causa dirimendum. Obiurgator est, at vir: vinolentus, at naturæ lege coniunctus: Durus & morosus, at iam membrum tuum est, atque omnium præstantissimum, Audiat etiam vir monitionē quæ ad ipsum pertinet. Vipera virus euomit, quòd vereatur ne careat concubitu: Tu animi inclementiam & inhumanitatē ne concumbas, non depones? Hactenùs D. Basilius Pierionio interprete. Ex quo Posterior sumpsit & hausit libro Hexameron 5. cap. 7. Vipera, ait, nequissimum genus bestię, & super omne quod serpētini est generis astutior, vbi coeūdi

cupidi

cupiditatem assumpserit, murænæ maritimæ notam sibi requirit copulam, vel nouam præparat: progressaque ad littus, sibilo testificata præsentiam sui, ad coniugalem amplexum illam euocat. Muræna autem inuitata non est, & venenatæ serpenti expetitos vsus suæ impertit coniunctionis. Ibidem paulò inferius. Vipera vbi aduentare comparem senserit, venenum euomit, reuerentiam marito deferens, verecundata nuptialem gratiam. Idem marito quoque accommodat dicens: Vipera venenum suum fundit, tu non potes duritiam mentis deponere? Discite, ô viri, qui alienam permolire quærit vxorem, cuius serpentis sibi asciscere cupiat contubernium, cui etiam comparandus ipse serpenti sit.

Festinat ad eam quæ venenum suum resumit: Vt vipera quæ fertur peracto coniunctionis munere, venenum quod euomuerat, rursus haurire: Adultera enim vipera est. Hucusque D. Ambrosius. Consentit vetustus auctor Orus Apollo Niliacus De sacris Ægyptiorum notis. libro secundo. Hominem, inquit, cum aliegenis coëuntem, significare volentes, murænam piscem pingunt. Hæc enim è mari egressa, viperis admiscetur, ac statim ad mare recurrit. Hactenus Ori Apollinis verba Latinè translata. Ex quibus Alciatus Emblema de matrimonio, ex viperæ & murænæ coïtu desumpsit, Docens in matrimonio requiri reuerentiam, viperæ exemplo euomentis venenum dum congressura est cum muræna. Sic abiiciat superbiam ac iram fœmina prudens coniugium initura: Paulus Iouius libro de piscibus capit. 31. agens de Muræna: Serpentes, inquit, cum murænis coïre, quas sibilo è profundis in littus euocent, complures antiquorum tradunt (vt patet supra.) Cui opinioni Athenæus refragatur authoritate Andreæ, qui de iis quæ falsò creduntur, librum edidit. Hęc Iouius. Apud Athenæum libro septimo Dipnosophist. cap. 29. sic, Nicander in Theriacis.

Orus Apollo. *Alciat. I. C. comp. Embl.* *Paulus Iouius.*

Si vera est fama vt coëat serpentibus atris,
In terris, pelagi cum liquit pascua læta.

Andræas in lib. 20. de iis quæ falsò creduntur, falsum esse inquit, quòd muræna coëat cum viperis in loca lutulenta progrediens. Siquidem neque viperæ in lacunis lutulentis pascuntur, quæ desertis paludibus potiùs solent oblectari. Sostratus in libris animalium, sunt autem hi duo libelli, coïre affirmat. Hucusque Athenæus. Sed de

his plus satis. Ad intermissa regrediamur verba.

Nónne benediximus nos, quia Samaritanus es tu, &c.

Si Maledicere est benedicere, Benedicitis: Sed væ illis qui dicunt malum, bonum, & contrà ait Propheta. Similes istis sunt Hugnostici qui Aurelianis, & alibi, belli sacri tẽpore, dum fierẽt proclamationes, de non diruendis Ecclesiis, & non violandis sacris, tunc vel maximè quasi signo dato, accurrebant omnes hæretici incendiarij ad diruenda templa & incendenda. Modus enim istorum est, vt negatio sit loco affirmationis: Et prohibitio malè agendi illis tantumdem valet atque concessio & iussio. Sic omnia apud eos à contrario sensu intelliguntur. Aliud in ore, aliud in corde & opere gerentes ac monstrantes. Sic isti: Nónne benediximus, aiunt, cùm tamen grauiter blasphemarent. Hoc vno verbo & doctrinam & vitam Christi calumniantes. Vocantes Dæmoniacum, Christi doctrinæ, quasi Diabolicam prædicaret doctrinam derogabant: Appellantes autem Samaritanum eius integritati ac sanctimoniæ aduersabantur, cum pro excommunicatis haberentur apud Iudæos Samaritani. *Ioan.* 4. Ad posterius conuicium respondet Christus quia infamabant eius doctrinam, tanquam furiosam ac suspectam, & mendacium continentem. Dixerunt enim aliquando, Quia in furorem versus est. *Et Matth.* 10 Si patrem familias Belzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius? Et Diabolus pater mendacij in Euangelio nominatur. De priore autem iniuria tacet, quia poterat habere bonum sensum. Est enim Samaritanus, idem quod custos.

Ioan. 4. *Matt.* 10.

Verè autem competit Christo illud psalmographi: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam, &c.* Samaritanum nominauerunt, vel quia apud Samaritanos manserat aliquot diebus. Ioan. 4. vel quia in parabola Luc. 10. Samaritanos Iudæis prætulerat: vel quia in decem leprosis à se mundatis, Luc. 17. Samaritanum tantum vt non ingratum commendauerat: vel quia vt Samaritanos, ita eum legis violatorem putabant. Dæmoniacum autem quia secreta cordis dicebat, quod ex Diabolo esse putauerunt, & quia dæmones eiiciebat, quod in Belzebub eum facere imponebant. *Luc.* 11. D. Paulus Hebr. 12. *Recogitate inquit, eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Sed ad Iudæorum confusionem, hæc illis obiiciamus:

Luc. 11. *Heb.* 12.

ciamus: Si Dæmonium habet Dominus, Cur ergo rugientes Dæmones clamabant & dicebant ei: Cur venisti ante tempus torquere nos? Cur rogabant ne ab eo torquerentur, vt mitterentur in porcos, ne expelleret eos extra regionem: ne ipsos in abyssum mitteret? Procidunt Dæmones supplices ad pedes eius, & horrendo clamore intonant, *Quid mihi & tibi. Iesu fili altissimi? Scio quia sis sanctus Dei.* Et vos, ô Iudæi Diabolo patro vestro duriore, negatis filium Dei, execrandam illi infertis blasphemiam, quòd Dæmonium habeat, qui aliis potestatem dedit eiiciendi in nomine eius Dæmonia. *Marc. vltimo. In nomine meo Dæmonia eiicient*, qui solo verbi imperio Dæmones expellit: qui ad hoc venit, vt dissoluat opera Diaboli. *1. Ioan. 3.* qui & dicit Ioan. 12. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Illi confitentur eum vel inuiti, vos erecta ceruice & corde incredulo, illi in faciem resistitis, discipuli vestro magistro deteriores. Samaritanum etiam eum vocant, quasi abiectum & despicabilem, quasi legis transgressorem, Apostatam, inuisum ipsis & odiosum. Cùm enim aliquem quamuis genere Iudæum, contemptibilem significare volebant, & eorum societate indignum, Samaritanum per contumeliam vocabant, vt hoc loco annotant grauissimi viri magnæque auctoritatis interpretes. Verùm de Samaritanis aliquando fusius scripsimus. Nunc ad sequentia.

Marc. vlt.

1. Ioan. 3.

Respondit Christus: Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me.

Benè admodum & verè dixit, Apostolorum princeps. 1. Pet. 1. de Christo: Cum malediceretur non maledicebat, quod hoc loco vel maximè perspicuum est. Accepit enim grauem ab æmulis iniuriam, & falsò quidē illatam, quam si in eos retorquere voluisset, verè de eis dixisset, quòd Dæmonio erant pleni. Ab illis tamen temperauit etiam veris contumeliis, & mansuetè vnum ab illis obiectum negauit, dicens: *Ego Dæmonium non habeo.* Hæc dulci verborum mansuetudine in eos ad lenitatem animi reducere curans. Vt enim testatur Sapiens: Responsio mollis frangit iram. Et alio loco: Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Ad alterum verò eidem obiectum minimè respondit, & tacita confessione id verum esse de se significauit, secundum spiritualem sensum. Ipse enim Dominus, custos, quoniam vt in psalmis sparsim habetur:

Dominus custodit nos ab amni malo. Dominus, iterum, custodit omnes diligentes se. Custodit etiam Dominus animas Sanctorum suorum. Hinc *Luc.10.* Dominus se Samaritano comparat, exhibenti misericordiam saucio, ac semiuiuo relicto. In his autem verbis.

Luc. 10.

Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me, implicitè continetur rationatio: Nunquam Dæmonium honorificat Deum & patrem, sed propriam gloriam quærit, sibi procurat sacrificia fieri, iuxta illud psalmi: Immolauerunt filios & filias suas Dæmoniis, & in throno Dei sedere nititur: iuxta quod habetur in Propheta: Ego verò patri honorem defero: Igitur *Dæmonium non habeo.* Continetur & ista ratiocinatio aduersus eos: Quicunque filium Dei inhonorat, maligno spiritu impellitur: Vos inhonorastis me: Proinde estis Dæmonio pleni. Emphasim habent hæc pronomina, Vos & Me. Vos homines, Me verum Dei filium. 1. Ioan. vltimo: *Vt simus in vero filio eius.* Vos serui, Me Dominum: Vos peccatores & tales conuicti, Me innocentem ac irreprehensibilem, quem conuincere peccatorem nullatenus valetis: Vos, inquam, inhonorastis me. De quibus appositè illud. *Isaiæ* 1. intelligitur: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam: filiis sceleratis: Blasphemauerunt sanctum Israël,* eum nimirum qui dicit: *Ego Dominus sanctificans eos.* Benè dixit Oseas cap. 4. *iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium inundauerunt.* Quæ ad oculum hîc omnia perspiciuntur, in mendacibus, maledicis & plusquàm parricidis istis Iudæis, Dominum Christum, suum regem ac Messiam tam impiè blasphemantibus. Aduersus quos hîc disceptat, eosque peragit reos. Maledixerunt quondam, vt *in 4. Regum* libro legitur, pueri Eliseo, & à duobus vrsis de saltu egressis occiduntur ac deuorantur. Chore ac rebelles Moysi, absorpti sunt & descenderunt in infernum viuentes. Nunc verò Dominus de istis tam apertè blasphemis non vlciscitur, sed patienter, & magna cum animi moderatione tot sustinet improperia ac opprobria: Quia olim Deus vltionum vocabatur: modò vltionem: non excercet, sed venit vt salutem conferret, & Apostolis de Samaritanis qui eos non exceperant, vindictam expectantibus, respondit: *Nescitis cuius spiritus sitis. Non venit filius hominis animas perdere sed saluare.*

1. Ioann. vlt.

Isai. 1.

Osea. 4.

4. Reg. 4.

Ego

Ego nō quæro gloriam meam: Est qui quærat & iudicat,&c. Hoc loco syllogismus iste inuoluitur, Quicunque à Dæmone impelluntur, suam gloriam quærunt: *Ego gloriam meam non quæro*, sed patris: Non igitur vt blasphematis, sum Dæmoniacus. Non enim talis spōte laudat Deum: Sed sicut Psalmographus cecinit. *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Est qui quærat & iudicet.* Deut. 18. *Qui verba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit: ego vltor existam, dicit Dominus.* Pater glorificat filium suum: Non eum ergo habebit insontem, aut impunitum relinquet, qui filium contempserit. Quod pulchrè sequenti illustratur Historia. Refert Nicephorus libro 12. cap. 9. quòd Amphilochius senex Episcopus Theodosium Magnum Constantinopoli existentem adiit: vt Arianorum conuentus ab vrbibus semoueret. Eius supplicationem Imperator tunc non probauit, At sapiens ille rursus cum reliquis Episcopis in aulam veniens, Imperatorem ita vt decet, atque vt alij Episcopi fecerunt, consalutauit: filium suum Arcadium, qui nuper ad Imperium lectus fuerat, non eadem reuerentia impartita inhonoratum reliquit: Sed veluti cum puero colloquens, manu eum demulcet: Salue & tu, ô puer, inquit. Imperator qui senem rusticus agere existimaret, quomodo filium salutare deberet, docuit. At ille sufficere ei honorem talem dixit. Imperator iratus veluti filius iniuria affectus esset, cum conuicio Episcopum abduci iubet: Cumque protruderetur conuersus paululum quod erat occultum in animo proferens: Videsne, ait, Imperator, quàm tu procaciter filio illatam contumeliam non fers, sed amarulenter in nos excandescis? Sic scilicet existimare te oportuit succensere etiam celestem Imperatorem, & patrem vnigeniti, propter eos qui non communem illi tribuunt honorem, sed longè minorem patre vocare audent. Imperator cum rem actam intelligeret, & admiraretur, ad se sacerdotem accersiuit, & ad pedes eius prouolutus, veniam ab eo petiit: & ita se rem habere professus est: Postea eos, qui aliter quàm Niceæ statutum fuerat, opinarentur, aduersatus est. Hactenus Nicephorus. Hæc sententia, *Est qui quærat & iudicet*, non est contraria illi: *Pater non iudicat quemquam Ioan. 5.* Nam ibi est sermo de iudicio vniuersali: hìc significatur Patrem vlcisci, siue in hac vita siue post eam inobedientiam & ignominiam filio illatam. Hæc Iansenius vbi supra.

Deut. 18. *Niceph.* *Ioan. 5.*

Obſerua, Hæc verba, Eſt qui quærat & iudicet, latiſſimè patere: Præſertim verò accommodari tunc, cum ad Dei tribunal quis ab hominibus prouocauerit & appellauerit. Quandoquidem corrupta ſunt & praua hominum iudicia, appellatum eſt à quibuſdam potiſſimùm in mortis articulo, ad incorruptum & æquiſſimum iudicem Deum, aduerſus vim Tyrannorum, nec vanus fuit euentus. Sic 2. *Para.* 24. Zacharias Propheta cum lapidaretur: Videat Dominus, inquit, ac requirat. Eſt enim qui quærat & iudicet. Patet autem ibi, quomodo anno reuoluto punitio eſt inſecuta. Habetur quoque Rerum Hiſpanicarum tomo priore ex Hiſtoria Roderici Santij, parte quarta, capit. nono de Ferdinando, quarto rege Caſtellę & Legionis, & tomo poſteriore ex Michaëlis Ritij Hiſtoria, libro tertio de Regibus Hiſpaniæ: Item apud Fulgoſium libro primo, capite ſexto de miraculis, magno pręfatorum ſcriptorum conſenſu narratur, quod cùm duo nobiles de Caruaial coram prædicto Rege de proditione accuſarentur, Rex ipſe præcipiti iudicio, præcipitari eos de altiſſima rupe iuſſit: Illi tamen ſeſe innocentes aſſerebant. Quare cùm humanum deeſſet auxilium, ad diuinum recurrerunt, & propter iniuſtam mortem Regem citarunt, vt infra 30. dies coram diuino compararet tribunali, rationem de tam iniqua morte redditurus. Adueniente igitur die citationis, cum Rex eſſet apud ciuitatem Gienenſem, poſt ſomnum meridianum repertus eſt mortuus. Abſtinere debent principes à feſtiuo iudicio. Hæc ibi. Volaterranus libro 21. Antropologiæ.

2. Par. 24.

Rerum Hiſpan. Chronic. & Fulgoſius.

Volater.

De viris claris ordinis Diui Franciſci. Gualterius, ait, Burgenſis, miniſter Turoniæ, quem ob ſanctitatem prodigiis clarere dicunt, magnumque æs alienum benignè pauperibus faciendo contraxiſſe: Cũ ſummus eſſet Theologus multaque ſcripſiſſet, ac inuitus præſul Pictauenſis crearetur: Venit in litem pro iure Eccleſiæ ſuæ, cum præſule Burdegalenſi, qui paulò poſt Pontifex creatus, nomine Clementis V. hunc aduerſarium ſuum præſulatu deiecit. Quare Gualterius cum hanc iniuriam æquo animo tuliſſet, moriens corpori huiuſmodi chyrographum imponi iuſſit. Ad iuſtum Dei iudicium appello, quod Clemens cum legiſſet, dicitur expauiſſe. Narrat Æneas Syluius Hiſtoriæ de Europa capit. 43. Quòd Britanniæ dux nomine Franciſcus, fratrem ſuum ex Anglia reuerſum, captum in car

Aeneas Syluius.

in carcere necauit: Fama est eum, cum neci traderetur, impietatem fratris accusando, Franciscum coram diuino iudicio de parricidio responsurum, infra annum citasse. Ob quam rem cùm infra præfinitum tempus Franciscus hydropisi laborans obierit: vt est religiosa Gallorum natio, Correctum eum diuina censura vulgò creditum est. Fulgosius lib.1.cap.6.Exemplorum,hanc refert notabilem historiam. Temporibus nostris, ait, cum Genuensium triremes aduersus Piratas instructæ, biremem Catalanam cœpissent,Genuenses,biremis rectorem furcis noctu aprehenderunt, & cum miser se iniquè id pati à Genuensibus quęreretur,cùm nunquam eos violasset,posteaquā perspexit frustra à se ea dici apud eos,qui plus odio gentis,quàm hominis causa mouerentur:pro iniuria ad Deum appellauit:citato patrono Genuensium, vt intra sextum mensem corā Deo compareret, intra quod tempus is Patronus quē citauerat,mortu⁹ est.Hęc ibi.Vbi humanū deest subsidiū, pro iustitia diuinum à Deo mittitur,vt insolentium malignitas contundatur Est qui quærat & iudicet,inquit Christus.sunt & alia huius generis exempla, à quibus referendis supersedens,ad sequentia me conuerto. *Fulgos.*

Si quis sermonem meum seruauerit,mortem non gustabit in æternum,&c.

Non sufficit audire, sed seruare & opere complere oportet: vt alias annotauimus ad hæc verba Luc.11. *Beati qui audiunt verbum Dei,& custodiunt illud.* Primus parens etiam ad literam, quia mandatum Dei de non edendo, non seruauit, mortis incurrit necessitatem, ac mortem æternam ipso facto demeruit. Iuxta verbum Domini: Quacunque hora comederis morte morieris, nedum pro se, sed & pro suis posteris. Sic violatores sermonis morte digni sunt. *Virtus Dei est in salutem omni credenti,*scribit de Euangelio Rom.1.Apostolus.Idem Hebr.5. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Notanter autem dicitur:*Obtemperantibus sibi,*Quia, vt ait nunc Christus.*Si quis sermonem meum seruauerit,&c.* *Luc.11.* *Rom.1.* *Heb.5.*

Dixerunt Iudæi Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis,Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum?Nunquid maior es patre nostro Abraham? Saducæorum videntur olêre errorem, toties mortē ingeminātes, cū de Patriarchis loquūtur cum tamen Deus quòd viuant illis ferat testimonium dicens:*Ego sum Deus Abrahā,*

& Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, ait
Mat.22. Christus *contra Saducæos Matt.22. sed viuentium*. Quòd si dicant se non de æterna morte intelligere: Quare ergo Christo repugnãt & cõtradicunt? Cum ipse de morte potissimum æterna intellexerit, atq; adeò disertis verbis mẽtẽ suã expresserit, dicens: *Mortem non gustabit in æternũ?* Sed vt psaltes cecinit regius: *Sepulchrum patens est guttur eorũ*. Quæ autem maior contumelia, quàm eum mortuum dicere, cui ipse Deus fert testimonium quòd viuat? vt supra *Matth.22.* Et Sapiens: *Iusti autem in perpetuum viuent, &c.*
Apoc.13. Impietas nec Deo, nec Sanctis parcit. *Apoc.13. Bestia aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant. Quẽ teipsum facis?* Quasi dicant: Nimium te glorificas. Supra modum te
Authymius. extollis. *Respondit Iesus: Si glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Euthymius Gręcus interpres, hunc locum: Gloria mea nihil est, sic explicat. Scilicet sicut vos supiscamini. Nã hoc ad illorũ cogitationẽ locutus est. Quasi dicat: Si ego magnifico meipsum, videor vobis mentiri. Id contra κενοδοξίαν seu vanam gloriam & ostẽtationem dictum est. Quid enim aura popularis quæ captatur à mundanis, laudis humanæ cupidis, aliud est quàm ventus, aut vapor ad modi-
Isa.40. cum parens? vmbra vana, aut meliùs somnium vmbræ? *Isa.*
1. Mach. 2. *40. Omnis caro fœnum & omnis gloria eius quasi flos agri excicatum est fœnum & cecidit flos*, iterum Mathath. 1. Machab. 2. *A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius stercus & vermis est, hodie extollitur, & cras nõ inuenietur, &c.* Nihil itaq; incõstantius, nihil fugacius, nihil deniq; vanius vana gloria. Ideoque verissima est sententia: *Gloria mea nihil est.*

Est pater meus qui glorificat me: Quẽ vos dicitis quia Deus vester est, & non cognoscitis eum, &c.

Quomodo pater glorificat filium? Planè in omnibus. In
Heb.1. natiuitate, quia nasci fecit de virgine: Denunciari ab Angelis, & cum introducit primogenitum in orbem terrę dixit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*: vt D. Paulus. *Hebr.1.* scribit. In Iordanis flumine dum baptizatur. In mõte Tha-
Ioan.17. bor, dum transfiguratur: in voce de cœlo delapsa, Ioan.17. *Clarificaui & iterum clarificabo*: In Lazari suscitatione, Ioã. 11. in Christi monumẽto clauso, de mortuis resurrectione, tertia die: Tum demum in eiusdem gloriosa ascẽsione: in summa, In omni dominicæ dispensationis opere: In miraculis: in vita: in doctrina semper Pater glorificat filium.

Non

Non cognouistis eũ &c. Scilicet vt patrem, quia negligitis, & iniuria afficitis filium. Non vt Deum, quia eum non reuerebantur, & quia, licet ore faterentur, factis interim negabant. De filiis Heli scribitur. *1. Reg. 2.* quòd Nesciebãt Dominum, ob eorum corruptos mores Tit. 1. *Confitentur se nosse Deum factis autem negant.* *1. Reg. 2.* *Tit. 1.*

Ego autem noui eum, quia eiusdem substantiæ cũ patre: & vt subdit, *quia quæ placita sunt, ei facio semper. & sermonẽ eius seruo, inquit*, 1. Ioan. 2. *In hoc scimus quòd Deum cognouimus, si mandata eius seruamus.* Verùm de his alias diximus, De Abrahã deinde subiicit: *Abrahã exaltauit vt videret diẽ meũ. Vidit & gauisus est.* Sanè vidit diem Domini Abraham, quãdo in spiritu cognouit Christum ex sua stirpe in carne nasciturum in promissione sibi facta. *Gen. 22. Gal. 3.* In semine tuo benedicentur omnes gentes: *Non in seminibus, quasi in multis, sed in vno semine, qui Christus est.* Aut tunc diem Domini vidit, quum in figura summæ Trinitatis, tres Angelos vidit, & vnum adorauit, vt canit Ecclesia, illosq; hospitio excepit. Sic tribus quasi vni locutus est: quia etsi in personis numerus Trinitatis est, in natura tamen vnitas est diuinitatis: Vel diem suum dicit diẽ crucis, quẽ Abrahã oblatione arietis & Isaac præfigurauit. Gen. 22. Verũ missa faciamus hæc, dicentes: Abrahã vidisse diem Domini quãdo iam in placida sanctorum patrũ requie positus, agnouit filium Dei esse incarnatum. Et id quidem cognouit, per testificationem iusti Symeonis: qui post Dominum susceptum in vlnis, requieuit in pace: & intimauit sanctis Patribus eum natum: aut per denunciationem Angelorum, sanctos patres sæpius visitantium, & quæ consolationem eis afferrent, spemq; propinquæ liberationis præstarent, benignè ipsis significantium. Quis pius dubitauerit, Angelos antiquis Patribus in Lymbo existentibus, Saluatoris ortũ annunciasse, sicut in terris pastoribus eadem nuntiauerũt natiuitatis nocte? Tunc profectò Abraham cognouit ac vidit, scilicet in spiritu diem Domini, de quo Psalm. 117. *Hæc dies quem fecit Dominus exultemus & lætemur in ea.* *1. Ioã. 2.* *Gen. 22.* *Galat. 3.* *Psal. 117.*

Et gauisus est: illũ salutiferũ diem tandẽ aduenisse, quem vt videret multis ante seculis & annis exultauerat, Cũ scilicet adhuc in carne positus repromissionẽ accepit. Christũ exse nasciturũ esse, cuius cõplendæ promissionis diẽ cum gaudio expectabat, sperabatq; venturũ, vt hoc loco magni adstruũt viri. Quomodo ergo verũ est, quod *Luc. 10.* dici- *Luc. 10.*

 tur,

tur, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Amen dico vobis, Multi reges & Prophetæ voluerũt videre, quæ vos videtis & nõ viderũt:* Hîc autẽ dicitur, quod Abraham, qui in Genesi, Propheta etiam à Domino nũcupatur. c. 20. Vidit diẽ Domini, & gauisus est. Responsio est, per distinctionem visionis: Non vidit occulariter in carne positus, vt Apostoli, sed vidit visione fidei, visione Prophetica: Vidit non corpore sed mente, & id quidem verum est, vidisse Abraham diem æternitatis, in Trinitatis mysterio & inuolucro, Diem tẽporalis generationis ac natiuitatis, & diem crucis siue passionis in sacrificio filij & arietis. Obiecerũt Iudæi, sed perperam & extra propositum dicentes:

Theoph. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Non dixerat se Abrahamum vidisse, sed cõtra quòd Abraham diem ipsius vidisset. Theophylactus in hũc locum sic commentatur: Existimabant Dominum fermè 50. annorũ esse, tametsi tunc 30. & tres tantùm annos haberet. Quidã dicunt ad honorem Iubilæi dictum, qui annus erat quinquagesimus. Iansenius, Existimauerunt, ait, seniorem fuisse Christum ob grauitatem vultus, & ob multum laborẽ in prædicationibus: Vel appellatione 50. annorum spectauerunt ad morem sui sæculi, id est, Iubilæi. Hactenus illi. *Ianseni⁹.*

Exo. 3. *Respondit: Antequam Abraham fieret, Ego sum, &c.* Nõ dixit, Eram, vel Fui, sed sum, *Exod. 3. Ego sum, qui sum: qui est, misit me ad vos.* De Abraham, qui est creatura, verbum fieri dicitur: De filio Dei eiusq; vnigenito, Sum, verbum substantiuum. Hinc filij Dei probatur æternitas. Essentis nomẽ in diuinis vsurpamus. Hinc τετραγράμματον nomẽ Dei, 4. literarũ scilicet יהוה, ab essentia deriuatur in lingua Sãcta, vt patet ex thesauro Pagnini, & Lexico Hebraïco. *San. Pagni. in Thesauro linguæ Sanctæ.*

Tulerunt lapides Iudæi vt iacerent in eum, &c. Mittunt in eum lapides: Dura duri: Qui in lapide legem acceperãt, in eum lapides iaciunt: Duritiam cordis ei obiiciunt: vt blasphemum lapidare volunt. Figuratur in hoc quod 2. *Reg. 16.* scribitur: *Semei mittebat lapides in Dauidẽ, & male dicebat cũ fugeret Absalon* Leu. 24. *Educ blasphemum & lapidetur.* Cõsidera & pondera circunstãtias: Qui lapidare voluerunt? Iudæi, & ex illis Principes, à maioribus egressa est iniquitas. Quem? Docentem eos, & eis benefacientẽ? Vbi? in templo, loco sancto, vt statim subditur: ô immanitatem! *2. Reg. 16. Leui. 24.*

Iesus abscondit se, & exiuit de templo, &c. Cœlica potestate inuisibilem se insidiãtibus exhibuit, quemadmodum cum

cum sui de supercilio montis præcipitare eum vellent. Luc. 4. *Ipse transiens per medium illorum ibat.* Quo facto do- Luca 4.
cuit nos fugere ab homine furioso. Quando feruet olla & ius totum diffunditur, præsens est remedium, si à prunis eam abstuleris: Sic à furiosis, iráque efferuescentibus præsentiam tuam subtrahe. Vnde sapiens ait: Honor est homini qui separat se à contentionibus. Sic Iacob fugit à præsentia Esaü: & Moses ab Ægypto: Dauid à Saüle. Elias à Iezabel, & Paulus Damasci submissus est in sporta. Interim tamen non defuit eis refugium, & consolatio diuina. Nam Iacob inuenit sibi in domo Laban refugium: Moses eodem modo socerum inuenit principem & ditissimum. Dauid regnum: Elias Angelum, & Paulus diuinas consolationes. Ergo, vt ait Christus, *Si vos persecuti fuerint in vna* Matt. 10.
ciuitate, fugite in aliam. Exiuit de templo, inquit, Euangelista: Potuit quidem facere vt brachia eorum subitò arescerent, vt olim Hieroboam Regis Israël brachium exaruit. *3. Reg. 13.* cum Prophetam apprehendere aggressus esset: 3. Reg. 13
Vel facillimo quidem negotio eos prostrauisset, sicut & mortis suæ tempore, in horto comprehendere eum volentes, deiecit in terrã: Vel vt terra dehisceret, & illos deglutiret, vt quondam Chore, Dathan, & Abiron. *Num. 16.* Vel Num. 16
vt tempore Heliæ, ignis cœlo delapsus, ipsos viuos exureret, atque consumeret: sicut olim quinquagenarios. *4. Reg.* 4. Reg. 1.
1. Vel facere, vt cæcitate & acrisia percussi, ad templi exitum ac valuas pertingere peruenirèque nullo modo possent: Sicut olim Sodomitæ *Gen. 19.* Ab Angelis percussi, Gen. 19.
circumuallata domo Loth, vt vim inferrent, portas tamen domus inuenire non poterant. Sed patientiæ exemplum, non autem vindictæ nobis relinquere voluit, vt illi conformes effecti, gloriæ eius consortes quoque, per eius gratiam, tandẽ existamus. Cui laus & imperium in sæcula sæculorum.
Amen.

*

FERIA



FERIA SECVNDA, POST DOMINICAM IN IN PASSIONE.

De ministris ad Christum comprehendendum missis. Ioan.7.

Miserunt Principes & Pharisæi ministros, vt comprehenderent Iesum.



IN Sacra Regum historia legitur, quòd Saül persequens Dauidem, sciēs illum esse cùm Samuële aliisque Prophetis, miserit ministros suos, vt vinctum illum sibi adducerēt. Et cœperunt, qui missi fuerant, prophetare. Misit & alios, quibus similiter contigit: Misit quoque tertius, qui, vt primi, prophetauerunt illuc tandem & ipse iuit, & idem sibi accidit quòd & nunciis suis. 1. Reg.19. *Sic & nunc, miserunt Principes ministros, vt apprehenderent Iesum, & ipsius sermone capti sunt, & ad suos reuersi vacui interrogantur. Nunquid & vos seducti estis?* Vnde patet istorum in melius conuersio. Refert Marulus lib. 2. Exemplorum c.9. Petrus iterum, de natalibus lib.6.c.133. consentit, quòd Philetes Hermogeni magi discipulus, cùm Iacobo maiore de fide certamen iniit: Victus autem credidit, & ad magistrum suum reuersus: Magus abieram, inquit, redeo Christianus. Scribitur præterea. 4. *Reg.1.* Tres quinquagenarios ad comprehendendum Eliam, à Rege Ochosia missos: Ex quibus duo cùm suis 50. militibus quibus præerant, igne cœlitus, delapso consumpti sunt. Iterum 4. *Reg.6* Rex Syriæ misit in Dothaim equites, noctu aduersus Eliseum: Qui percussi cæcitate & acrisia, ab eodē in Samariam inter hostes deducuntur, deinde remittuntur ad suos. Concordat & *Act.9.* narrata historia, quomodo Saulus, qui & Paulus furens aduersus Discipulos seu Christianos à Principe sacerdotū cùm Epistolis & mandatis in Damascū missus est: & in ipso itinere à Christo in cœlis regnante capitur,

1.Reg.19

Marul⁹, & Petr⁹ de Natalibus.

4.Reg.1.

4. Reg.6

Act.9.

capitur, ac miraculosè ad fidem cōuersus est. Memoranda est Polemonis conuersio: Cuius Laërtius lib. 4. & Valerius li. 6. c. 9. de mutatione morum meminerunt. Prior quidem sic: Cùm esset Polemon Atheniēsis adolescens, adeò lubricus fuit, vt aliquando ex composito cùm sodalibus ebrius & coronatus in Xenocratis irruperit scholam. Tunc ille quàm cœperat orationem de Temperantia, ardentius quoque prouexit. Illius oratione sensim impurus adolescens seipsum collegit, vt cæteros studio vinceret, eíque in schola regenda succederet. Hinc de illo Horatius lib. 2. Sermonum, Satyra tertia circa finem de illo cecinit: *Laërtius* *Valer.* *Horati*.

Olim mutatus Polemon.
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri.

1. Xenocratis. Ita de istis ministris quadā tenus ęstimare debemus, quòd subitò mutati in melius, qui iuerāt ad capiendum Christum, ab ipso capiuntur, ab eius colloquio & præsentia reuersi meliores. Dicunt etiā de eo: *Nunquam sit locutus est homo.* Verùm vt ad contextum accedamus Obseruemus cùm facundissimo Cornelio Italo lib. 3. Concione de pœnitētia Christiana, parte tertia (vertam Latinè vt ab omnibus capiatur.) Qui sunt illi qui miserunt? Principes & Pharisæi. Si plebs ignara & rudis, aduersus Christū seditionem mouisset, contra fidem, contra religionem, non mirum esset. Quid enim nouit fæx illa populi, ex his quæ ad Christū, fidem, religionémque pertinent? Quærit stultus populus viam latā, sensum, non rationem sequitur. Loquimini placentia, inquiunt, & audiemus: ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros parientes auribus, & à veritate quidem (quàm præ omnibus honorare, plurísue ęstimare præclarum est) auditum auertent, ad fabulas autem conuertētur. 2. Timoth. 4. Verum. Nónne intolerabile fuerit, quòd principes populorum, quibus commissa est Christi defensio, fidei, Ecclesiæ, ac religionis, nec nō Sacramentorū: quique à maioribus suis, longa temporū successione edocti sunt doctrinam catholicam illáque imbuti: qui etiā iureiurando ac sacramento se adstrinxerunt pro Christo, fortunas omnes suas, regna, vitam denique ipsam exponere, ac profundere pro sancta Dei Ecclesia, quòd tales inquam, authores sint hæresum ac propugnatores? Per quos fides catholica iacturā dānúmve patiatur? Per quos Christus ipse persecutionē & exilium sufferat? Heu! heu! Principes, *Cor. Ita.*

cipes,vos estis per quos Symon Magus emit,Giezi vendit, Iason (de quo in Machabæis) sacerdotiũ ambit, ac Osias vsurpat, sibíque illud vendicat, & arrogat immeritò, vt in
Isa.1. libris Regum scribitur.Isaiæ 1.*Principes tui infideles, socij fu-*
Luc. 24. *rum.Omnes diligunt munera:sequuntur retributiones.* Luc.24. *Principes nostri tradiderunt Christum in condemnationem mortis.*Dicebant duo discipuli illi in Emauntem proficiscentes
Psal. 2. Psal.2.*Principes conuenerunt in vnũ,aduersum Dominũ & ad-*
Psal.118. *uersus Christũ eius.*Et Psal.118.*Principes persecuti sunt me gratis,*conqueritur vir pius.Et sicut veteri adagio dicitur, Piscis à capite fœtet:Sic à Principibus & iis qui regunt populũ egressa est iniquitas. Sed ne viderentur Prælati ab hac Christi persecutione exclusi:additur in textu, *Et Pharisæi.* In Principibus intelligo dominos temporales,in Pharisæis autem, qui religiosorũ vicẽ locúmque tenebant apud Iudęos,dominos spirituales.Hactenus Cornelius Bitontinus Episcopus Frãciscanus. Hi ergo Pharisæi cõspirauerant,& coniurauerant in Christũ Dominũ,adeò vt de nece ei inferenda omnes malitiosè procurarent, modos. Cæterùm & in Apostolum Paulum,tale quidpiã etiam machinatũ fuit:
Act. 23. vt constat *Act.23.* Et videbatur quidẽ eis quòd id præstare deberent necessariò:quoniã ita coniurauerãt, & quodammodo vouerant. Consule præfatum caput.

Dixit eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui misit me.

Aduerte,quæso,quàm dulciter Christus eos, qui apprehendere eũ volebant,induceret ad vitæ emendationẽ!Plu-
Plutarc. tarchus to.1.Opusculorum, in coniugalibus præceptis:Sol Aquilonẽ vicisse aliquãdo traditur, cùm ventus adimere homini palliũ vellet copioso flatu, arctius id contraxit & tenuit. Sole autem post ventũ calidis radiis eũ vrente, præ æstu simul cùm pallio tunicã exuit: Sic de placidis verbis, & de vi cuipiã illata æstimare possumus: Plus enim quandoque proficies verbis blandis, quàm si vim adhibeas, vt ait Sapiens,& aliàs allegatum est:*Sermo mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorẽ.* Quemadmodũ aqua frigida olleo feruenti iniecta, eius ebullitionẽ sedare solet:Sic blandus sermo demulcet & lenit animos iratos,ingẽtésque de-
Valerius primit spiritus:adeò (vt ex memoranda habemus historia
Plutarchus & ab antiquis relata Scriptoribus) districtos iam gladios in
vaginam recondi fecerit. Narrat Valerius lib.8. c.9. de vi
Appian. Eloquentiæ, Quòd missi milites, tempore Mariani belli ciuilis,

ciuilis, ad M. Antonium Oratorem obtrūcandum, sermone eius obstupefacti, districtos iam gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt. Quàm disertum eum fuisse putemus, quem ne hostium quidem quisquam occidere sustinuit, qui modò vocem eius ad aures suas voluit admittere! Lepos orationis eiusdem effecit, vt nemo nec attingere, nec aspicere sustineret, sed defixo in terram vultu, omnes flerent. Vt eadem de re scripsit Plutarch. to. 2. Vitar. in C. Mario. Sic Antonius facundissimus, milites mulcebat longa oratione, miserationem mouens variis modis: vt Appianus Alexandrinus lib. 1. Bellorum Ciuilium testatur. Tandem tamen princeps eloquentiæ Antonius, per tribunum militum, nomine Antronium cùm furore accurrentem, cùm milites delinitos eius oratione videret, obtruncatus est, & præcisum caput remisit ad Marium. Facilè accommodabitur hoc exemplum facto præsentis historiæ. Quemadmodum enim satellites, vt eum interficerent ad se missos, sermone blando demulsit, & placauit ille Orator prænominatus: Tandem tamen interfectus est ab illorum duce, tribunóque: Sic cùm Christus ministrorum impetum melliflua eloquētia sua aliquātisper retinuisset, ita vt propria confessione, quòd *nunquam sic homo locutus fuisset*, se in melius mutatos demonstrarent, Christóque à modo fauore, & ei bene affici: Tandem tamen à tribuno & cohorte in horto comprehensus est, & à principibus Iudæorum in damnationem mortis Pilato præsidi traditus, tum demum & crucifixus est.

Adhuc modicum, &c. Exemplo Christi aduersus impiorum insidias, & cōtra aduersa omnia nosipsos cōsolemur, cogitantes vitæ huius breue curriculū. *Breues dies hominis sunt, ait Iob.* Et Medicorum facile princeps, Hippocrates, *Iob. 14.*
Aphorismo 10. *ὁ μὲν βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή*, id est, Vita breuis, Ars verò longa. Adhuc modicum, ait Christus. *Hippocrates.*
Modica passio gloria infinita. Ad horā, ad breue temporis momentum, pressuram patimur in mundo: sed merces nos manet æterna. *Mulier, cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: Postquam peperit, non meminit pressuræ propter gaudium*, ait Redemptor noster, Ioan. 16. 2. Mach. 7. *Fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento vitæ æternæ effecti sunt. c. 6. Eleazarus nonagenarius dicebat: Ne adolescentes propter modicū corruptibilis vitæ tēpus decipiātur &c.* 2. Cor. 4. *Quod in præsēti est momētaneū, & leue tribulationis nostræ: supra mo* *Ioan. 16.* *2. Mac. 7* *2. Cor. 4.*

1.Pet.5. *modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 1. Pet. 5. *Modicum passos ipse Dominus perficiet.* Sic itaque modicum huiuscemodi, præ oculis positum, hoc est, vitæ labilis momentum, animosiores reddebat ad tolerantiam pios & fortiores. Et, vt ex Scriptoribus prophanis nonnihil decerpamus, Cicero de Senectute refert, Pisistrato Tyranno à Solone responsum esse, quum illi quærenti, qua tandem re fretus, sibi tam audacter resisteret? Nempe, Senectute aiebat Solon. Hoc ipsum & alius respondit: cuius meminit Valerius, lib. 6. ca. 2. de liberè dictis. M. Castritius quum Placentiæ magistratum gereret, Cn. Carbone Consule iubente decretum fieri, quo sibi obsides à Placentinis darentur, nec summo eius imperio obtemperauit, nec maximis viribus cessit, atque etiam dicenti multos se gladios habere, Respondit, Et ego annos. Carbonis ira, quia materiã sæuiendi per quàm exiguam habebat, Paruulum vitę tempus ablatura, in seipsa collapsa est. Hactenus ibi. Illi ergo duo, consideratione longæuitatis (si hoc nomine mihi vti liceat) quia modicum adhuc hac in vita permãsuri essent, fortiter fecerunt. Intrepidos faciebat Senectus, quum suo fini iam proximos se cogitarent. Ita & nos meditari oportet, & ad optima nos accingere redimentes tempus, ait Apostolus. Michaël Neander in linguæ sanctæ Erotematibus Basileæ impressis, inter Apophtegmata sapientũ Hebręorum seu Rabbinorum, citat istud Rabbi Simeonis fol. 348. Quòd Latinè vertit hoc modo: Dies breuis (est) & opus multum, & operarij pigri, & merces multa, & pater familias vrget. Hæc ille. Et Ouidius libro 6. Fastorum in fine cecinit.

Cicero.

Valeri⁹.

Ouid.

Tempora labuntur, tacitísque senescimus annis:
Et fugiunt, fræno non remorante, dies.

Auſoni⁹. Et Ausonius ad Gallam puellam
Obrepit non intellecta senectus.

Ioan. Damaſ. Volens D. Ioannes Damascenus ostendere miseriã hominis, quámque sit plena eius vita periculis, adducit quandam similitudinem: Quomodo quidam fugiens draconem immanem ne deuoraretur ab eo, casu infelici cecidit in profundissimum puteum: Cúmque deorsum ad ima putei tenderet, fortè apprehendit ramum cuiusdã arbusculæ, quæ in ipso medio itinere putei fuerat procreata: Huic itaque manibus pedibúsque innixus, & aliquantulum ab animi perturbatione, sedatus, atque quietus, ecce inspexit in radi

in radice ipsius arbusculæ duos grandes inhærentes vermes, alterum album, alterum verò atrum eandem corrodentes. Vnde miser considerans sibi magnum imminere periculum, exhorrens casum profundum, oculos fortè suos ad putei ima direxit, vbi etiam quendam horrendum serpentem ore aperto expectantem eum quando caderet intuitus est: timoréque correptus grauissimo, in sublime suspexit, & heu! Iam eò peruenerat draco ille terribilis, & ad os putei miserrimum illum operiens, stabat. Ille itaque in tanta animi perturbatione & perplexitate positus, rursus arbusculam intuitus est, viditque in quodam eius ramo pendentem fauum mellis, quem ibi examen apum pepererat, & manum extendens, accepit de eo partem aliquam, comedénsque statim oblitus est miser, periculi in quo versabatur: En igitur vermes in ipsa maiori saporis oblectatione, penitus radicem corroserunt arbusculæ, atque subitò ad putei ima delapsus homo in horrendi serpentis os decidit deuorandus. Interpretatio autem huius parabolæ est ista: Draco iste mors est: quæ hominem deuoratura persequitur: Puteus verò est iste mundus: Arbuscula, singulorum vita: Duo autem Lethales vermes, sunt Dies, & Nox, qui vitam nostram sine intermissione corrodunt, atque præcidunt: Serpens horrendus, est infernus ac barathrum, quòd aperto ore cadentem præstolatur, vt deuoret, illum, inquam qui gustu mellis, hoc est, mundanarum voluptatum & gaudiorum illectus ac consopitus, maxima socordia vitam tandem in vitiis traducit.

Quæretis me & non inuenietis, & vbi sum ego, vos non potestis venire, &c.

Salomon *Prouerb.1. Vocaui, ait, & renuistis, extendi manum meam, nec fuit qui aspiceret. Mane consurgent, & non inuenient me.* Tremenda sunt hæc comminatoria verba. De hac sententia aliâs diximus. Interim obiter tamen hæc obseruabimus. Primò: Quòd quærendus est Dominus opportunè, alioqui non inuenietur: *Quærite Dominum dum inueniri potest*, ait Propheta, *Inuocate eum dum prope est.* Secundò: Dominus quærendus vbi inuenitur. Deum (quamuis sit vtique, cœlum & terram impleat, per essentiam præsentiam ac potentiam, vt loquuntur Theologi) non inuenimus in lecto, voluptatis scilicet, sicut Cant.3. *In Lectulo meo per noctes, quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum & non inueni.* Vbi nimirum sunt otiosi, & garruli, fraudulenti,

Proue. 1.

Isai. 55.

Cant. 3.

etiam, in plateis videlicet, iuxta illud Psalmistæ: *Et non de-*
Psal. 54. *fecit de plateis eius vsura & dolus. Psal. 54.* Vbi ergo requiremus illum? Nunquid in aula & curia regum? Rex Herodes illum interrogauit, sed nihil respondit. Ibi non loquitur
Luc. 23. liberè. *Luc. 23.* Imò derisit eum Herodes cùm suo exercitu, indutum veste alba. Ne ergo eum ibi quæsiueris: Sed in curia quære ambitiosos, sanguisugas populi, carnales, adulatores: *Ecce*, ait Christus, *qui mollibus vestiuntur, in domi-*
Matt. 11. *bus Regum sunt. Matth. 11.*

Et sicut Lucanus Poëta cecinit,

Exeat aula
Qui volet esse pius.

At dices: Fortassis erit inuenietúrque apud tribunalia. Verùm cùm loco iudicij, præualeat plerunque iniustitia, imò in omnibus ad quæ Christus tempore passionis suæ ductus est tribunalibus, iniuriam eámque atrocem passum legamus: satis constat suam ibi non habere fixam mansionem. Vbi ergo illum requiremus? Virgo mater in templo
Luc. 2. eum reperit. *Luc. 2.* In comitatu & inter cognatos & notos quæsitus, non reperiebatur. Perge ad templum, & ibi illum inuenies. Replicabis, dicésque. Hoc quidem verum erat in illo tempore, sed, vt hesterna concione continetur, Exiuit Iesus de templo. Cùm ex Ecclesiasticis multi sint concubinarij, multi Symoniaci, multi turpis lucri cupidi, auaritiæque dediti, aliqui Lusibus aleę, alij dissolutionibus, alij denique aliis criminibus mancipati, an non Christus ab illis recessisse meritò existimatur? Quemadmodum autem nec pisces in montibus, nec lepores in fluminibus facilè reperies, quin potiùs contrà: Sic Christus non in molli lecto, non in vita dissoluta, sed in lachrymis, pœnitentiæ austeritate, diuinorúmque mandatorum obseruatione inuenitur. Sed de his sit satis.

Non potestis venire, &c. Non dicit: Non poteritis in futurum: sed, *non potestis* ad præsens *venire*. Tales enim tunc erant qui non possent. Nam vt sciatis non hoc ad desperatio-
Ioan. 13. tionem dictum, & discipulis suis dixit tale aliquid: *Ioan. 13. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum: Quaretis me, & sicut dixi Iudæis* (nimirum hoc loco) *quò ego vado vos non potestis venire*: & vobis dico, modo. Cùm pro illis rans dixerit:
Ioan. 7. *Ioan. 17. Volo, pater, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* Deni-
Ioan. 13. que hoc Petro apertè exposuit cap. 13. Interroganti enim, *Domine quo vadis? Respondit Iesus: Quo ego vado non potes me*

modo

modo sequi, sequêris autem posteà. Vbi discrimen apparet vtriúsque locutionis. Interim quia ex Iudæis longè plurimi deteriores in dies fiebant, nec emendabantur, hoc certò prouidens Christus illis comminatur: *Quæretis me, inquit, & non inuenietis.* Quòd postremum discipulis non dixit: Adiiciens insuper, *Vbi ego sum:* In præsenti dicit, Sum, non, Ero, in futuro, quia semper cum patre, & apud patrem est. *Sic Ioan. 3. Filius hominis qui est in cælo.* Non autem, qui futurus est vel erit in cœlo. Et cap. 1. *Vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis.* Et nunc, vbi ego sum, secundum deitatis substantiam, secundum quàm à patris gloria nunquam discedit. Ad hanc ergo gloriam in qua Christus inseparabiliter est cum patre, non potuerunt Iudæi peruenire: Aut tunc cùm eis loqueretur, si qui fortè ex eis erant credituri, & postea illuc peruenturi, quia nondum erat aperta ianua cœli: Descendebant enim antè Christi passionem omnes in Lymbum, ibíque sunt, excipiebantur Abrahæ. Luc. 16. de Lazaro: Aut nunquam propter incredulitatem eorum, qui ad fidem vsque in suo peccato erant perseueraturi. Non enim potuerunt hi peruenire ad gloriam cœlestem, quia noluerunt pœnitentiam agere de peccatis suis: quorum grauitate ac demerito, viam sibi cœli præcluserunt, obstaculumque posuerunt propria sponte, ne ad vitam ingrederentur. Demeruerunt etiam Iudæi, vt in obsidione positi clamantes, non eruerentur è manibus Romanorum. In miserabili siquidè exterminio vrbis Hierusalem, post Christi passionem: Iudæi qui tum superstites erant, & miracula Christi viderant, vbi eis in mentem venit illius diuina virtus, optabant habere Christum tunc præsentem ad sui liberationem ab imminenti excidio, quòd satis animo coniectabant sibi immitti, ob iniustam mortem Christo illatam. Non tamen eum propugnatorem aut auxiliatorem inuenerunt, quia iam derelicta eis fuerat domus sua deserta. Prædicit igitur se non ab illis inueniendum, Cùm calamitas ingruerit. Hæc quidem germana videtur esse horum verborum: *Quæretis me & non inuenietis,* expositio & interpretatio, à Sanctis mutuata Ecclesiæ Doctoribus, Cyrillo in Ioannem, ac aliis. *Amos 5. Hæc dicit Dominus domui Israël. Quærite me & viuetis, & rursus: Quærite Dominum, & viuite.* & Sopho. 2. *Quærite Dominum omnes mansueti terræ, quærite iustum, quærite mansuetum: si quomodo abscondamini in die furoris Domini.* Conuersionem

Ioan. 3.

Cyrillus.

Amos 5.

Sophô. 2.

Luc.13. nostram ne differamus Luc.13. *Ecce anni tres sunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac: & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?* Vides id etiam nos

Poëta. spectare & tangere, sicut apud Poëtam legitur.

Res tua tunc agitur, paries cùm proximus ardet.

Et iterum:

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

Quæretis me & non inuenietis &c. Vulgatum quidem illud, Tum demum boni præstantiam deprehendi, cùm nobis perierit. Nunc cùm homines tantopere possunt ex diuinæ misericordiæ largitate sibi magnopere consulere, eam quidem plerique eorum perpendunt: at olim in iudicio extremo, impij tametsi illam desiderare videantur, non tamen consequentur: Saül quidem Dauidem fortissimum ducem parum æstimabat, qui tamen columna erat totius regni eiusdem, at in Gelboë, cùm eo maximè indigeret, habere eundem tamen non meruit. De impiis quidem damnatis, Sap. 5. dicitur: *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Lassati sumus, aiunt, in via iniquitatis & perditionis, & quæ ibi fusius continentur: Talia dixerunt in inferno qui peccauerunt: sed infructuosa est, nimiúmque sera pœnitentia reproborum, & ficta magis quàm vera. Nam Ecclesiastici 41. *Non est in inferno accusatio vitæ.* Scilicet ad salutem, & ex peccati detestatione, sed solius pœnæ effugiendæ desiderio.

Sap. 5.

Eccl. 41.

Nunquid in dispersionem gentium iturus es & docturus gentes? &c. Nesciebant quidem quid dicerent, sed Deus voluit eos prophetare, diuinóque instinctu prædicere quòd futurum erat. Quemadmodum & Caïpham pontificem omnino ignarum mysterij passionis Dominicæ, & quantus ex illa penderet humanæ salutis fructus, Euangelista ac Theologus *Ioan. cap. 11.* prophetasse scribit, quòd Iesus moriturus erat pro gente, cùm hæc protulit verba: *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Siquidem iturus erat ad gentes, non præsentia corporis sui, sed discipulorum suorum pedibus, in quibus & ipse fuit, & docuit gentes. *Marc. vltimo: Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Nunc, Quare dicant, Dispersionem gentium exponendum.

Ioan. 11.

Marc. vlt.

Dispersionem vocant Gentes, propter varias Philosophorum sectas. Alij enim Academici, Alij Peripatetici,

Tertij vocabantur Stoïci, Quarti autem Epicurei: Alij alio nomine censebantur, vt Laërtius libris de vita & sectis Philosophorũ amplissimè scribit. *Laërti⁹.* Quasi verò soli Iudæi essent vniti, non dissecti, & verus legitimúsque Dei populus.

Cum tamen Christi etiam tempore inter ipsos referente Euangelio, & proprio eorum historiographo Iosepho, *Iosephus.* sectæ essent variæ: Pharisæorum nempe, Saducæorum, & Esseorum.

Nota igitur Dispersionem Gentium Christum congregasse in vnum. *Ioann. 11. Mortuus est, vt filios Dei qui erant dispersi, in vnum congregaret.* *Ioan. 11.* Et iam in hodiernum vsque diem Iudæos vbique terrarum propter Christi necem manere dispersos, vagos, palantes, & profugos super terram, instar Caim, *Genes. 4.* in vindictam sanguinis iusti *Genes. 4.* Abelis mystici. Vnde *Iacobus capite primo*, Catholicæ suæ *Iac. 1.* Epistolæ, Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione salutem precatur.

Quis est hic sermo, quem dicit: Quæretis me & non inuenietis? Benè dicit Apostolus: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Nam quia carnaliter affectus est, secundum carnem quoque omnia diiudicat.

Ita Iudæi non capientes Christum de reditu ad cœlestia regna, vnde ad nos descenderat, sermonem facere, ad terrenum labuntur sensum, à vera intelligentia longè abhorrentem.

In nouissimo die magno festiuitatis clamabat Iesus: Si quis sitit, veniat ad me & bibat, &c.

Si quis sitit: libertatem hominis seruauit; In optione eius posuit venire ad fontem viuum: *Omnes sitientes, ait Isaias, venite ad aquas.* Sine acceptione personarum liberalissimè se cuique offert: Gratis confert aquam vitæ, nullus arcetur, nullusve reiicitur: qui volet bibat, siue pauper, siue diues. *Et qui nõ habetis argẽtum properate & bibite*, ait Isaias; Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis.* Et Ioannis sexto: *Matt. 11.* *Eum qui venit ad me nõ eiciam foras.* Aqua, vt hinc exordiamur, *Ioann. 6.* authore Pindaro tertio hymno Olympiorũ, optima *Pindar⁹.* rerum pronũtiatur: Eius verba sunt: Ἄριστον μὲν ὕδωρ, Præstat (cæteris elementis) Aqua. Quæ sententia à grauissimis *Plato.* deinde scriptorib⁹, ex eodem Pindaro citatur: Nimirum à *Plutarchus. &* Platone diuino, in Eutydemo, Plutarcho tom. tertio. Opusculorum, libello, Aquave, an ignis sit vtilior: Et à Luciano *Lucian.*

tomo secundo libro qui inscribitur, Somnium siue Gallus. Aqua,inquiunt, optima vocatur, à Pindaro, ex omnibus elementis: Pindarus enim pronuntiauit aquam esse,rerum optimam; Ἄριστον μὲν ὕδωρ, Aqua est illa quidem optima. Sine aqua nullus homo vnquam fuit: Absque hoc elemento nulli animali diuturna vita esse potest:& omnia,quibus omnium vita animantium sustentatur,aquarum beneficio proueniunt. Aqua etiam humanis vsibus omnibus,æqualiter præstat.Imo vt Plato loco præcitato,sub finem,Aqua

Plinius. vilissimo pretio emitur, quamuis res sit natura pretiosissima,vt ait Pindarus.Hæc ibi.Et Plinius libro 31.capi.primo de Aquis:Hoc elemētum cæteris omnibus imperat:Aquæ flammas necant: Eædem cadentes omnium terra nascentium causa fiunt,vt fruges gignantur,arbores fruticésque viuant.Ex his aquæ præstantiam,& eius proprietates facilè colliges,ac deprehendes.Initium necessariæ rei vitæ hominum,Aqua,ignis,& panis similagineus,& vestimētum,

Eccl. 39. &c.*Ecclesiastici.39.* Vides illum posteriorem locum igni assignasse: priorem aquæ tribuisse & concessisse. In mundi

Genes. 1. primordio.*Genes.1.Aquis superferebatur Dei Spiritus.* Aquæ (ibidem) producunt animam viuentem & mutabilem: Aquæ producunt etiam reptilia & volatilia. Aquam vi-

Gen. 26. uam Isaac reperit in puteis. *Genes. 26.* Ne sicut Philistim puteos venam habentes aquæ viuæ scaturientis in vitam æternam,terra oppleamus: sensum spiritualem vertentes in carnalem,doctrinam cœlestem deprauantes in terrenā. ibidē: Rursus cùm fodisset Isaac alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, quosque olim obstruxerant Philistim: iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac,dicentium: Nostra est aqua. Quamobrem nomē putei ex eo quod acciderat, appellauit calumniam. Accommodatio facilis est.

Iurgium enim istud, Controuersiam in religionis negotio inter Catholicos & Hæreticos significat. Rixantur namque sed per calumniam & falsam vsurpationem contra nos Moderni Hæretici, Ecclesiam sibi vendicantes, & arrogantes dicentésque, Nostra est aqua: cum tamen ad eos Ecclesia non pertineat, insuper ipsam persequantur Ecclesiam:Sed tandem quia omnia vincit veritas,& portę inferorum aduersus Ecclesiam præualere non possunt:

Mat. 16. *Matth.16* Veri possessores,qui bona fide hæreditati paternæ successerunt,eamque longa temporis pręscriptione iu-

ſtè retinent, ac iuſto titulo, pacificè poſſidebunt, & vſurpatores deturbabuntur, ac expellentur. Aquas dedit petra, Moſis virga percuſſa. *Numer.20. Loquimini ad petram, ipſa dabit vobis aquas.* 1. Corint. 10. *Bibebant de ſpiritali, conſequēte eos Petra: Petra autem erat Chriſtus.* Aquam petenti Siſaræ, lac dedit Iahel, *Iud.4. & 5.* qui in ſopore periit & confoſſus eſt. Caueamus & nos, ne loco aquæ ſalutaris, hauriamus lac voluptatis. Ad aquas probatur fortitudo militum Gedeonis, *Iud.7. Qui lingua lambuerint aquas, vt ſolent canes, ſeparentur, ait Dominus*, & in illis à Domino de Madianitis hoſtibus, conſecutus eſt victoriam. Sic probantur boni milites in Chriſti militia, qui tranſeunt per bona tēporalia, vt non amittant æterna. Veluti canes Aquas lambentes, non flexis poplitibus ad fontem diutius hærentes & potantes. Prouerbium eſt vetus: Vt canis è Nilo, à Macrobio Saturnalium libro ſecundo vſurpatum. Poſt Mutinenſem fugam, quærentibus quid ageret Antonius? Reſpondiſſe familiaris eius ferebatur: Quod canis in Ægypto, Bibit & fugit. Quoniam in illis regionibus cōſtat canes raptu crocodilorum exterritos, currere & bibere. Hactenus ille, Canes non niſi currentes, aquas è Nilo lambūt & fugiunt, neque diutius ibi hærent, vel morantur. Quod, vt raptim inſtar militum Gedeonis, ex his aquis veluti delibantes bibamus, nos grauiſſimè commonefacit: Siquidē aquas bibentes curuatis genibus reprobantur. *Iud.7.* Aquæ Siloë vadunt cum ſilentio, quas Iudas ſiue Iudæorum populus abiecit. *Iſai. 8.* In quem locum ſic Hector Pinctus: Silos, inquit, eſt fons lenis & innoxius ad radices montis Syon. Et igitur huius loci ſenſus: Iudęos abieciſſe Meſſiam à patre miſſum, ideò à Romanis ſummis calamitatibus oppreſſos eſſe. Hic eſt fons ille, cuius aqua cæci oculos aperuit. *Ioannis nono.* Per quem, Chriſtum intelligi oſtendit nominis etymon. Ibidem, Siloë idem eſt quod Miſſus. Eſt namque Chriſtus fons ille, de quo Pſalm.35. *Apud te eſt fons vitæ. Et Zacharias capit. 13. In die illa, erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatorum.* Fluit huius fontis aqua leuiter, abſque ſtrepitu & clamore, quod Chriſto conuenire indicat *Iſaias Euangelicus Propheta capite 42. Non clamabit, neque contendet.* Quem locum *D. Matthæus capit.12.* de Chriſto interpretatur. Ille contemptus fuit à Iudæis: Hinc Hieremiæ ſecundo conqueritur dicens: *Deo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt*

Num.20 / *1.Co.10.* / *Iud.4. & 5.* / *Iud.7.* / *Macrob.* / *Iud.7.* / *Iſa. 8.* / *Hect. Pint.* / *Ioan.9.* / *Pſal.35.* / *Zach.13.* / *Iſa.42.* / *Mat.12.* / *Ierem.2.*

runt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ
Iere. 17. *continere non valent aquas.* Et capite. 17. *Dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.* Quàm longè melior est nostra conditio, quàm veterum Iudæorum apud Baby-
Thren. 5. lonios seruientium, de quibus *Thren.* 5. Lamentabili carmine canit Propheta Sanctificatus, *Aquam nostram pecu-*
Apo. 22. *nia bibimus.* Nobis autem dicitur, *Apocalip.* 22. *Qui sitit veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis.* Et capite 21. *Ego*
Isa. 55. *sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Isaiæ 55. *Omnes vocantur, vt gratis bibant, & absque argento, vt supra attigimus.* Et nunc Christus gratis & absque pretio aquas offert: *Si quis, inquit, sitit, veniat ad me & bibat.* Samaritanæ hanc aquam gratis & liberaliter impertiuit, dicens: *Si scires donum Dei,*
Ioan. 4. *petiisses aquam ab eo, & dedisset tibi.* Vt supra *Ioannis quarto,*
Eccle. 15. latius exposuimus. Ecclesiastici 15. *Aqua sapientiæ salutaris*
Psa. 103. *potauit illum.* Aquis rigat Deus montes. Psalm. 103. *De su-*
Ioan. 2. *perioribus suis.* In aqua primum signorum Christi editum
Isa. 12. est. *Ioannis secundo. Aquas haurietis in gaudio de fontibus Sal-*
& 44. *uatoris. Isaiæ* 12. Pollicitus est Dominus. Capite 44. *Aquas*
Hect. *effundam super sitientem, & fluenta super aridam:* Aquas ni-
Pintus. mirum gratiæ, & spiritualium donorum. Pintus præfatum *Capite* 12. locum, ad hunc modum commentatur. Aqua
Ioan. 4. illa gratia Spiritussancti intelligitur, de qua Ioannis quarto. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ*
Ioan. 7. *salientis in vitam æternam.* Hic etiam Ioannis septimo dicitur: *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, &c.* Appellatur autem Gratia, Aqua, Primò, quia abluit & purificat.
Eze. 36. Ezechiel. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini.*

Psalm. 1. Secundò, quia germinare facit. Psalmo primo. *Vir iustus comparatur ligno secus decursus aquarum plantato, quod fructum suum dabit in tempore suo.*

Ioan. 3. Tertiò, quia sitim falsarum voluptatum extinguit. Ioannis quarto. *Qui biberit ex aqua quam ego dedero ei, non sitiet in æternum.*

Quartò, quia ignem concupiscentiæ restinguit: *Con-*
Ecclesi. 9. *cupiscentia enim quasi ignis exardescit. Ecclesiastici nono.* Aqua autem dicitur viua, quia hominem viuificat. Hæc est aqua ad quam Christus nunc nos inuitat, quámque nobis dat.

Genes. 2. Hic est fons ille paradisi, in Genesi, in quatuor capita diuisus: Ex eo enim habemus aquam puritatis, aquam sapien

ſapientiæ,aquam gratiæ,aquam gloriæ:De quibus.*Pſalm.* 45.dicitur, *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Impetus huius fluminis, eſt influxus donorum cœleſtium. Ex illis aquis hauſerunt Apoſtoli veram erga Deum & homines dilectionem, martyres conſtantiam, virgines caſtitatem,omnes denique viri Sancti admirabilem mundi contemptionem. *Pſal. 45.*

Qui biberit ex hac aqua non ardenter cupiet huius mundi potentiam,non gloriam,non honores, non principatus, nec alia huiuſmodi vana oblectamenta: Et licet modò ſitiat ad patriam aſpirando, non tamen ſitiet in æternum: *Satiabitur enim Pſalmus 16. cum apparuerit gloria Dei.* *Pſal. 16.* *Ioan. 7.*

Hanc aquam nobis promittit Chriſtus, Ioannis ſeptimo. *Si quis ſitit,veniat & bibat.* vnde colliges dari gratiam venientibus ad Chriſtum, & ſeipſos diſponentibus: Facienti enim quod in ſe eſt(Secundum axioma Theologum) Deus non denegat gratiam.

Sed vide malitiam hominum ac ingratitudinem: Aquam adeò bonam & ſalutarem, liberaliter nobis ac gratis oblatam,contemnimus: Aquam verò turbidam & peſtilentem, pecunia laboréque emptam concupiſcimus! Hanc amentiam noſtram ſentiebat Sanctus ille vates Ieremias:capite ſecundo. *Ierem. 2.*

Quid tibi vis, ait, *in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam?* Non dixit Propheta: Haurietis aquas de fluminibus Babylonis,aut Ægypti,ſed de fontibus Saluatoris. In pſalmis enim, Super flumina Babylonis fletus eſt ac lamentum. *Pſa. 130.*

Aquæ verò Ægypti, In Exodo, in ſanguinem verſæ ſunt,in decem plagis. Huculque Hector Pinctus.Pſalmographus quidem ait: *Sitiuit anima mea ad Deum viuum.* Ad fontem illum ſitiamus, non aquas furtiuas illicitarum voluptatum inquiramus, cum adultera dicentes: *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt.Prouerb.9.*Sampſoni ſitienti, miraculosè aqua de molari aſini vel maxilla arida educitur. *Iud.* 15. Oſtenſuſque eſt ab Angelo Domini, Agar fugitiuæ, in ſolitudine puteus, ex quo potum dedit Iſmaëli filio ſuo, ſiti periclitanti. *Geneſ.21.* Quæ miranda Dei opera, in aquarum ſubſtantia, facilè demonſtrant ipſius elementi prærogatiuam,& excellentiam: præſertim cum de Domini in cruce dormientis latere,effluxerit Sanguis noſtrę re- *Pſal. 41.* *Prou.9.* *Iudic 15.* *Gen. 21.*

demptionis,& aqua regenerationis,siue baptismi.

Exposuit mentem Christi Euangelista, subiungens: *Hoc autem dicebat de Spiritu sancto quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus sanctus (datus,) quia Iesus nondum erat glorificatus, &c.* Exponendum est hoc postremum, de Spiritus sancti solemni in Pentecoste datione, vt Apostolica refert historia, *Act. 2.* quòd pulchrè *in Genesi capit. 29.* adumbratum est: Sic enim narratur, Quod Iacob venit ad puteum in agro, & vidit tres greges ouiū accubantes iuxta eum: Nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur: Morisque erat, vt cunctis ouibus congregatis, deuoluerent lapidem: & refectis gregibus rursum super os putei ponerent.

Act. 2. *Gen. 29.*

Cúmque vellet Iacob adaquari greges, & ad pastum reduci, nondum autem ad caulas, quia multum Dei superesset, Responsum est: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges.

Quid hæc sibi volunt? Nisi quòd per Iacob Christus figuratur. Per lapidem os putei tegentem, obstaculum quo aditus cœlorum ante Christi mortem prohibebatur ex hoc mundo decedentibus: ita vt clausa esset ianua, donec, reuoluto lapide à monumento, Christus cœlos patefecit, conscendens ad patris dexteram.

Per congregatos greges vt adaquarentur, congregatio designatur Apostolorum, ac cæterorum discipulorum. Quibus ita in vnum collectis, ac in oratione perseuerantibus, cum Maria matre Iesu: in linguis igneis Spiritus sanctus missus est, repleuitque totam domum vbi erant sedentes *Act. 2.* Ante quos dies quibusdam etiam communicatus fuerat in suis charismatibus ac donis, Spiritus sanctus. Ioannes quippe adhuc ex vtero matris repletus est Spiritu sancto. *Luc. 1.* Maria item sanctissima Deipara, ab Angelo plena gratia, salutata est, ex Spiritu sancto superueniente concepit Dei filium, non ex virili semine, sed mystico spiramine, vt canit Ecclesia ibidem.

Act. 2. *Luc. 1.*

Luc. 2. De Symeone iusto: legitur etiam *Luc. 2.* Quòd Spiritus sanctus esset in eo.

Ioan. 20. Apostolis quoque *Ioannes vigesimo* ante suam in cœlos ascensionem, Christus dixit: *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* Verùm non in tanta copia, nec cum tanta solemnitate

ac pom

ac pompa, in linguis igneis, cum omnium peritia linguarum & aliis eiusdem donis magnificis, collatus est, datúsve Spiritussanctus ante diem Pentecostes, atque post Christi in cœlis glorificationem & exaltationẽ, videlicet in illo solemni die, secũdum quod Christus suis promiserat Apostolis. Et hoc voluit Euangelista insinuare dicens: *Nondum erat Spiritus sãctus,* subaudi, *datus:* visibiliter scilicet, & adeò plenè & copiosè, quia *Iesus nondum erat glorificatus.* Reuersis ministris, subdit textus, *Dixerunt Pontifices, Quare nõ adduxistis eum? Responderunt, Nũquam locutus est homo sicut hic homo, &c.* Verè ita est: Neminem vnquam sic locutũ: Nam Psalm. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis, &c.* Flexanima eloquentia sua ad se rapiebat nedum amicorum, sed etiã inimicorum corda: Vnde *Matt. 7.* in fine dicitur: *Admirabãtur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.* Ioan. 6. dixit coapostolorum suorum nomine, Petrus: *Domine ad quem aliũ ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Et duo discipuli *Luc. 24.* ex ore eius pendentes, audito eo dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobiscũ in via, & interpretaretur scripturas?* Vnde & ipsi iurati hostes, profitentur: *Scimus quia verax es & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo.* Nunc autem. *Nunquam*, aiunt, *sic locutus est homo,* Quasi dicant: Incidimus in eius concionem, quæ talis fuit. vt nihil simile nos audiuisse cogamur fateri. Indignum putamus, qui aliquid contumeliosum pateretur: vim ideo non intulimus, sed vacui ab illo redeũtes, in eius commendationem & fauorem hoc vnum ingenuè protestamur: supra hominem eũ loqui: &, quod de Nestoris facundia scripsit Poëtarum eximius Homerus, videlicet *τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.* hoc est, Cuius à lingua melle dulcior fluebat sermo. Hæc Homerus *ἰλιάδ. α.* Quemadmodum, inquam Nestoris lingua melle profluebat: Sic, imò multò magis, & supra omnem comparationẽ, Christi antecellat eloquentia. Lucianus to. 1. de Gallis sic scribit: Orationẽ Galli nequaquã arbitrãtur esse Mercuriũ, quemadmodum Græci: sed Herculi illã tribuunt, quem sua lingua Ogmium vocant, eique eloquentię laudem tribuũt, Cuius simulachrum tale est, Senex Leonis exuuio indutus, clauamq́ dextera tenens: Ex cuius ore cathenulæ tenuissimę linguæ extremo apici annexę prodeũt auro puriores, quibus hominum magnam turbam auribus summis suspen

Psal. 44.
Matt. 7.
Ioan. 6.
Luca 24
Homer.
Lucian.

suspensam ad se alacrem neque reluctantem omnino pertrahit, quia scilicet oratoria suauitate homines ex auribus
Lucæ 19. religatos detineret, vt ait ille, & de Christo *Luc. 19.* scribitur: *Erat docens quotidie in templo, & omnis populus suspensus erat, audiens illum.* Rectè à bono Poëta dicta est Flexanima atque omnium regina rerum Oratio, scribit lib. 2. de Ora-
Cicero. tore Cicero. Qu. Ennius, referente eodem in Bruto: De Cornelio Cethego, quondam Consule Romano, eloquentissimo ita cecinit, Hunc, ait, florem delibatum populi sua-
Ennius Poëta. dæque medullam homines vocabant. Suadam vocauit Ennius, quàm Græci πειθώ, Latini Persuadendi vim & efficacitatem nuncupant. Obserua quòd Orpheus Trax, & Amphiō Thebanus, saxa & feras ore suo mouisse dicūtur apud
Horati⁹. Poëtas: Siquidem Horatius in arte Poëtica sic scripsit:

Siluestres homines sacer interpresque Deorum,
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tygres rabidosq; Leones. aliâs rapidos.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa mouere sono testitudinis, & prece blanda
Ouidius. *Ducere quo vellet.* Et de eodem, Ouidius lib. 11. Metamorphoseωv:
Carmine dum tali syluas animosque ferarum
Threicius vates, & saxa sequentia ducit.

Horati⁹. De Amphione autem Horat. lib. 3. Carminum Ode vndecima ad Mercurium.

Mouit Amphion lapides canendo.

Sed à Poëtis confictas has reor fabulosas narrationes, vt faciliùs intelligeremus, quanta esset vis persuasionis, ac Eloquentiæ, quæ planè cœlestis ac diuina in Christo plurimum valuit: in eáque præ Amphione, aut Orpheo, aut Arione cytharedo (qui pisces maris ac delphinos ad se pellexisse, sono suę cytharæ ac testudinis, *Luth, Gallicè dicimus*
Herodo. ab Herodoto narratur: vt fusiùs aliàs me rescripsisse arbitror) Christus excelluit. Id enim omnino verum est: *Nunquam sic locutus est homo, &c.*

Nunquid & vos seducti estis? Attende in Christū horrendam blasphemiam! Seductorem illum vocant, atque etiam post mortem, hoc infami nomine appellare eum non de-
Matt. 27 stiterūt. Seductor iste dixit. Post tres dies resurgā *Matt. 27.* Scribit Abdias lib. 8. de Sācto Bartholomæo: Astiages Rex dixit ad Bartholomæum. Túne es qui euertisti fratrē meū: Cui Apostolus: Ego non euerti eum, inquit, sed conuerti.

Ita non absurdè possumus dicere de istis aduersus Pharisæos blasphemantes: Non sicut dicitis isti seducti sunt à Christo, sed in viam bonam à qua aberrauerant, reducti: Non euersi sunt à Christo, sed conuersi ad meliorem frugem. Non sicut putatis sed falsò, hæc turba quamuis legis ignara, & rudis, maledicta est: sed qui maledicunt Christo, re vera illi maledicti sunt (vt vos facitis.) *Nam qui maledixerit tibi sit ille maledictus, Et qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur:* dictum est ad Iacob, *Genes.27.* qui typum gerebat Christi: Et Psalmographus Psal. 118. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Inuētus est qui Christi tueretur partes inter Pharisæos, vir eximius & Christi discipulus licet occultus, magister is erat in Israël ac legis doctor Nicodemus nomine. *Nunquid lex nostra iudicat quenquam, nisi prius audierit ab illo, & cognouerit quid faciat?* Cicero lib.3. de Legibus, Verè dici potest, magistratum legem esse loquētem, Legem autem mutum magistratum. Ideò valde appositè hìc Nicodemus diuini iuris consultus loquitur, legem iudicare etiam, affirmans. Inauditum vetat lex damnare ac iudicare lata in absentem sententia, ait idem: Quod & Romanorum lege sancitum est. Acto. vigesimo quinto. *Non est consuetudo Romanis, ait Festus donare aliquem hominem,* id est, *tradere supplicio, priusquā is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina sibi obiecta.* Et Seneca Tragicus Poëta in medea.

Gene.27 *Psal.118.* *Cicero.* *Act.25.*

Qui statuit aliquid parte inaudita altera:
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

Senec. à Poëta.

Audi partem, dicebat quidā rex. Et certè Alexāder Magnus, vt in eius vita refert Plutarchus to.3. Cum in causis capitalibus ius diceret, orante accusatore, manu alterā solebat aurem occludere: vt ipsa res perinde, ac vt omnia expers calumniæ conseruaretur. Et Antonius in Melissa, parte prima sermone 53. idem refert, vt illam, inquit, purā absenti relinqueret. Auditis, contrà calumniis vxoris aduersus Ioseph castum, maritus nimium credulus, protinus fidem adhibuit, neque crimen obiectū diligenter inquisiuit, sed statim in Ioseph inauditam protulit sentētiam. Ioseph in carcerem coniici iubeo, ait Phutiphar, *Genes.39.* Refert Lucian. to.1. Opusculo, Non temerè credendum calumniæ memorādam sanè historiam eiusmodi: Apud Ptolomæum regem, cōiurationis quæ in Tyro facta est, insimulatus est Apelles pictor per calumniam ab Antiphilo eiusdem artis æmulo:

Plutarc. *Antoni' in Melis.* *Gene.39* *Lucian'.*

æmulo: Quanquam neque Tyrum viderat vnquam Apelles, Ptolomæus adeò exſcanduit, vt coniecturis neglectis non animaduerterit calumniatorem Apelleæ artis æmulum, deinde fortuna minorem Apellem, quàm vt Pelusium prodere poſſet, & Tyrum ad defectionem ſollicitare, Neque percontatus num aliquando ille in Tyrios nauigaſſet? Quin ſtatim plectendus videbatur, niſi quiſpiam è ſociis coniurationis, qui capti tenebãtur, infœlicẽ Apellem nihil commune cum ſeditioſis habere probaſſet, capite mulctatus fuiſſet, etiam nihil conſcius, Ptolomæus collecto animo ſententiam mutauit, Apellem donauit talentis centum, addito in ſeruitutem Antiphilo calumniatore. Hactenus ibi. Ergo feſtinatio eſt damnoſa, in cauſis capitalibus. Omnia ergo maturè ſunt examinãda. Neque indicta cauſa iudicandum, vel inauditũ hominem damnare eſt æquum: Sed, referente Stobæo ſerm. 44. Ex Platone in Demodoco, vulgare iſtud dictum ſeruandũ, Μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. hoc eſt, iudicium non ante feras, quàm audiueris ambos. Atqui hoc nõ ita celebraretur, niſi rectè decenterque dictum eſſet. Et Demoſthenes Orat. περὶ τοῦ στεφάνου, de corona, Ex legib⁹ Solonis, ſcribit: τὸ ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι, id eſt, eadẽ ratione ſiue ſimiliter vtrumque eſſe audiendum à iudicibus. Maturo itaque ac deliberato iudicio in ſententiis ferendis & ſtatuendis iudiciis ſemper procedamus, ne alios iudicãtes nos ipſos condemnemus. Quod Deus auertat. Amen.

Stobæus. *Plato.* *Demoſthenes.*

FERIA TERTIA POST DOMINICAM IN PASSIONE.

De Scenopegiæ feſto. Ioan. 7.

Ambulabat Ieſus in Galileam, Non enim volebat in Iudæã ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere Erat autem in proximo die feſtus Iudæorum, ſcenopegia. Dixerunt ergo fratres eius ad eum: Tranſi hinc & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera quæ tu facis. Nemo quippe in, &c.



RIMO loco obſeruandũ ex ſermone Euãgeliſtæ Chriſtũ in Galilæa verſantem Ambulaſſe, hoc eſt, non ſteriſſe otioſum, non iacuiſſe ſtertentem & dormientem, ſed ambulaſſe, id eſt multo labore ſalutem hominum promouiſſe. Ipſe enim dicit: *Ioan. 9. Me opor*

Ioan. 9.

Me oportet operari, donec dies est. Vsquequo piger dormis. Exclamat Sapiens. *Surge & ambula*, ait Christus paralytico. *Ioan.5.* Cur otio deditus es? Semper aliquid boni facito, vt Diabolus semper te inueniat occupatum, scribit & admonet D. Hieronymus. *Multam siquidem malitiam docuit otiositas*, inquit, Sapiens. De Iustis, ait psaltes regius, *Ibunt de virtute in virtutem:* Sic Christus processit in sua passione. *Ioan.18.* non retrocessit, Et modò in Galilæam ambulat. c. 7. Ambulabat, inquam, more boni pastoris, ouem errãtem inquirentis, Luc. 15. Bene autem in Galilæa ambulare dicitur, nempe tantisper dum in hoc mundo defatigatur. Galilæa volubilis exponitur. In huius vitæ rota Christus ambulauit, & delassatus est.

Ioan.5. *D.Hier.* *Ioan. 18.* *Ioan.7.*

Quid enim in Galilæa nisi labor? Quid in mundo nisi pressura? nisi continua reuolutio, & agitatio? perpetuus fluxus, & instabilitas? Verùm de his plura aliàs. Quod autem subditur; *Nolebat in Iudæa ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* fecit hoc non timore mortis, sed ad exemplum nostrum, vt doceat licere nobis quandoque fugere, Non inquam, timens, quia habebat ille potestatem, vt in Euangelio dicit: Sed infirmis dat exemplum, ne eis obijciatur latibulum.

Diceret enim aliquis: Quid sancte Euangelista? non animaduertis te dedecore afficere maximo, mundi redemptorem, pusillanimitatis eum arguere? obijciens ei fugam, cum scribis noluisse eum in Iudæa ambulare? *Isaias cap. 9.* de illo verba faciens, Vocabitur, inquit, *Deus, Fortis.* Si fortis, cur nunc timet? *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*, ait Dauid *Psalm.23.* Nunc verò dicitur, quòd quia Iudæi eum volunt occidere, non vadit in Iudæam.

Isai.9. *Psal. 23.*

Nónne, Domine, dicis, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere?* Quare igitur tu, qui es dux noster, & nos confortas, & ad prælium animas, nunc te abscondis? nunc fugis cùm bellum ingruit? Siste peccator, multùm enim te præcipitas. Agnosce rationem, & accipe satisfactionem. Christus quod facit, non propter vtilitatem suam facit, sed propter nostram, vt doceat nos quid agere debeamus. *Omnia tempus habent, dixit Ecclesiastes c. 3. & cap.8.* Omni operi oportunitas est. Christus qui modò sese abscondit, quia nondum venerat hora eius, cum iam illa aduenisset, ad passionem processit, nec amplius

Eccles.3. & 8.

amplius se abscondit: Iudicans fugientem denuò pugnaturum. Quod etiam Demosthenes Græcorum eloquentissimus vsurpauit, vt refert Gellius in noctibus Atticis li.17. cap.21. Philippus, ait ille, Alexandri pater apud Cheronem prælio magno Atheniēses vicit. Tum Demosthenes orator ex eo prælio salutem fuga quæsiuit. Quúmque id ei quod fugerat probrosè obiiceretur: Versu illo notissimo elusit.

A. Gellius.

Ἀνὴρ ὁ φεύγων, καὶ πάλιν μαχήσεται, id est, ad verbum,

Vir fugiens etiam denuò pugnabit. Plutarchus tom. 3. vitarum in Demosthenis vita, narrat eum in conflictu nihil præclari edidisse, sed fugam cepisse, deserto ordine & abiectis armis, nec inscriptionem veritum clypei, cui fuit literis inscriptum aureis: Bona fortuna. Ex his Erasmus lib.4. Apophtegmatum de eodem transcripsit, quòd clypeum suum cui inscriptum erat: Ἀγαθῇ τύχῃ, cum ad pugnam ventum esset illicò abiecit. Quod illi probro datum est, quòd ῥίψασπις, id est, scuti abiector & timidus esset. Elusit autem ille vulgato versiculo: Vir qui fugit, rursum integrabit prælium. Iudicans vtilius esse patriæ fugere quàm in prælio mori. Mortuus enim non pugnat: atqui fuga quæsiuit salutem, potest in multis præliis patriæ vsui esse. Hactenus ibi. Quod nobis tacitus insinuare videtur, Aduocatus noster Christus, (ita enim in sacris vocatur) Christus, inquam patronus non Athenarum, sed cœlestis, cum ad Galilæos diuertit, cedens furori Iudæorum. Licet enim quandoque Christi exemplo, quando persecutio est personalis fugere, Sicut diffusè probat immortali nomine dignissimus (iuxta nomen suum,) Athanasius, hæreticorū malleus, & Ecclesiæ columna. In Apologia pro fuga sua. Exemplis autem cōfirmatur: Siquidem Iacob fratrē suum Esau fugit, Moses metu Pharaonis ad Madianitas secessit. Ex Domini iussione ac mādato, ciuitates refugij, in eorum qui ad cædem quærerentur fauorem, assignatæ sunt: Dauid Rex Saulem fugit, & occultauit se in spelunca. Propter minas Iezabelis fugit Elias Propheta. Multi quoque Prophetæ quæsiti ad necem, apud Abdiam sese in speluncis abdiderunt, vt sacra tractat Biblia. Christus puer fugit in Ægyptum, *Matt.2.* Cum in templo eum lapidare vellent Iudæi: *Ioan.8.* exiuit de templo. c.11. Post suscitatum Lazarum, nō palàm ambulauit apud Iudæos, sed abiit in desertum locum, donec passionis tempus adueniret, túncque se hostibus & aduersariis suis vltrò obtulit, obuiáq; illis processit, dicens:

Plutarchus & Erasm⁹.

D. Athanasius.

Matt. 2.

Ioan. 8. & 11.

dicens: *Quem quæritis?* c.18. Docuit etiam verbis (*Nam cœpit facere, deinde docere Act.1.*) *Cum vos, persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Et rursus. *Qui in Iudæa sunt fugiant ad montes.* Paulus item à Discipulis per murũ in sporta demissus est, vt persecutorũ euaderet effugeret-ve manus. Et hæc quidem ex nouo testamento. Vulgatum est prouerbium: Cõtingit fugam statione meliorem esse longéque illi præstare. Gallicè sic efferimus; *Vne bonne fuyte vault mieux qu'vne mauuaise attente.* Quandoque enim in maius Ecclesiæ commodum cedit, si fuga tibi consulueris, quàm si temerè teipsum in discrimen cõieceris. In meliorem igitur opportunitatem, & occasionem, pro fidei & Catholicæ religionis bono, se licet in futurum seruare superstitem, ac extra aleam necis, siue internecionis. *Nolebat enim Christus in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* ait Euangelista. Vide, amabo quia sceleris grauitate & homicidij atrocitate non deterrentur Iudæi. Cum tamen sanguis effusus contra homicidas clamet in cœlum, poscatque vindictã. *Gen.4. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* Et de Ioseph, fratres eius profitebantur: *En sanguis eius exquiritur,* sanguis Naboth cõtra Achab & Iezabelem vltionem expetiit. Sanguis item Prophetarum ac iustorum quos ad Christum vsque Iudęi interfecerunt. *Matt.23 Et veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ quem occidistis inter templum & altare:* Sanguis denique eiusdem Christi, ad Iudæorum clamantium: *Sanguis eius super nos & super filios nostros,* instantiam, à Romanis in Excidio Hierusalem seuerè vindicatus est: Non enim remansit lapis super lapidem: vt antè Christus ipsis prædixerat: Etiamsi homines contra viros sanguinum & homicidas, pœnas non reposcant, mirabili tamen quodam modo à Deo punitur homicidium. Quod D. Gregorius Nyssenus lib.8. de prouidentia, egregiè probat & demonstrat ita scribens: Peccatorum supplicium magis autem scelerum reuelatio nullo quandoque existente qui redarguere possit, secundum quasdam necessitates manifestatur. Talis est in sacris Susannæ perpessio: Apud Gentiles. Ibyci Poëtæ interitus. Cum occideretur enim hic à quibusdam, & nullum coadiutorem, neque insidiarum testem haberet, Grues fortè superuolantes intuens dixit: ô grues vindicate meã necẽ. At cùm ciuitas Corinthiorum

Ioan. 18. *Act.1.* *Gene. 4.* *Gen.42.* *3. Reg. 21,* *Mat. 23.* *D.Greg. Nyssen'.* *Daniël. 15.*

latrones requireret, inueniréque nequiret, congregato theatro,& plebe considente,rursum grues superuolabant. Intuentes verò homicidæ ridendo dicebant: Ecce vltores Ibyci. Eorum autem qui propè assidebant quidam id audiens, principi annunciauit, & comprehensi homicidium confessi sunt.Hęc ibi.Plutarchus to.2.Opuscul.lib.de Garrulitate, ad hunc narrat modum: Qui Ibycum occiderũt, in theatro sedebant, & gruibus apparentibus cum risu inuicem inter se susurrabant, quasi Ibyci vindices adessent: Quod cùm audissent qui proximè sedebant, iam multo tempore Ibyco non comparẽte ac quæsito,vocem exceperunt,retulerúntque magistratibus. Examinati & supplicio affecti sunt, velut à furiis & diris vltricibus ad cædis confessionẽ adacti.Suidas in Historicis, idem de Ibico refert. Vnde ortũ prouerbiũ *αἱ Ἰβύκου γέρανοι*, id est, Ibyci grues. Et Ausonius Poëta in Monosyllabis cecinit:

Plutarchus. *Suidas & Ausonius Poëta.*

Ibicus vt periit,vindex fuit altiuolans grus.

Consimile est Adagium, Bessi hirundines. Eius originem explicat Plutarchus, tom. 2. Opusculorum Tract. de iis qui tardè à numine corripiuntur, circa media libelli: Bessus, inquit, cum proprium interfecisset patrem, multo delituit tempore: At quum aliquando ad hospites cœnatum pergeret, hirundinum nidum hasta impellens deturbauit,pullósque pedibus contriuit.Quumque,vt par erat, astantes dixissent, qua causa homo impulsus rem tam nefandam perpetrare ausus es? Nónne, respondit, Iam diu falsum aduersum me ferunt testimonium, clamántque proprium me occidisse patrem?Præsentes verò cum admiratione ducti,verba ad Regem detulissent,resque diligentius discussa esset, meritas Bessus pœnas dedit. Sic prouidentia Dei factum vt parricidium aliquamdiu occultum, veniret tandem in lucem, sanguine paterno aduersus filium parricidam,vltionem expetente: sicque,prout merebatur,legaliter huiusmodi parricidium vindicaretur, nec inultum maneret, quamuis nullus mortalium initiò quidem animaduerteret.Non committam,quin grauissimam à Cicerone & Valerio descriptam historiam apprimè quadrantem & conuenientem,commemorem. Cicero itaque de Diuinatione lib.1. & Valerius lib. 1. cap.7. de Somniis, sic scribunt:Duo Arcades iter vnà facientes,Megaram venerunt: Alter ad hospitem se contulit, Alter in tabernam meritoriã. Qui in hospitio erat, vidit in somnis comitem

Plutarchus. *Cicer.& Valerio Max.*

suum

ſuum orantem, vt ſibi cauponis inſidiis circumuento, ſubueniret. Excitatus proſiliit vt tabernam peteret, deinde propoſitum tanquam ſuperuacuum damnauit, & lectum repetit. Tunc idem ei ſaucius oblatus obſecrauit, vt qui vitæ ſuæ auxilium ferre neglexiſſet, necis ſaltem vltionem non negaret: Corpus enim ſuum à caupone trucidatum plauſtro ferri ad portam ſtercore coopertum: Tam conſtantibus familiaris precibus compulſus, protinus ad portam cucurrit, & plauſtrum comprehendit, cauponémque ad capitale ſupplicium perduxit. Hic autem exclamat Cicero: Quid hoc ſomnio dici diuinius poteſt? Apertum & clarum eſt. Hactenus illi. Conſtat ſanè in Apocalypſi, Martyres aduerſus Tyrannos interfectores ſuos, vindictam, non odio & liuore, ſed affectu iuſtitiæ, & vt deſtruatur corpus peccati, promoueatúrque regnum Dei, abſque interpolatione expoſcere, ac clamare ad Dominum: *Vindica ſanguinem noſtrum Deus noſter* Et Pſal. 78. *Vltio ſanguinis ſeruorum tuorum qui effectus eſt: introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum* His adiungam mirandam certè, & à multis, literis conſignatam ad perpetuam rei memoriam, veridicam hiſtoriam. Michael Neander, Linguæ Sanctæ Erotemata edidit in lucem Baſileæ impreſſa: in his fol. 448. & 449. ex aliis eam refert hoc modo: lib. 3. Fortalitij fidei, conſideratione 7. crudelitate quinta vt narrat frater Thomas Patriarcha Barbarienſis, in libro ſuo de Apibus ca. 30. refertur miraculum celeberrimum, quod accidit, Anno incarnationis Domini 1261. in villa Teutoniæ *Forchm* nomine. Contigit autem vt vetula quędam malígniſſima Iudęis familiaris effecta, puellam eis annorum ſeptem à parentibus ablatam venderet occidendam. Hanc igitur in ſecreto, ſuper pulchra & pura linteamina obſtructo ore eius, in omnibus ferè iuncturis membrorum, inciſionibus vulnerauerunt, maximo conamine ſanguinem exprimentes, & in ipſis linteaminibus diligentiſſimè receptãtes. Hanc autem poſt tormenta defunctam, Iudæi in aquam fluidam propè oppidum proiecerunt, & ſuper eam congeriem lapidum poſuerunt. Tertia verò ac quarta die, per manum erectam ad cœlum, à piſcatoribus eſt inuenta, & in oppidum deportata: horrentibus & clamantibus populis, ab impiis tãtum flagitium perpetratum. Erat autem in vicino Marchiæ princeps, qui mox audito tanto piaculo peruenit ad corpus: ſtatimque erectum reſidens, tetendit manum ad

Pſal. 78.

Michael Neander ex Fortalitio fidei & li. de Apibus. Thomas Barbariẽſis.

principem, quasi vindictam sanguinis eius, vel fortè misericordiam imploraret. Post horam fere dimidiam iterum se disposuit defuncti more supinum. Adductísque ad hoc spectaculum impiis Iudęis, statim eruperunt omnia vulnera corporis, & in testimonium nefandæ necis copiosum sanguinem effuderunt: Mox clamor vulgi attollitur, & ad vindictam zelo iustitiæ totaliter est animatus. Ex quibusdam indiciis capta vetula conuicta est, maximè cum filia eius paruula omnia prodiderit: quia à puero & ebrio extorquetur veritas. Iudęi quoque capti sunt, qui in puellam manus nepharias extenderant, Rotatíque, & cùm vetula suspensi sunt: Duo verò mutuò se iugulauerunt. Hæc ibi verbis expressis habentur, quæ in libro, Fortalitium fidei, inscripto, legi. Obseruat autem Neander ad illa verba: Eruperunt omnia vulnera corporis defunctæ puellæ, &c. Hoc modo: Philosophi affirmant aliquas sensilis animi, cupiditatis scilicet & vindictæ vires, etiam post mortem adhuc in sanguine donec putrescat subsistere. Quòd & Lucretius lib. 4. his versibus testatur.

Lucreti⁹ Poëta.

—Libido

Incitat irritans loca turgida semine multo
Idque petit corpus mens vnde est saucia amore.
Námque homines plerúmque cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem sanguis, vnde icimur ictu.
Et si cominus est, hostem rubeo occupat humor.

Aliâs omnes.

Ac si diceret.

Perinde ac salax mentis libido affectat semen effundere in amicam cuius amore irritata & sauciata fuit mens: Sic quoque caro vulnerata rubro sanguine aspergere hostem præsentem desiderat. Hæc in Scholio, Neãder. Relinquitur ergo apertum ac clarum homicidij crimẽ, quamuis homines ob probationum defectum, vel propter magistratus incuriam, negligant plectere, à diuina tamen prouidentia detectum, & ad notitiam iudicum perueniens, ad condigna trahi supplicia, nec manere inultum, quin potius seuerè à Deo vindicari. Si quidem effusus sanguis innoxius ad Deum clamat: Videat Dominus & requirat. Quare hoc non animaduertitis, Iudęi, sed insontem interficere quomodocúnque potueritis, nitimini? Nunc Lapidare, modò præcipitare de montis supercilio, aliâs alio modo interficere Christum aggredientes, hoc solum cogitantes, quando morietur & peribit nomen eius.

Erat

Erat in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia &c.

Quid sit Scenopegia patet *ex Leuitico 23.* Erunt feriæ Tabernaculorum 8. diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus. Dies quoque octauus: Est enim cœtus atque collectæ: Sumetísque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatuláſque palmarũ, & ramos ligni densarum frondinum, & salices de torrente, & celebrabitis solemnitatem 7. diebus per annum, & habitabitis in vmbraculis 7. diebus. Vt discāt posteri vestri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israël, cùm educerem eos de terra Ægypti, Ego Dominus Deus vester. Hactenus sacer contextus. Nota ergo quòd tria beneficia debebant ex lege Iudæi recolere: Nempe, Eductionem ex Ægypto per sanguinem agni paschalis: secundo Dationem legis in monte Syna. In cuius memoriam erat festum Pentecostes. Quòd etiam festum hebdomadatum à numeratis 7. Hebdomadibus, atque festum primitiuorum ab oblatis primitiis dicebatur. Cōseruationem in deserto per 40. annos sub tabernaculis. Et hæc erat Scenopegia, de qua sermo. Iterum sub cæremonia veteri huius festi accommodè satis monemur nos non tanquam ciues, sed tanquam aduenas & peregrinos in hoc mundo versari: & loca omnia non tanquam patrias sedes, sed tāquam hospitia, quæ protinus deserenda sunt, existimare. *Non enim habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus*, ait D. Paulus *Hebr. 13.* Quàm sit autem spiritualis peregrinatio nobis necessaria mira figura Zacharias Propheta cap. 14. seu vltimo, designauit, dicens: *Omnes qui reliqui fuerint de vniuersis gentibus, ascendent vt adorent Dominum. Regem exercituum, & celebrant festiuitatem tabernaculorum, & erit qui non ascenderint de familiis terræ ad Hierusalem, vt adorent regem Dominum exercituum, nō erit super eos imber: Sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium gentium: quæ non ascenderint ad celebrādam festiuitatem tabernaculorum.* Hactenus Propheta. Quē ita doctissimus interpres Lyranus explicat. Describit Propheta statũ Ecclesiæ, quādo omnes cōuertētur ad Christum. Nō accipitur autē hìc festum tabernaculorum, prout Iudæi celebrabant, quia cultus ille cessauit à tempore publicationis Euangelij: Ex tunc enim ille cultus fuit mortiferus, & in cultum spiritualem mutatus. Fiebat

Leu. 23.

Lyran.

bat autem in lege hoc tabernaculorum festum (vt supra attigimus) in memoriam, quòd filij Israël in deserto habitauerunt in tabernaculis, & procedendo intrauerũt terram promissionis. Per quòd figurabatur futurum tempore nouæ legis, quòd fideles procedendo de virtute in virtutem tempore peregrinationis huius vitæ, intrarent in terram viuentium aperta ianua per Christũ, & hoc modo celebrant boni Christiani: per hunc mundum transeuntes tanquam peregrini, vt deueniant ad patriam paradisi. Potest etiam dici, quòd sicut Christiani celebrant festa Paschæ, & Pentecostes, alio tamen modo quàm Iudæi: Sic etiam festum tabernaculorum, celebrando officium & ieiunia 4 temporum in Septembri: in quo mense à Iudæis celebrabatur festum tabernaculorum 15. die mensis. Nec etiam accipitur hoc loco Hierusalem historicè, sed metaphoricè, quatenus per Hierusalem significatur militans Ecclesia: Non enim poterunt conuenire omnes familiæ terræ in ciuitate Hierusalem historicè: quia de omnibus partibus mundi nõ possent huc singulis annis conuenire, nec etiam ibi capi: Sed Ecclesia nomine Hierusalem est significata, & vsque ad fines terræ est dilatata in omnes gẽtes: quia in omnibus terris sunt aliqui Christiani. Nec erit super eos imber scilicet diuinæ gratiæ, & Euangelicæ do-
Deu.32. ctrinæ: sicut dicitur *Deut.32. Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super terram.* Sed erit ruina, id est, prædicti imbris carentia super omnes gentes, qui non celebrauerint festiuitatem nimirum spiritualem, non carnalem, tabernaculorum, in Hierusalem nõ materiali, sed mystica & figurata.

Hucúsque Lyranus dilucidissimè, vt solet. Ex recentioribus autem Arias Montanus, in suis ad 12. Prophetas minores Commentariis, hunc versans locum, hæc duo obseruat: Causam, quamobrem tabernaculorum potius quã aliud festum, ex antiquis colendum, iudicatum fuerit, illam esse arbitramur, Quòd tabernaculorum festum variæ olim & incertæ ac peregrinæ prorsus vitæ quàm Israëlitæ, antequam in promissas patriæ sedes deducti essent, degerunt, solemnem recordationem repetebat.

Arias Montanus.

Qui verò non ascenderint ad huius celebrationem festi super eos neutiquam erit pluuia illa cœlestis, quàm spiritu non litera definire oportet, ait ibi pro secundo notabili. Et Ludouicus Granatensis, concione secunda de

Assum

Aſſumptione B. Mariæ Deiparæ: Apertè inquit, liquet Zachariam Prophetam ab occidente litera, ad viuificantem ſpiritum traducere nos voluiſſe. Hunc peregrini hominis affectum atque animum ideo tantopere nobis Dominus commendat, quòd intelligat omnium malorum noſtrorum eſſe cauſam, quòd in hoc mundo non tanquam incolæ & peregrini, ſed tanquam ciues atque domeſtici nos gerimus: Cùm tamen Patriarchæ *Heb.11. in caſulis & vmbraculis in terra promiſſionis, tanquam in aliena habitarent*, & filij Iſraël ab Ægypto egreſſi, per deſertum vagantes, non in domibus, ſed in tabernaculis (tanquam peregrini qui ſedes patrias inquirunt) morarentur. At terrenis rebus ſic ſumus affixi, quaſi ad hanc ſolùm vitam nati eſſemus, & nihil à morte expectaremus: neque poſt eam vllum iudicium, aut vllum ſiue præmium ſiue ſupplicium, ſupereſſe crederemus. Hi autem ſunt quos Propheta. *Pſalm.87.* In terra obliuionis degere ſignificauit cùm ait: *Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis*? Filij huius ſæculi, ſui ipſorum, hoc eſt, Finis, cuius gratia conditi à Deo ſunt, & eorum quæ ad hunc finem conſequendum neceſſaria ſunt, penitus obliuiſcuntur. Hi ſunt qui in hac terra obliuionis habitare dicuntur. Sed, quòd ait Apoſtolus, *1. Corint.14.* Qui ignorat, ignorabitur: Dicetúrque illi quòd fatuis virginibus, *Matth. 25. Amen dico vobis, Neſcio vos.* Quicunque igitur hoc modo in terra obliuionis habitant, hoc tabernaculorum feſtum non celebrant, vt pote qui non tanquam peregrini & aduenæ, ſed tanquam huius mundi ciues ſe in eo gerant: ideóque futurorum obliti, ſola præſentia captant, ſola cogitant, ſola ſectantur.

Ludouic Granatenſis.

Aduerte quòd per tabernaculum etiam proprium corpus noſtrum intelligitur *2. Petri 1. cap. Velox eſt depoſitio tabernaculi mei*: Hoc eſt corporis. Quæ eſt mortis periphraſis. Ad maiorem etiam huius tabernaculorum feſtiuitatis dilucidationem, duorum proferam commentarios qui ex Iudaicis literarum monumentis ſe hauſiſſe aſſeuerant, quæ tranſcripſerunt, hæreſeos tamen labe reſperſi ſunt ſcriptores, nec ſi ex propriis loquerentur, eis adhibendam fidem ſuaderem. Hi ſunt Paulus Fagius, & Andreas Oſiander. Quorum prior in Leuit. 23. ſuper Thargum ſiue Paraphraſim Onkeli Chaldaïcam ſic annotat. Cauſa huius feſti Tabernaculorum licet exprimatur in ipſo textu, attamen nō

2. Petr. 1.

Paulus Fagius. Andr. Oſian.

simpliciter volebat Dominus hæc recordari filios Israël: Sed vt principio admonerentur de miserrima & calamitosa vita, quàm maiores eorum in deserto duxerunt, in quo errarunt exules, sine domo, sine agro, & inter gentes inimicissimas. Deinde vt admonerentur de miraculis, quibus Dominus Deus conseruauit eos, & tradidit eis terrã Chanaam. Postremò, vt conferrent præsentem fœlicitatem, cùm præterita miseria, videlicet, quòd tunc errarint exules in deserto, nunc autem possideant, tot regna in terra Chanaam: quot tunc nec domos nec agros possederint, sed necesse habuerint in tuguriis habitare, eáque subinde mutare, nunc autem possideant non domos tantùm, sed magnificas ædes, adeóque clarissimas & minutissimas vrbes, quódque tunc omnibus finitimis nationibus prædæ ac direptioni fuerint, nunc autem ipsi, omnibus sint formidabiles. Hebræi sentiunt, hoc festum tabernaculorum ob eam causam maximè institutum fuisse, vt admonerentur diuinæ protectionis ipsis per nubem exhibitæ, sub qua tanquam sub vmbra tuti proficiscebantur, quæque dux itineris erat, Ex Psalmista: *Dedit eis nubem in protectionem diei.* Et huic sententiæ adstipulatur Paraphrastes noster *Onkelos.* Chaldæus, scilicet Onkelos, qui illud, vt sciant posteri vestri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israël &c. ita transtulit. Vt sciant posteri vestri, quòd in vmbraculo nubium sedere, siue habitare fecerim filios Israël. Et hu- *Ioan.7.* ius festi quoque mentio *Ioan.* 7. præsenti nimirum Euangelio. Mirum est qua superstitione Iudæi adhuc hodie vtantur in parandis istiusmodi vmbraculis, de quo si quid planius cognoscere iuuat, videre potes apud auctorem Iudaïcum libri Arba Turim, tractatu Oreeh Chaim, & libellum de præceptis Iudęorum affirmatiuis & negatiuis. Hęc *Genebr.* Fagius. Obiter hîc adnotabo, Doctissimum ac pium sanctę linguæ regium professorem Genebrardum Theologum, ex libello de præceptis Iudęorum affirmatiuis sic transtulisset ex Hebręo, Pręcept. 169. Habitetur sub tabernaculis 7. diebus totis. Leuit. 23. & pręc. 170. Illo die gestentur manibus palmę trésque aliæ fructuum species. ibidem. Quod autem in leuitico ibidem dicitur: *Erit dies octauus celeberrimus.* Est enim cœtus atque collectę. Sic Fagius explicat, Vocem Hebraïcam חלשׁע azęręth cœtum & collectionem interpretantur, quòd hoc die plures Israëlitę, quàm aliis festi diebus confluxerint. Vnde & apud Ioannem

nem cap.7.(vt superiore dicebatur concione) magnus dies festi vocatur: In nouissimo die magno festiuitatis, nempe Tabernaculorum, stabat Iesus & clamabat: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat, &c.* Tunc populus postquam absoluisset 7. dies festi tabernaculorum, adhuc vno die retinebatur, & ne quid eo die operis fieret prohibebatur. Vel quòd populus in eo ad collectam pecuniæ pro sacrificiis faciendam retinebatur, atque congregabatur. Quod autẽ vulgata editio habet: Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ. Similiter 70. hoc in loco verterunt, καρπὸν ξύλου ὡραῖον, id est, fructum arboris pulchrum. Quia citrũ speciosissimus fructus est, ideo pro citro arbore Hebræi Hadar interpretantur, Paraphrastes Arboris citrei, ait, Spatulas verò palmarum Hebræi dicunt esse frondes palmarum quando folia adhuc in surculo delitescunt, & surculus ipse, sceptri præse fert formam. Ramum autem arboris densæ, sicut & 70. & vulgata translatio habent, Paraphrastes Chaldæus Onkelos חדשים, hadassim, id est, myrthos exposuit ac transtulit. Ex his 4. hoc est, Ex pomis citreis, ex frõdibus palmarum, ex arbore hadass siue myrto, & ex salicibus torrentis, fasciculus fiebat, quem manu gestabant 7. dies: omnisque cibus secundum Hebræos negabatur, nisi prius quis fasciculum portasset. Festum σκηνοπηγίας à figendis tabernaculis sic dictum durat per 7. dies in memoriam, vt ipsi sentiunt, diuinæ protectionis in deserto. Celebratur etiam octaua eius dies cum magnis solemniis, vocatúrque festum palmarum, in quo sumuntur optimi arborũ fructus quos citra vocant, & spatulę palmarum: ad innuendum quòd Deus deduxerat eos per desertum ad deliciosam terram. Circumeunt etiã 7. die septies altare portantes palmas, in memoriam depopulatæ Hiericho. Hucusque iterum Fagius. Nunc posterioris, scilicet Osiandri verba subnectam, Annotationem in Harmoniã Euangelicam lib.3. in c. sic scribit: Osanna genus est cantionis, quod sub festum tabernaculorum quotidie canitur à Iudæis frondes in manibus gerentibus, & concutientibus persimile letaniis nostris. Primùm enim recensetur ingens aceruus nominũ Dei, & ad singula succinitur: Osanna, ad hunc modum, Propter te Deum Deorum, Osanna, Propter te Dominum Dominorum, Osanna, &c. Deinde recensetur magnus eorum quæ Deo attribuuntur, vt propter veritatem tuam, Osanna. Propter testamentum tuũ, O

Onkelos.

 sanña,

ſanna,&c.Poſthæc enumeratur magna congeries earũ rerum quas ſaluari cupiuit,vt, Templũ electũ, Oſanna,Mõtẽ Moris , Oſanna &c. Tum redeunt ad ἀντονομασίας Dei, vt Domine Saluator, Oſanna , Redemptor & Saluator,Oſanna &c.Tandẽ mutatur forma cantionis ad hunc modũ: Quæſo redime ſurculũ plantationis tuæ:Cui ſuccinitur, & Oſanna &c. Poſt,iterum mutatur ad hunc modum : Sicut ſaluaſti fortes in Ægypto , populum tuum cũ exires in ſalutem , ita Oſanna &c. Poſtremò reditur ad primam formam,niſi quòd membra ſunt longiora,idque ad hunc modum:Propter integrum in generationibus ſuis,liberatum ob multitudinem iuſtitiarum ſuarum,ereptum ab inundatione veniente diluuio , Et ſuccinitur Oſanna & Oſanna, quia pater noſter tu es. Et hæc ſuccentiuncula aliquanto poſt iterum augetur. Denique nullus eſt neq; modus neq; finis:ſed omnia concrepant , perſtrepũt & reboant Oſanna,maximè ſeptimo eius diei feſto.Et quanquã facilè crediderim, multa à recẽtioribus adiecta præſertim cũ aliter ab Italis,aliter à Germanis obſeruetur:tamẽ tẽpore Chriſti iam tum in vſu fuiſſe dubium non eſt : & decuit Chriſtum ea cantio hoc quoque nomine quod non ad feſtum Paſchatis , ſed ad feſtum tabernaculorum pertineret : Ita enim maximè intelligebatur eos nõ feſto canere (cùm ſcilicet eo Hieruſalem ingreſſo,vniuerſi,etiã pueri Hebræo-
Mat.24. rum clamarent:Oſanna filio Dauid , vt Dominica proxima,Deo duce dicemus *Mat. 23.*) Sed Chriſto Regi & Saluatori acclamare,quod vt facerent Spiritu Dei concitabãtur,qui primùm frondes in honorem præferre , & ſubſternere illi admonuit,deinde frondium occaſione in Oſanna prorumpere coëgit. Hactenus Oſiander. Quæ pro celebratione Scenopegiæ ſufficiant.

Tranſi hinc,& vade in Iudæam &c. Ad inanem gloriam cognati Chriſtũ hortãtur,his verbis,Quaſi verò ad hoc ille ſigna faceret,vt laudẽ ab hominibus conſequeretur , cũ tamẽ in omnibus gloriã patris quæreret,& *Ioan.8.* expreſsè dixerit,*Ego non quæro gloriam meã.* Iſti ex ſuo ingenio ex ſuiſq; moribus,Domini ingeniũ metiri volebãt:Putantes quòd quemadmodum ipſi inani gloriæ & iactantiæ dediti erant,vmbráſque omnes oſtentationis ſectabantur : Ita & Dominus eſſet eiuſdem auidus.Quibus meritò reſpondit.

Tempus ſuum nondum adueniſſe. Quod etiam cognatis & amicis ad ambitionem ſollicitantibus , reſpondere debemus

bemus : Tempus nostrum nondum aduenisse, Hoc est, Verè quidem dicitis gloriam esse quærendam, quietem esse expetendam, honorem esse conciliandum, sed non hæc mūdana gloria & quies, quin diuina illa potius & immortalis : quam vt consequamur hanc mundanam & falsam contemnere debemus. Quemadmodum nos docent sacræ literæ, & Sancti homines suo exemplo testificati sunt. Cum Christus quęreretur ad regnū, fugit renuitque sceptrum. Ioan. 6. *Nemo assumit sibi honorē, sed qui vocatur à Deo quemadmodum & Aaron. Hebr. 5.* Valerius Maximus lib. 6. cap. 4. Insignis fuit, inquit, Manlij Torquati grauitas, cum eidem Consulatus omnium consensu deferretur, eumque sub excusatione aduersæ valetudinis oculorum recusaret, instātibus cunctis, Alium, ait, Quirites, quærite, ad quem hunc honorem transferatis : Nam si me gerere eum coëgeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meū Imperium perpeti poteritis. Hæc ille quamuis Ethnicus. Monet *Ecclesiasticus cap. 7.* Honores humanos non quærendos his verbis: Noli quærere ab homine Ducatum neque à Rege cathedram honoris. Et paulò post: Noli quærere fieri iudex nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. Dicatur ergo contra ambitionem.

Ioan. 6. *Heb. 5.* *Valerius Max.* *Eccles. 7.*

Tempus meum nondum est paratū. Honores humani parui pendendi sunt : Quandoquidem multi honoribus magis deprauantur : Et, vt communi dicitur prouerbio: *Honores mutant mores.* Quemadmodum Bucephalus ille Alexandri Magni equus, cum sine fræno & ephipiis, siue ornamentis regiis esset, ac pretiosis phaleris, quemcunque per facilè sustinebat sessorem : at vbi exornatus iisdem erat, solum Alexandrum præterea neminem admittebat : veluti insinuat Plinius lib. 8. cap. 42. his verbis : Bucephalus siue ab aspectu toruo, siue ab insigni taurini capitis armo impressi sic vocatus, Alexandri equus, neminem alium quàm Alexandrum, regio instratus ornatu recepit in sedem, alios passim reijciens. Hæc Plinius. Expressiùs autem Solinus Polyhistor. cap. 47. cum ab equario suo Gallicè *Palefrenier ou escuyer*, aliàs etiam molliter sederetur, accepto regio stratu neminem vnquam alium præter dominum vehere dignatus est. Hæc ibi. Ita plerique cum nulla dignitate nulloque magistratu conspicui sunt, omnibus sese affabiles, familiares, perhumanósque exhibent: At si aliquo honoris gradu afficiantur, illico cæteros despiciunt, eisdéque se inexo

Plinius. *Solinus Polyhist.*

se inexorabiles reddunt, neminemque præter Alexandrum admittunt & reuerentur, hoc est, cum per quem in tali dignitate fouentur & conseruantur.

Manifesta teipsum mundo, &c. Audis consiliarios huius sæculi, ad vanam gloriam semper prouocãtes: Cùm Christus ab ea quam longissimè abhorreret. *Matth. 6.* dixit, *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* c. 8. *Vide nemini dixeris* cap. 9. *Videte ne quis sciat.* cap. 16. *Vt nemini dicerent.* cap. 17. *Nemini dixeritis visionem.* cap. 23. *Omnia faciunt Pharisæi vt videantur ab hominibus* Marc. 1. Et comminatus est ei Iesus dicens, *Nemini dixeris* c. 3. *Vehementer comminabatur eis.* Luc. 5. *Vt nemini diceret*, Et cap. 8. *Redi in domum tuam.* Vt ergo & nos simus filij patris nostri, qui in cœlis est, quàm longissimè ab hoc vitio abhorrere debemus.

Matt. 6. 8. 9. 16. 17. 23.

Marc. 1. & 3.

Luc. 5. & 8.

Tempus meum nondum venit, Tempus autem vestrum semper est paratum, &c Quasi dicat: Ite vos ad istud festũ, quod est tẽpus vobis aptum. In illo enim festo tabernaculorum primis tribus diebus maximè, in pompis cibis ac potibus ludisque & aliis vanitatibus occupabantur. Hoc est tempus vestrum: Id vos quæritis: Hoc tempus non est meum. Imò his diebus si me illic viderent, molestiam illis adferrem, & me odio haberent, vt semper habent: quia veritatẽ illis annuncio, ac illos reprehendo. *Vos non potest odisse mundus:* quandocunque accesseritis benignissimè recipiemini, quia estis similes mundo. *Similis similem sibi quærit*, ait vetus Prouerbium. Morum similitudo mirificè ad amorẽ cõglutinat, illumque facilè conciliat. Vos absque periculo ad solemnitatem illam proficisci potestis, ego autẽ minimè. Loquar enim omnino, si venero quæ conducunt populo. Sed veritas odium parit: & iram voluptuosi animi incendit, cùm nolit deliciosam vitam contemnere atque relinquere. Ioan. 15. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suũ erat diligeret: quia verò de mundo non estis, Sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Gen. 46.* Detestantur Ægyptij omnes pastores ouium: Sic mundani & sæculares homines oderunt religiosos à mundo segregatos. Veluti venator Esau, Iacob oderat mansuetum ac lenem. Et Ismaël homo ferus persequebatur Isaac filiumfamiliâs: Ita & nunc, ait Apostolus: Qui secundũ carnẽ ambulant, persequũtur eos qui secundũ spiritũ viuunt, & repromissionẽ expectãt æternam, Coruis planè similes. Nam vt scribit Isidorus lib. 12.

Ioan. 15.

Gen. 46.

Isidor. li. 12.

Etymo

Etymologiarum cap.7. Coruus editis pullis escam nō præbet, priusquā per pennarum nigredinem similitudinē proprij coloris agnoscat: Postquam autem nigros in plumis aspexerit, agnitos abundantius pascit: Ita & mundus nigros, id est, atris improbisque moribus sibi similes diligit. *Etymol. cap.7.*

Tempus meum nondum venit, &c. Quodnam est hoc tempus? An non venerat tempus Christi? Aut quare Christus venerat, si tempus eius nondum venerat? Nonne scribit Apostolus Gal. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* Ergo quando oportuit venit. Quid ergo est, *Tempus meum nondum venit?* Responsio. Dabant ei consilium consequendæ gloriæ veluti seculariter & terreno affectu monentes, ne esset ignobilis, & latitaret veluti in angulo Galileæ delitescens, non in medio Iudeæ sua miracula edens & operās. Quod ergo ait Dominus, *Tempus meum nondum venit,* illis respōdit qui ei de gloria consiliū dabāt: Tempus gloriæ meæ nōdum venit. Voluit vt altitudinem humilitas præcederet, & ad celsitudinem humilitas ipsa viam sterneret: Sicut & discipulis *Matt.20.* respondit: *Calicem meum bibetis.* Illi vtique gloriam requirebant, qui volebant sedere, vnus ad dextram eius, alter ad sinistrā: *Potestis,* inquit, *bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Calicem commemorabat humilitatis atque passionis. Docuit hoc responso Christus adulatores esse fugiēdos, non audiēdos. Illis claudendæ sunt aures. Prouer.1. *Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis* Item, quatenus cognatis & amicis nostris sit gratificandum, si nos adierint, vel rogarint. Complaceamus quidem eis in bonum, non autem contra iustitiam & æquitatem: sicut nec Christus acquieuit istis suasoribus ac cōsultoribus pessimis. Ait enim Cicero libro de Amicitia: Prima lex in amicitia sanciatur, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati. Hæc ille. Talibus iure respondebimus importunis rogatoribus: *Nescitis quid petatis. Matt.20.* Ammianus Marcellinus lib.14. Alexādrum Magnum matrem insontis mortem postulātem non hac in parte exaudiisse cōmemorat, & meritò quidem (vt aliàs me rescripsisse memini, quare nunc supersedeo) Valerius libro 6. cap.4. P. Rutilius, cum amici cuiusdam iniustæ rogationi resisteret, atque is per summam indignationē dixisset: Quid ergo mihi opus est amicitia tua, si quod rogo non facis? Respondit: Imò quid mihi tua si propter te aliquid inhonestè facturus sum: Ideò referēte Plutarcho

Gal.4. *Matt.20* *Prou.1.* *Cicero.* *Matt.20* *Valerius.* *Plutarc.*

tom.1.

tom.1. Opusculorũ in Apophtegmat. Græcorum. Pericles dicebat de seipso, Sum amicus vsque ad aram. Et tomo 2. Opusculorum, de vitiosa verecundia, idem de Agesilao narrat ad hanc formam: Ille patri iubenti vt in causa quadam præter leges pronunciaret: Imò, inquit, abs te pater à puero didici parere legibus: quamobrem nunc quoque tibi obtempero, cauens ne quid faciam præter legem. Hęc ibi. Quæ aliàs puto me transcripsisse. Præsenti lectione hoc edocemur, cum Christus suggestioni cognatorum noluit acquiescere, sed respondit.

Tempus meum nondum venit, &c. Quasi dicat, Tempus passionis meæ, Prophetarum oraculis præscriptum, & à me decretum, atque selectum, non est festum tabernaculorum sed paschæ, quo solo agnus ex lege erat immolandus. Vt igitur veritas respondeat figuræ: Christus, qui est à Ioanne, índice demonstratus & ostensus, vt verus agnus Dei, tunc debuit offerri ac immolari in cruce non in alio tempore. Vnde ipse Christus per discipulos cuidam renunciari
Matt.26 iussit. Matth.26. *Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis.* Sæpe in D. Ioannis Euangelio hęc locutionis formula habetur: *Nondum venerat ho-*
Ioan. 13. *ra eius.* Et cap. 13. *Sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, circa festum diem Pascha, &c.*

Tempus nondum aduenit, &c. quia vigilia præcedit festum, vt vulgato fertur adagio. Contra diem festum hic agere volumus, vitam mollem ac dissolutam degentes, cum tamen in vigiliis, ieiuniis ac laboribus præsentem deberemus transigere peregrinationem & incolatum no-
Eccle. 3. strum *Ecclesiastes cap. 3.* Tempus flendi prius ponitur, & tempus ridendi posterius. Humilitas præcessit exaltatio-
Philip. 2. nem in Christo. Phil. 2. *Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Iterum, *Tempus meum*, scilicet profectionis huius quæ instabat, *nondum*
Ioan. 7. *venit, Sed iam die festo mediante,* ait Euangelista. Ioan. 7. *Christus ascendit in templum.* Vide eiusdem prudentiam:
Eccles. 3. & 8. Prudentis siquidem est, Obseruare tempus. *Ecclesiastes. cap. 3. & 8.* Omnia tempore congruo agenda sunt, inquit. Ecclesiastici 4. Fili conserua tempus. Inter septem Sapiẽtum Apophtegmata celebratur istud: γνῶθι καιρὸν, id est, Noueris tempus. Hierem. 8. *Miluus cognouit in cœlo tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia, custodierunt tempus aduentus sui: Populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Hinc

Luc. 19.

Luc.19. Christus super Hierusalẽ fleuisse dicitur: Eo quòd, ait, *nõ cognoueris tempus visitationis tuæ, Ergo dum tempus habemus operemur bonum,* admonet Apostolus. *Luc. 19.*

Non potest mundus odisse vos, ait Christus. Quæ quidem Domini sententia adeo vera est, vt inter clarorum virorum Apophtegmata referatur, Principem quendam virtutis laude præstantem, cum ab improbo quodam homine laudaretur, ad comites conuersum interrogasse: Num mali aliquid designasset, quòd ab improbo laudaretur? Adeò illi persuasum erat sceleratos homines nihil nisi quod ipsi faciunt probaturos. Illum principẽ opinor fuisse Phocionem, de quo Plutarchus to.1. Opuscul. in Apophteg. Phocion Atheniensis, aliquando dicens suam sententiam, quum placere se, & æqualiter ab omnibus approbari, suam videret orationem, conuersus ad amicos: Num mihi, inquit, imprudenti prauum aliquod dictum excidit? Hęc ille. Ideò subiungit Christus.

Me autem odit mundus quia testimonium perhibeo de ipso quod opera eius mala sunt, &c.

Iam aliquoties diximus, quòd Veritas odium parit. Eo nomine ab impiis Prophetæ persecutionem passi sunt, vt patet de illo Propheta qui Hieroboam redarguit. *3.Reg.13.* *3.Reg.13*
& de Iehu Propheta. *3.Reg.16.* Qui ob hanc causam à Rege Basa occisus fuit: De Michea Propheta ab Achab rege incarcerato, & à pseudopropheta in maxillam percusso *3.Reg. 22.* De Elya ab eodem Rege ac Iezabele illius coniuge crudelissima fœmina, iniurias perpesso. *3.Reg.21.* De Zacharia à Ioas rege lapidibus obruto. *2.Paral.24.* De altero Propheta qui Amasiam regem reprehendit: Cur, inquit, adorasti Deos? Respondit Amasias: Num consiliarius regis es: Quiesce ne interficiam te. *2.Par.25.* Osias rex *2. Par.26.* ab Azaria pontifice se reprehendi ægrè ferens, illi ac sacerdotibus minatus est. *Et Hieremiæ capit. 26.* Cum Hieremias prophetasset contra Hierusalem, apprehenderunt eum sacerdotes & omnis populus, dicens: Morte moriatur, & iudicium mortis est viro huic, quia prophetauit aduersus ciuitatem istam, Ibidem, Fuit vir prophetans in nomine Domini Vrias filius Semei de Cariathiarim, & prophetauit aduersus terram hanc, & adduxerunt eum de Ægypto retractum, ad regem Ioachim, & percussit eum gladio, & proiecit cadauer eius, in sepulchris vulgi ignobiiis. Sicque frequenter admodum contin

3.Reg.16 *3.Reg.22* *3.Reg.21* *2.Paral. 24.* *2.Par.25* *2.Pa.26.* *Iere. 26.*

contingit, vt iuxta Dauidis vaticinium, odio habeat impius corripientem se. Ideò enim ab Herode in vincula coniectus est D. Ioannes Baptista ac decollatus, & Stephanus à Iudæis lapidatus, Actor. 7. Et aureum illud eloquentiæ organum D. Chrysostomus, vt ex Symeone Metaphraste, Surius tomo primo de Sanctis, scribit: Ab Eudoxia Arcadij Imperatoris vxore, liberas eius reprehensiones non ferente, bis in exilium pulsus est. Quid plura? Deficeret me tempus enarrantem de singulis, in vtroque testamento fortiter zelantibus, atque eo nomine indignissima perpessis, exilium, carceres, mortem denique acerbissimam ab impiis, quos ipsi redarguebant palàm & publicè, & odio habuerunt corripientem in porta, vt ait Scriptura. *Amos. 5.* & *Prouerb. 15.* Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientem graditur. Et Psalmographus: *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Dicunt enim impij aduersus iustum *Sapient. 2. Contrarius est operibus nostris.* 1. Cor. 4. *Persecutionem patimur, tanquam purgamenta, &c.* Sed ab iis etiã qui foris sunt, exempla depromamus. Cur quæso, Socrates Athenis bibit cicutam? Nonne quia malè agentes reprehendebat? Scribit enim de eo Laërtius, libro secundo, Socrates eos qui seipsos magnifacerent & æstimarent, vt stolidos & insensatos arguebat: Auitus à Socrate rideri se nõ ferens, tragœdiam aduersus illum excitauit. De Platone etiam Diodorus Siculus, libro 15. Dionysius, inquit, Syracusanorũ Tyrannus accersito ad se Platone, primùm quidem laude maxima dignum eum reputauit, quòd libertatẽ in eo dignam philosopho animaduertisset. Postea quibusdam sermonibus eius offensus, animo prorsus ab eo alienatus, in forum productum quasi mancipium 20. minis vendidit. Sed Philosophi eò conuenientes, emptum eum in Græciam ablegarunt. Hæc simul admonẽtes, quòd virum sapientem aut rarissimè, aut suauissimè versari cum Tyrannis conueniat. De Callisthene quoque, Seneca Naturalium Quæstionum libro sexto cap. 23. scripto prodidit ad hunc modum: Callisthenes furibundi Regis, nimirum Alexandri Magni, impatiens, ob id tandem crudeliter ab eodem interfectus est. Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum fœlicitas redimet. Nam quoties quis dixerit: Occidit Persarum multa millia, opponetur, Et Callisthenem: Imperiũ ex angulo Thraciæ, vsque ad Orientis terminos protulit: Dicetur, Sed

Suri⁹ ex Metaph.

Sap. 2.
2. Cor. 4.

Laërti⁹.

Diodor⁹ Siculus.

Seneca.

Sed Callistenem occidit. Omnia licet regum exempla transierit, ex his quæ fecit, nihil tam magnum erit quàm scelus Callisthenis. Hæc ibi. Paucos reperias, qui non statim vbi reprehenduntur, in conuitia, contumelias, iniuriásque prorumpant: Et certè mirabile illud est, quod si de indecenti ornatu moneantur, si de sordido pileo, si de pallio fœdato, & aliis huiusmodi nullius ponderis rebus, gratias statim agant amplissimas: Si verò de vitæ emendatione, quæ res est omnium vtilissima, despiciunt, aut si tunc quidem cessent à conuitiis, iracundiam tamen in aliud sibi reseruent tempus atque iniuriam.

Tempus meum nondum venit &c. Habet hîc quidem impius tempus suum, sed bono etiam suum adueniet. Et certè quemadmodum si pauperis alicuius hominis filius, eleganti quodam atque splendido indumento ornatus procederet, videretque eum diuitis alicuius natus, minus eleganter amictus, statimque ad patrem accederet, dicens: Nónne vides, mi pater, quàm vili ego vtar indumento, præ filio illius Cerdonis, inopisque hominis? An non pater tunc subiungeret, Tace fili, Tempus enim tuum adueniet, cùm tandem amplissima à me tibi hæreditate patrimoniáque relicto, maxima cum iucunditate perfrueris: hic verò inopis hominis filius, fame conficietur, qui duntaxat ad modicum quoddam tempus eo indumento lætabitur, cùm post patris obitum extrema inopia cruciandus sit. Ad eundem modum, quamuis impij hîc florere videantur, & boni despici, atque contemni, attamen sortes tandem commutandæ sunt, & tempus bonorum succedere debet, quo in sempiterna constituti prosperitate, impios videbunt extrema affici miseria atque infœlicitate.

Nemo in occulto aliquid facit, & quærit ipse in palam esse, &c. Locus est communis de Cupiditate gloriæ à Valerio. lib. 8. cap. 14. fusissimè tractatus quo in loco, Nulla est tanta humilitas, inquit, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. Cæterùm gloria, ne ab his quidem, qui contemptum eius introducere conantur, negligitur: quandoquidem ipsis voluminibus nomina sua diligenter adiiciunt, vt quod professione eleuant, vsurpatione memoriæ consequantur. Sed qualiscunque horum dissimulatio, proposito illorum longè tolerabilior est, qui dummodo æternam memoriam assequantur, etiam sceleribus innotescere non dubitarũt. Quorum è numero nescio an imprimis Pausanias debeat referri. *Valerius Maximus.* *Pausanias.*

consulunt. Quasi dicerent: Facis mirabilia, innotesce, id est, appare omnibus, vt laudari possis ab omnibus. Loquebatur in eis prudentia carnis. *Ioan.12. Dilexerunt magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei.* Hæc captandæ auræ popularis appetentia seu cupiditas mater est incredulitatis, vt liquidò patet ex hoc loco, & ex nostræ tempestatis Dogmatistis Hæresiarchis. Quid enim aliud quàm vana gloria & iactantia seu ostentatio doctrinæ, & singularis cuiusdam eruditionis opinio, Caluinum, Bezam, aliósque eius factionis Epicuri de grege porcos, ad excitandas nouas sectas ex suis nominibus induxit? Verè Herostratiani isti, obscuri nebulones, hæresibus suis ac seditionibus facti in seculo famosi, vt Seba perduellis (de quo in sacra Regum historia) Beza inuersis literis, idem nomen est, Sic & isti sceleribus suis, templorum, sacrarúmque ædium conflagratione, incendio, ac prophanatione innotescere diligenter curarunt. Sed antequam ad alia transeamus, Explicandum est: Quínam sunt isti fratres Christi, quos taxat Euangelium? *Matth. 13. & Marc. 6.* Fratres Christi dicuntur: Iacobus, Ioseph, Iudas, & Symon. (qui filij fuerunt Mariæ Cleophæ, sororis Sanctissimæ Deiparę.) Theophylactus Ioan.7. sic exponit: Fratres Christi, filij scilicet Ioseph, Nonius Græcus Poëta hunc Theologi D. Ioannis Euangelistæ paraphrasticω̃s interpretans locum, sic fratres describit. *Matt.13. & Mar. 6.* *Theoph.* *Nonius Græcus Poëta.*

Τετράζυγες υἷες Ἰωσήφ. Hoc est, Quadruplices filij Ioseph hæc græci illi: non quod sanctissimam virginem communem Ioseph, ex eo habuisse filios vllos, putarent: Id enim apertè virginitati eiusdem perpetuæ derogat; nec parua est blasphemia aduersus ἀειπαρθένον Mariam illud confingere, & velle astruere: sed hos fratres putauerunt esse ex priori vxore ipsius Ioseph, Ideóque dictos fratres Christi, quasi eundem habentes patrem, Quia Ioseph putabatur pater Iesu. Luc. 2. 3. vt putabatur filius Ioseph. Longè meliùs tamen magísque piè dicitur, quòd huiusmodi fratres, cognati erant ipsius Christi, & quòd Sanctus vir Beatæ Mariæ, Ioseph, permansit virgo, nec aliam habuerit vxorem aut vllos genuerit liberos, Sic enim disertis verbis affirmat D. Hieronymus aduersus Heluidium, de perpetua virginitate Mariæ: Dico ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio, virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, &

 aliam

aliam eum habuisse vxorem non scribitur: Mariæ autem quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quàm maritus, Relinquitur virginem eum mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari. Hæc D. Hieronymus, qui etiam ibidem, Quomodo in sacris, fratrum appellatio multiplex sit, fusius explicat: Sed his commemorandis tanquam notissimis tritissimísque, nunc supersedeo, ad finem properans.

Vos ascendite ad diem festum hunc, Ego autem non ascendam &c. Quomodo ergo consequenter dicitur: *Postquam ascenderunt fratres eius & ipse ascendit, non manifestè, sed quasi in occulto? &c.* Respondeo. Christus non aliter dixit, & aliter fecit: *In ore eius non est inuentum mendacium nec vllus dolus, vt scribit D. Petrus.* Non ascendit Christus festum diem acturus, sed admoniturus potiùs, & prædicaturus. Sic igitur clarissimè sub istis distinctionibus exponemus, vt nulla appareat contradictio. *Ego non ascendam* scilicet modò, sed postea, *iam die festo mediante:* Non ascendam vobiscum & palàm: sed post vos, & quasi in occulto. Non ascendam ad finem & intentionem quam suadetis, sed ad Dei gloriam, & populi ædificationem. Atque ita non contradicunt verba & facta Christi. Dixisse verò ipsum, quòd non ascendet, & tamen ascendisse legitur, in lib. Exodi figura significatum inuenies. Nam cum Moses in cacumine montis diutius moraretur, legem à Deo expectans, & vitulum Hebræi adorarent: Dixit Dominus ad Mosem: Vade & ascende ad terram quam iuraui Abrahæ: & mittam ante faciem tuam Angelum meum. Respondit Moses: Nisi tu nobiscum venias, non educes me hinc. Et quomodo cognosci poterit inuenisse me ac populum tuum apud te gratiam, nisi nobiscum veneris? Tunc dixit Dominus ad Moysem: Et hoc verbum quod dixisti faciam: inuenisti enim gratiam apud me. Vides prius dictum esse à Deo, propter populi peccatum non ascensurum se cum illis, sed Angelum quendam missurum. Postea verò propter Mosem, & patrum memoriam venia data, cum illis seipsum præsentem fore promittit. Similiter hic, cum propter incredulitatem Iudæorum iturum se ad festum negauerit, tamen propter sanctos paucos & electos, vt illis prodesset: ascendit in templum, non vt ad festum diem, sed vt salutarem illis proponeret doctrinam: sicut ipse declarat: Euangelicus contextus sequitur.

Erat

Erat murmur multum de illo in turba. Alij dicebant, quia bonus est, alij Non, sed seducit turbas, &c. Iudæi assueti sunt murmurationi & detractioni. *Matth. 9. Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Et Matth. 12. Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere sabbatis, vellentes spicas, Ioan. 6. Murmurabant siue litigabant dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum. Iterum Luc. 19. Murmurabant quòd ad hominem peccatorem, scilicet Zachæum, diuertisset.* Et Iudas in effusione vnguenti, contra Christum, & Magdalenam murmurauit: vt, σὺν θεῷ, dicemus in sequentibus. Est ergò à nobis hoc pestiferum murmuris malum ablegandum: Quia charitati & dilectioni contrarium.

Mat. 9. Mat. 12. Ioan. 6. Luc. 19.

Dicunt autem: *Seducit turbas.* Non dicunt: Seducit nos. Superiùs diximus Christum non seduxisse, sed ad vnum ouile sub veri pastoris, nempe ipsius Messiæ fideli custodia, ac regimine adduxisse turbas, & totam illam multitudinem, quæ verbo eius fidem adhibere non detractauit, nedum autem seruis, sed etiam ipsi Domino, hæc irrogatur infamia, vt seductor turbarum & populi dicatur. Idque ad consolationem seruorum Dei. Non est discipulus supra magistrum, nec seruus supra Dominum suum. Si patremfamiliâs Beelzebub vocauerunt, quantomagis domesticos eius? *Matth. 10.* Hoc est mundi præmium. De camelis narrat Plinius libr. 8. cap. 18. quòd sitim quatriduo etiam tolerant: implentúrque cum bibendi occasio est, & in præteritum & in futurum, obturbata proculcatione prius aqua: aliter potu non gaudent. Hæc ille. Sicut autem camelus ad clarum fontem accedens bibiturus, videns suam deformitatem in aqua apparentem, illam priùs conturbat: ita malus & improbus, maledico suo ore optimi viri famam conatur obscurare quia in eo pessimi illius mores reprehenduntur, & tanquam in limpida aqua eius gibbositas quasi cameli apertè conspicitur. Sic blasphemi isti Christo detrahunt, & linguis serpentinis ac venenatis ipsi maledicunt conuitiantes: Quia, inquiunt, seducit turbas. D. Apostolus. *2. Cor. 6. Vt Seductores, ait, & veraces,* hoc est, Quamuis per calumniam seductores reputemur à falsis Prophetis, & hæc nobis inferatur iniuria: attamen veraces sumus prædicatores fideles & ministri Christi. Cui laus & perennis gloria cum patre ingenito & viuifico Spiritu ab vtroque procedente. Amen.

Mat. 10. Plinius. 2 Cor. 6.



FERIA QVARTA, POST DOMINICAM IN PASSIONE.

De Encæniis. Ioan. 10.

Facta sunt Encænia Hierosolymis & hyems erat, & ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi & dicebant: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus dic nobis palam, &c.



Vodnam sit Encæniorum festum primo loco explicandum. Ex sacris templi veteris triplicem colligimus dedicationem, variis temporibus etiam celebratam. Hæc autem Græco vocabulo τὰ ἐγκαίνια, numero multitudinis siue in plurali denominatur ab Euangelista, quasi dicas, templi innouationem vel dedicationem. Sciẽdum est quòd Hierosolymis templum fuerat tribus vicibus consecratum. *Primò* quidem à Salomone, vt habetur, *3. Reg. 8. Secundò*, Tempore Esdræ à Zorobabel, & Iehu sacerdote magno, vt habetur *3. Esdræ 5. Tertiò* à Machabæis, vt docetur *1. Machab. 4.* Quòd ascenderunt Hierosolymã renouare sancta. Statuitq; Iudas & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israël, vt agatur dies dedicationis altaris ab anno in annum per dies octo à quinta & vicesima die mẽsis Casleu, cũ lętitia & gaudio. Et *2. Mach. 10.* Decreuerunt cõmuni pręcepto 25. mensis Casleu omnibus annis agere dies festos. Hęc autẽ Encænia non sunt facta in memoriã dedicationis quæ facta fuit à Salomone, quia hæc fuit in autumno scilicet in mense septimo: Nec in memoriã dedicationis quę facta fuit tẽpore Esdrę, quia illa fuit in vere, s. 9. die Martij, sed in memoriam dedicationis quæ facta fuit à Machabęis in tẽpore hyemali, ad quod designandũ hic dicitur: *Et hyems erat* Dedicare, vt hinc ducamus dicẽdi exordiũ, capitur interprete Lyrano in Deu. 20. ad hæc verba: Quis est homo qui ædificauit domũ nouã, & non

Lyran⁹.

& non dedicauit eã: vt idẽ significet, quod Gallicè dicimus *Estrener*, Strenare, id est, facere solẽne conuiuiũ de inhabitatione ipsius, siue incipere ea vti, & applicare vsui. Sed tẽpla seu ecclesias dedicare, est solẽni ritu ac præscriptis sacris ceremoniis, precibus, inuocationibus, exorcismis, atq; vnctionibus, Domino illas consecrare, nũcupare & applicare ad sanctos piosq; vsus, vt sint amodò loca orationis, non prophanæ negotiationis. Vnde Felix Papa quartus. In Epistola sua decretali, quæ habetur tom. 2. Conciliorum, scribit ita: Tabernaculũ Moseñ sacrasse cum mẽsa & altari eius & cæteris vasis legimus: nẽpe, *Num.7.* & Sancti olei vnctione perliniſſe nouimus, & fecit Salomõ festiuitatẽ celebrẽ in tẽpli scilicet dedicatione *3. Reg.8.* Declinauerunt templũ Domini rex & filij Israël. Si Iudæi loca in quibus Domino sacrificabant, supplicationibus consecrabãt: nec in aliis quàm Deo dedicatis locis munera Domino offerebant: Multò magis nos tẽpla Domino ædificare, & sanctis vnctionibus solẽniter sacrare debemus, & nõ in aliis locis, quàm in Domino sacratis ab Episcopis, nisi sũma exigente necessitate missas celebrare. Ibidẽ. In Cõcilio Laodiceno c.58. sic habetur: Solẽnitates dedicationũ Ecclesiarũ per singulos annos solẽniter sunt celebrãdæ: ipso Domino exẽpla dãte, qui ad festũ dedicationis templi, omnibus id faciendi dans formã, cum reliquis populis candẽ festiuitatẽ celebraturus venit: sicut *Ioan 10.* scribitur. Quod aũt 8. dierũ sint Encænia celebrãda in li.*3 Reg.8.*c. peracta dedicatione tẽpli reperies. Hactenus to.2. Concil. Hinc apud Gratianum de consecratione Dist.1. capitibus duobus se consequentibus, Solẽnitates, dicitur ad hunc modũ: Solẽnitates dedicationũ Ecclesiarũ per singulos annos solẽniter sunt celebrandæ ipso Domino exemplũ dante qui ad festũ dedicationis templi cõuenit, & cætera quæ supra trãscripsimus. Et c. Tabernaculũ &c. Habentur verba Felicis Papæ quæ supra etiã retulimus. Sanctus Martialis Epistola ad Burdegalenses §.3. Dum, inquit, altaria Dæmonum in puluerẽ redigerẽtur: Arã ignoti Dei ad consecrationẽ reseruari iussimus. Qua dedicata in nomine Domini Dei Israël, & ipsius testis Stephani, qui pro eo à Iudæis passus est non hominis cultũ sed Dei in ea frequẽtatis. Hæc ille, vnus ex 72. Christi discipulis, vt fama obtinuit. In Rationali Diuinorũ officiorũ li.1.c.6. de Ecclesiis dedicatione: Quinq; assignãtur causæ, propter quas Ecclesiæ dedicantur. Prima,

Cõcilia.

Decretũ Gratiani

S. Martial.

Rationale d. Off.

vt Diaboli potestas inde penitus expellatur, quòd admirāda historia comprobatur reipsa effectum esse, Scribente D.Gregorio Magno, iuxta nominis sui etymon vigili Ecclesiæ præsule ac pastore & egregio doctore. Is lib. 3. Dialogorum c.30. fideliter narrat, Quòd suo tempore Romę Arianorum Ecclesia cùm clausa ante biennium remansisset, placuit vt in fide catholica illic introductis Beati Stephani reliquiis dedicari debuisset: quòd factum est. Nam cùm magna populi multitudine venientes illam ingressi sumus: Cúmque in ea iam missarum solemnia celebrarentur, & præ eiusdem loci angustia, populi se turba comprimeret: Quidam ex his qui extra sacrarium stabant, porcū subitò intra suos pedes huc illucque discurrere senserunt. Quem dum vnusquisque sentiret, & iuxta se stantibus indicaret, idem porcus Ecclesiæ ianuas petiit, & omnes per quos transiit, in admirationem commouit: sed videri à nullo potuit, quamuis sentiri potuisset. Quòd idcirco diuina pietas ostendit, vt cunctis patesceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret. Peracta igitur celebratione missarū inde recessimus. Prosequitur subinde ibidē, alia facta in prædicta Ecclesia miracula, quibus palam innotesceret, quòd à loco quem Dæmon diu tenuerat, cùm Ariani illum occuparent, Cùm fuisset à Catholicis consecratus, Repurgatus, ac dedicatus, renouatúsque (id encæniare dicunt) ille coactus inde exiret, & locus ille à tenebris ad lucem veniret. Secunda causa dedicationis Ecclesiarum, Vt ibi orationes fidelium exaudiantur. 3. *Regū 8.* Vt exaudias orationem quàm orat seruus tuus in loco isto. Tertia, Vt ibi Deo laudes soluantur, & Deus adoretur. *Psalm. 5. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ adorabo ad templum sanctum tuum, &c.* & Psal. 137. *Adorabo ad templum sanctum tuum &c.* Quarta, vt ibi sacramenta ecclesiastica ministrentur. Hinc lege 41. C. de Episcopis & Clericis, Imperator Iustinianus circa finem rescripsit: Qui constituerunt, inquit, sanctissimas Ecclesias, reliquerunt illis substantias, vt per eas debeant sacræ Liturgiæ fieri, vt & in illis à ministrantibus piis clericis Deus colatur. Idem in Authenticis. Nouella constitutione 7. Collatione 2. De non alienādis aut permutādis rebus Ecclesiasticis. § Quia verò cognouimus. In Sanctissimis Ecclesiis sacrum exhibetur ministerium. Gręcè sic: *ἱερα γίγνεται λειτουργία.* Iulianus Antecessor hoc loco: Missam interpretatur. Sacris Lectis

D.Greg. Mag. Papa.

Lex.

Iulian⁹. Antecessor.

Scri

Scripturis, ac sacrosancta & ineffabili communione tradita. Hæc ibi. Ecce quibus seruiunt Ecclesiæ dedicatæ. Quinta & postrema causa est, Vt ad eã confugientes tanquã ad asylum saluentur. Ecclesia enim est locus refugij. Leg.3.C.de iis qui ad Ecclesiam confugiunt. Imperatores Theodosius & Valentinianus, sic statuerunt: Pateant summi Dei templa timentibus, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita: Confugientibus ad aram salutis esse præcipimus. Repetitur in Nono Canone Photij tit. 5.capit. 2. Qui ad Ecclesiam confugiunt, securitatem habento. Item leg.præsenti.C.eod. Imperator Leo: Decernimus, inquit, nullos de Sacrosanctis Ecclesiis Orthodoxæ fidei expelli, aut trahi, confugas. His qui hoc moliri ausi fuerint, capitali & vltimi supplicij animaduersione plectendis. Et leg. 2. C.eod. Imperatores Theodosius & honorius rescribunt ita: Fideli præceptione sancimus nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere, sub hac videlicet definitione, vt si quisquam contra hanc legem venire tentauerit, sciat se maiestatis crimine esse retinendum, Et Gratianus decima septima quæstione quarta capit. Reum ad Ecclesiam fugientem nemo abstrahere audeat, neque inde, * damnare ad pœnam vel ad mortem, vt honor Ecclesiarum conseruetur: Tamen legitimè componat quòd iniquè fecit. Tomo 1.Conciliorum, Ex concilio Aurelianensi primo, sub Clodouæo Francorum Rege capit.3.& Canonizatum decima septima, quæstione quarta, c.Id constituimus, dicitur: Id constituimus obseruandum; quòd Ecclesiastici Canones decreuerunt, & Lex Romana constituit, vt ab Ecclesiæ atriis Reos abstrahere omnino non liceat, sed nec alteri consignare nisi ad Euangelia datis sacramentis de morte & debilitate, & omni pœnarum genere sint securi: Ita vt ei, cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conueniat. Hucusque verba Canonis. Sunt & multa similia Ecclesistica decreta, & Imperatorum rescripta, de Ecclesiarum immunitate, à quibus recitandis, vt ad sequentia pergamus supersedeo.

Photij Nomocanon.

Decretum.

** Melius donare ad pœnã.*

Et hyems erat, &c. Hoc dicit, vt Iudæorum malitiæ frigus indicaret. *Ierem.6. Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit malitiam suam.* Et Christus in Euangelio. *Matth.24. Abundabit iniquitas, & refrigescit charitas multorum.* In historia Dominicæ Passionis, de Petro negaturo præmittitur *Ioan.18. Quia frigus erat, & stans ad*

Ierem.6.

Mat.24.

Ioan. 18. *prunas calefaciebat se:* Hyems erat: Quoniam hoc festum in mense Casleu, qui apud nos est Nouember, agebatur, quo hyemis frigus vigere solet: Quòd quidem tempus Iudæorum frigiditati maximè conueniebat, apud quos charitatis ignis.

De quo Dominus, *Ignem veni mittere in terram, & quid*
Iansen⁹. *volo nisi vt ardeat?* prorsus extinctus erat. Obseruat hic doctissimus Episcopus Iansenius, in sua Concordia Euangel. quòd ex institutione Iudæ Machabæi Encænia adhuc tempore Christi seruabantur.

Ex quo patet, quanta fuerit authoritas Festorum à Machabęis institutorum, vt mirum non sit, si Ecclesia libros Machabæorum tanquam Canonicos receperit. Cōtra eos etiam qui pręter authoritatem scripturæ, nihil putant ab hominibus præcipi posse, aut institui aliquid noui ad Dei cultum pertinens: Cùm festiuitatem hanc ab hominibus institutam, sua etiam præsentia Dominus dignatus sit cohonestare. Hactenus ille. Quòd autem sint Canonici Machabæorum libri contra Hæreticos, efficaciter probatur.
Canones Apostolorum. Ex Canone 84. Apostolorum, inter libros Canonicos numerantur Machabæorum tria volumina. Diuus Augustinus tomo. 5. libro 18. de Ciuitate Dei capit. 36. Machabæorum,
D. Aug. inquit, libros non Iudæi sed Ecclesia pro Canonicis accipit. Cùm ergo simus legitimi Ecclesiæ filij, non spurij Synagogæ, debemus illos etiam recipere: Sicut & eiusdem Ecclesiæ calculo & authoritate Euangelium admittimus, quòd Iudæus respuit. Insuper contestatur idem tomo. 6. contra Epistolam Manichæi capit. 5. Ego, ait, Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoneret authoritas. Rursus tomo. 3. libro 2. de Doctrina Christiana capit. 8. Inter Canonicos libros, Duos Machabæorum nominat, Augustinus, optimus Antiquitatis (qualem eum agnoscit Caluinus) interpres. Vtri igitur credendum? Diuo Augustino fidissimo interpreti, & Ecclesiæ Doctori: an Caluino, altari Luciano (idem enim est litteris inuersis vocabulum) apostatæ & seductori? Imò Diuus
Theodoretus. Paulus *Hebr. 11.* Distenti sunt, Græcè ἐτυμπανίσθησαν, id est, fustibus intenderunt: De Machabæis intelligit: Scholia Græca, & Theodoretus Ibidem, Dictum est de Machabæis, inquiunt, vt Eleazarus, Septem Machabæi, & eorum mater. 2. Machab. 6. 7. ἐπὶ τὸ τύμπανον, hoc est, ad supplicium ducti sunt. Tympanum est lignum tormenti.

Vide

Videtur igitur B. Apostolus, horum Sanctorum Machabæorum gesta ac martyria in cathalogum retulisse Sanctorum quem illo cap. vndecimo contexuit, Incipiendo ab Abele, & prosequendo per Patriarchas finémque in illis faciẽdo Machabæis, qui Distenti sunt, & ad tympanum pro patriis legibus excarnificati sunt. Quorum memoriā Ecclesia ex priuilegio, ex omnibus antiquis iustis annuam ac solemnem consecrauit. Istorum, inquam, tantùm, & non aliorum veterum, vt Diuus Bernardus epist.315. innuit, quia à Tyranno cogerentur libare Diis alienis, & facere contra paternas traditiones, nec tamen consenserunt: sed generosè ac fortiter resistentes, martyrio coronati sunt. Quibus decreta est ab Ecclesia solemnitas. Septem Machabæorum Martyrum. Iosephus denique de Machabæis, vel de imperio rationis sub finem, Per Erasmum recognitus fuit, Hæc inquit, quæ in monumentis veterum, & Sacris literis, Diligenter attende, & obserua hæc verba, de diuinis cõperi Machabæis, posteritati æternùm legenda consecraui.

D.Bern. Epist.313

Iosephus.

Hæc Iosephus Iudæorum historiographus. Inter sacras igitur literas connumerantur Machabæorum res gestæ & historiæ, à Christo & Paulo eius Apostolo etiam canonizantur, vniuersa consimiliter Ecclesia (quæ est columna & firmamentum veritatis, sic eam Apostolus nominat) illos Machabæorum libros pro canonicis accipit, D. Augustino assertore. Quis igitur de cætero relinquitur dubitandi locus? Nullus planè, Sed Lutheranus, Caluinianus, & ab Ecclesia separatus est, quicunque pertinaciter eos respuit libros.

Vnde verò Machabæorum profluxerit appellatio: breuiter non extra rem proponendum. Sixtus Senensis Bibliothecæ Sanctæ lib.1. De Machabæorum vtroque libro disserens, ex Rabbi Isaac Benschola, commentariis: de origine huius cognominis ita scribit: Iudas Mathatiæ filius cùm aduersus Antiochum, Iudæorum hostem, esset prælium initurus, dedit militibus suis, ceu belli tesseram, sententiam illam Mosis Exod. 15. cap. מי כמוך באלים יהוה Mi chemocha Baelim Ichona? Hoc est, Quis sicut tu in fortibus Domine? iussitque eam singulis ordinum vexillis tanquam certæ victoriæ omen, inscribi per quatuor has literas מכבי. Quæ initiales sunt quatuor prædictarum dictionum, & earum sensum ex integro significant. Sed cùm vulgus

Sixt' Senensis, ex R. Isaac.

vulgus militum quatuor has literas breuitatis gratia pronunciare cœpisset, non iuxta integram quàm referunt, sententiam, sed secundum vnicam duntaxat dictionem, quæ primum ex earum combinatione resultat, videlicet Machabæi: paulatim militaris consuetudo obtinuit, vt huius tesseræ author Iudas, & eorum posteri, Maccabæi cognomine appellarentur. Hactenus ibi. Concluditur ergo præsenti Euangelio, de ea templi dedicatione agi, quæ à Machabæis ortum habuerũt, quòd festum Encæniorum, id est, renouationis templi vocatur: De cuius institutione in primo & secundo Machabæorum volumine agitur. Nam vt scribit Cyrillus in Ioannem lib. 7. cap. 9. Prima templi dedicatio fuit in Autumno, Secunda verno tempore, Tertia hyeme, quæ est, 1. Machabæo. 4. & 2. Machab. 10. capitibus descripta: Erátque anniuersaria festiuitas 25. mensis Kisleu (qui nostro respondet Nouembri) celebrari solita.

D. Cyrillus Græcus.

Circundederunt eum Iudæi & dicebant, Quoúsque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.

Circundederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me Psalm. 21. Iam nunc completur hæc Prophetia. Vide Iudæorum peruersitatem! Indignabantur contra Christum: & vt scribit D. Ioannes ὁ θεόλογος cap. 5. magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat sabbathum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Tamen non interrogant eum, An sit filius Dei? Sed dicunt: *Si tu es Christus dic nobis palam*, vt per hoc possent habere materiam accusandi eum apud Pilatum, sicut seditiosum, & appetentem regni. Quòd erat contra Cæsarem, & odiosum Romanis. Vnde & Pilatus, quando Iudæi accusabant Christum, quòd filium Dei se faceret, parum curauit. Dum verò dixerunt: *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari:* magis cœpit contra eum sollicitari. Ideo nunc etiam dicunt: Si tu es Christus, vel Rex, vel vnctus in regem, vulgò apud Iudæos Messias. Palàm, inquiunt. Quasi dicant: vsque modo non docuit publicè, sed quasi in occulto, cùm tamen ipse palàm omnia diceret, in festiuitatibus semper assistens, & nihil occultè loquebatur, Ioan. 18. *Ego palam locutus sum mundo: Ego semper docui in Synagoga, & in templo, & in occulto locutus sum nihil* Non ergo veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant, ac ficto & duplici animo id dicebant, non

desiderio

desiderio proficiendi, sed studio accusandi. Sic Herodes volens Christum occidere, magis deuotionẽ finxit, *Renuntiate mihi*, dicebat ille Magis, *vt & ego veniens adorem eũ. Væ duplici corde Ecclesiastici 2.* De quibus Psalmographus. *In corde & corde locuti sunt*, id est, duplici corde, Christum aggrediuntur. *Vir duplex animo inconstans est, in omnibus viis suis Iac. 1.* Quòd manifestè patet hoc loco. Qui enim nunc videntur quadam cum reuerentia & vrbanitate Christum alloqui, post modum tamen mutata subitò voluntate, *iustulerunt lapides vt eum lapidarent*: Sed vide quomodo prætendant excusationes in peccatis! *Quousque*, aiunt, *animam nostram tollis?* Excusationem captantes, quòd scilicet minus crederent, propterea quia seipsum Dominus non manifestarit. Quasi verò, si modò oculos aperire voluissent, non potuissent ex Christi præclarissimis operibus, quis qualísve esset apertissimè videre. *Iac. 1.*

Dic nobis palàm. Quibus cùm Dominus se se Christum esse reuelat, contra eum Lapides accipiunt. O terribilem insaniam! ô prodigiosam malignitatem! Quando Christus erudiebat per verba, petebant signa. Ioan. 2. *Quod signum ostendis nobis.* Quando faciebat signa, postulabant verba: vt hîc: *Dic nobis palàm.* Quomodo expectant vt Dominus se Christum palam profiteatur, cùm ratum non habeant, sed quando de seipso Christus testatur? Ioan. 8. obijcientes illi: *Tu de teipso testimonium perhibes, & testimonium tuum non est verum.* ô versutiam! Modò signa exquirunt, Matth. 12. Volumus signum videre, Cum verò signis obruuntur, propria ipsorum confessione: Ioan. 11. *Hic homo multa signa facit:* his non contenti, modò apertam quærunt confessionem: *Dic nobis palàm.* Sed nec signis, neque verbis, apud ipsos proficiebat, vt in consequentibus respondit. *Ioan. 2.* *Ioan. 8.* *Matt. 12* *Ioan. 11.*

Loquor vobis & non creditis, &c. Imò deteriores efficiuntur, *2. Timothæorum tertio* Mali homines & seductores proficient in peius. Lucæ vndecimo. *Erunt nouissima hominis illius peiora prioribus:* Sic erit & generationi huic pessimæ. *Viri sanguinum & dolosi*, vt loquitur diuinus vates. Homicidæ, imò verius patricidæ ac Deicidæ Iudæi, pleníque dolo, Christo struunt insidias. *2. Tim. 3.*

Dic nobis palàm, inquiunt. Hîc obserua. Palàm nos, cùm articulus necessitatis ingruerit, debere religionem profiteri nec erubescere Christum & Euangeliũ eius. *Qui me erubuerit,*

erubuerit, ait ille, *erubeſcam & ego eum coram patre meo.* Et Romanorum primo Apoſtolus, inquit, *Euangelium & capite decimo. Ore confeſſio fit ad ſalutem.* Scribunt auctores Eccleſiaſtici, Nicephorus libro nono, capite quadrageſimo octauo. Theodoretus libro ſecundo, capite trigeſimo primo, & Sozomenus libro quarto capite vigeſimo ſeptimo. De Meletio Epiſcopo, antea Arriano, deinde Orthodoxo, Cùm ille prædicaret, Archidiaconus ei obſtruxit os: Ille tres digitos extendebat, eíſque leuiter contractis, vnum tantùm directè erigebat. Quæ dicere non potuit per imaginem exhibens.

Rom.1. & 10. *Nicephorus Theodoretus & Sozomenus.*

Vbi verò Diaconus ore relicto manum compreſſit, tum liberè ſententiam ſuam promulgauit, & omnibus Nicænam fidem commendauit. Fidem ſuam palàm verbo & ſigno profeſſus eſt, ſic proteſtatus: Tria quidem ſunt quę intelliguntur, ſed tanquam de vno loquimur. Publicè filium eiuſdem cùm Patre ſubſtantiæ eſſe, & ὁμοούσιον, aſſeruit, & digitorum porrectione ac depreſſione quid ſentiret palàm expreſſit: Vno ſolo porrecto, Eſſentiæ vnitatem: Tribus verò extenſis, Trium ſuppoſitorum ſeu perſonarum diſtinctionem ſignificans.

Arriani in eum calumniam contexuerunt, dicentes: Diuinum Meletium Sabellianum eſſe, ideò ſuadent Conſtantio Imperatori, qui non aliter atque Euripus, facilè huc illúcque ferebatur, illíſque fauebat, & id perficiunt, vt Meletium patriis ſedibus expelleret. Hæc præfati Scriptores Eccleſiaſtici. Narrat iterum, ex Symeone Metaphraſte, Surius, tom. 3. De Sanctis. In vita D. Athanaſij, verè immortali memoria digni, ſecundum nomen ſuum, quomodo Iouinianus & Valentinianus Iuliano Apoſtatæ, ob Chriſti fidem zelo religionis cingula abiecerunt palàm & apertè.

Surius ex Symeone Metaphraſte.

Nos quoque propter Chriſtum, inquiunt, parati ſumus ipſa vita cedere. Qui duo eximij duces ſucceſſiuè & conſecutiuè poſt Apoſtatam fuerunt Imperatores. Quemadmodum de vtroque referunt hiſtoriæ. Siquidem Eutropius De geſtis Romanorum, libro vndecimo in Iouiano ſcribit, Iulianum electionem militibus lege propoſuiſſe, vt aut ſacrificarent, aut militia cederent. Iouianus illo tempore Millenarius, cingulum magis elegit amittere, quàm Imperatoris præceptionibus impiis obedire. Hunc ergo tunc Iulianus, propter belli neceſſitatem inter viros

Eutropius

militares

militares habebat. Qui cùm violenter à militibus traheretur ad imperium, Clamabat dicens: Non se velle paganis hominibus imperare, cùm ipse Christianus existeret. Communiter proclamarunt dicentes: se quoque esse Christianos.

Túncque suscepit ille imperium. Ad quàm Eutropij historiam extat Pauli Diaconi, De Gest. Rom. additio, lib. 12. in Valentiniano, quæ est huiusmodi. Cùm sub Iuliano Augusto Valentinianus Christianitatis integram fidem gereret, & Scutariorum Tribunus esset, ingressus est cùm Iuliano in templum Fortunæ, & ministri templi ex vtraque parte ianuarum stantes aspersione aquæ sicut ipsi dicebant purgabant ingredientes. Valentinianus præcedens principem aspersionis guttam sua vidit in chlamyde, & indignatur pugno percussit templi ministrum dicens: se maculatum potiusquàm mundatum. Quòd respiciens Iulianus, iussit eum in custodiam retrudi, dicens: Aut sacrifica idolis, aut militia excede. Qui sponte discessit. Nec moratus est, Iuliano interfecto, Iouianóque mortuo, qui pro Christi nomine amiserat Tribunatum, in locum persecutoris sui accepit imperium. De eodem Cassiodorus historiæ Tripartitæ libr. 6. cap. 35. eadem narrat. *Paulus Diacon⁹.* *Cassiod.*

Ex quibus cernis apertè, quomodo illi palàm declararunt demonstrarúntque fidem ac religionem suam, Idem Cassiodorus lib. 9. c. 20. recitat de Beniuolo præside: quòd Iustina Arriana Valentiniani Iunioris mater vocauit Beniuolum tunc Quæstorem, Iubens vt proponeret Legem pro Arrianis: (Erat autem ille orthodoxus) maioribus eum singulis, & honoribus inuitans eum vt id faceret. Beniuolus distringens se, baltheum ante pedes Augustæ projecit dicens: Non illum honorem neque maiorem velle se pro impietatis habere mercede. Sic quòd suadebat & iubebat Augusta facere recusauit, refutauítque: Palàm ac ingenuè fidem professus suam. Ad quorum clarissimorum virorum normam & exemplum, vtinam se officiarij Regis & aulici, qui interim Christiani & Catholici videri volunt, quum res postulat, & religionis vrget negotium, se se componerent: & fortes ac constantes in fide Orthodoxa defendenda se se præstarent. Sed de his satis. Ad sequentia pergamus.

Loquor vobis & non creditis: Opera quæ ego facio in nomine patris mei testimonium perhibent, &c.

Nunc

Nunc ad opera mittit: *A fructu enim arbor cognoscitur:* & ex ipso opere deprehenditur quale sit artifex. Duobus verò argumentis vtitur. Quasi dicat: Disertis verbis docui hucusque me esse verum pastorem, Ioann. 10. *Lucem mundi, cap.8. Fontem aquæ viuentis cap.8. Panem vitæ cap. 6. & iudicem futurum, cap.5. cui dedit pater potestatem iudicium facere.* Quæ omnia me esse Messyam testantur. *Opera* item *quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Luc. 24. *Potens opere & sermone,* & Act.1.*cœpit Iesus facere & docere.* Neque tamen verbis neque operibus quicquam proficio, dicebat Christus. Nota quòd probanda est religio per miracula. Hinc.3. Reg.18. Elias verus Propheta Domini, veram se fidem ac religionem colore miraculis contra Baalistas falsos sacerdotes comprobauit. Hæc de re fusius superioribus concionibus, præsertim ad hæc verba: *Magister volumus signum videre,* egimus. Nicephorus lib.15.capit.23. Sub Gennadio Episcopo circa tempora Leonis Imperatoris, euenisse refert: Vt duo Episcopi: quorum alter rabie Arrij infectus, ac disputandi arte instructissimus, alter recta fide ornatissimus, de doctrina religionis concertarent. Porrò Orthodoxo visum est verborum contentione relicta, ad rem ipsam descendere, & veritatem explorare: videlicet, vt rogo ingenti accenso, se in ignem coniicerent. Quòd vbi Arrianus detrectauit, Orthodoxus igni se commisit: Atque inde cùm impio sermonem conferens disputauit, saluúsque, etiam vestibus intactis, permansit. Narrat & Palladius in Lausiaca historia, de vitis Patrum, vita 54. Vita Abbatis Copræ presbyteri hoc modo: Cùm descendissem, inquit ille, in ciuitatem, inueni virum Magum, qui populos seduxerat. Cùm non possem ei publicè persuadere, dixi ad multitudinem: Rogum in platea accendite, & ingrediamur in flammam, & qui ex nobis illæsus à flamma manserit, is habet bonam fidem. Et conuerso ad Sanctum virum sermone dixit Magus: Debes primus ingredi qui iussisti. Et cùm in nomine Christi signatus essem, flamma vtrinque diuisa me nulla affecit molestia, semi hora in ea commorantem.

Nicepho.

Palladi⁹.

Magum etiam illum in medium protruserunt, & totus flamma combustus eiectus est è ciuitate, Clamantibus populis: Planum, id est, Impostorem viuentem exurite. Me autem deduxerunt in Ecclesiam. Gregorius Turonensis lib. 1. de Miraculis §.81. Refert, quòd Arrianorũ presbyter cùm

Gregor. Turonēs.

cùm Diacono nostræ religionis altercationem habebat. Cùm hæreticus ea quæ vera erant respueret: quia in maliuolam animam non introibit Sapientia, adiecit dicens: Factis rei veritas approbetur.

Succendatur ignis, & annulus cuiusdam proiiciatur in lebetem. Qui ex feruenti vnda sustulerit, ille iustitiam consequi comprobabitur, & pars diuersa conuertatur. Consensit Hæreticus huic diffinitioni. Accenditur ignis, annulus proiicitur. Diaconus quidam, Lacinctus nomine, dexteram in æneum mergit: Annulus erat valde Leuis ac paruulus, quem diu quæsitum intra horæ spatium reperit: Nihil Diaconus sensit in carne sua incendij, sed potius protestatur in imo frigidum esse æneum, & in summitate tepidum: Cernens Hæreticus iniecit audax manum, dicens Præstabit hæc mihi fides mea. Protinus vsque ad ipsa ossium internodia, omnis caro liquefacta defluxit: Sicque finita est controuersia. Idem, De gloria Confessorum §.14. narrat, Quòd Christianus cùm Hæretico pro fide nostra certauit.

Cúmque flecti non posset Hæreticus ad veritatem: Virtutem, ait Catholicus, indiuiduæ Trinitatis miraculis experire. Est digito meo annulus aureus: Ego eum in ignem iacio, tu illum candentem collige. Proiectum inter prunas, ita igniri permisit, vt eis similis cerneretur: Conuersus autem ad Hæreticum ait: Si vera est persecutio tua, sume eum ab igne. Illo resistente, alter ait: Immensa Trinitas Deus, si aliquid te indignum credo ostende. Certè si recta est fides mea, nihil mihi præualebunt hæc incendia. Ablatúmque ab igne annulum diutissimè palma sustinuit, & nihil ei nocuit, sed magis confuso Hæretico, Catholicos in fide roborauit. Hactenus ille. Regnum Dei, ait Apostolus, *non est in sermone, sed in virtute.* Mar. vltimo, *Sermonem Domino confirmante sequentibus signis.*

Sunt enim miracula, σφραγῖδες siue signacula quædam doctrinam sigillantia ac corroborantia. *Non enim Deus, qui facit miracula magna solus*, vt ait Palmographus, testis esse potest mendacij seu falsitatis, sed testis est fidelis veritatis. *Ipse enim est veritas.* Ioan. 14. Cum igitur cœlesti suffragio & calculo, fides Catholica sit approbata, hæresis verò damnata ac improbata: Relinquitur illi adhærendum esse, hanc verò reiiciendam. Nec prætermittam duas longè suauissimas Ecclesiasticas historias hoc loco recensere,

Nicephorus. ac commemorare. Scribit Nicephorus lib. 15. cap. 5. quomodo Decretum fidei in libello describitur, & controuersiæ iudicium atque decisio laudatissimæ virgini & martyri Euphemiæ committitur. Illa fuit ciuis Chalcedonensis, sub Diocletiano pro Christo bestiis obiecta. Cuius corpus marmoreo tumulo apud Chalcedonēsem Ecclesiā conseruatur. Eius sacro corpori veluti syncero indici, Orthodoxi & qui aliter sentiebant fidei suæ arbitrium committentes: vtrique seorsim fidei formulam in libellum relatam, sigillis obfirmatam, ad martyris pedes deposuerunt. Et noctu proxima precationibus consumpta, postridie venerunt, & operculo remoto, Spectaculum nouum rectoque iudicio dignum conspexêre.

Nam Orthodoxorum libellus perquam tenaciter illius martyris manibus continebatur: Alter autem tanquam res vana & nullius pretij, temerè ad pedes illius proiectus iacebat. Hæc ibi. Ex quo patet, Per illustre miraculum fidelissimam Christi martyrem ac veritatis testem omni exceptione maiorem D. Euphemiam, hæretica prauitate reiecta Orthodoxiam approbasse. Idem, libro octauo cap. 23. refert, quòd priusquam Acta Synodi Nicenæ perficerentur, euenit vt duo Episcopi è vita ante discesserint, quàm subscriptionem suam apposuissent. Reliqui ad communem sepulturæ locum venêre, scriptum in manibus habentes, & tanquam ad viuentes & audientes: Bonum certamen, dixerunt, Diui patres, nobiscum decertastis: cursum peregistis: fidem seruastis. Si igitur obtinere debere id censetis quod à nobis est actum, quoniam nunc nullo interposito obstaculo Trinitatis splendore illustrati, clarius id perspicitis, Vos libello subscribite. Qui libellum obsignatum ad tumulum depósuêre, noctemque insomnem egêre.

Postridie ad locum rediere, Signa inuiolata inuenêre, & libello explicato, subscriptiones illorum recentes in hæc verba conceptas: Chrysanthus & Musonius, qui cum patribus omnibus in Sancta Nicæna Synodo consensimus, quamuis corpore translati, Manu tamen propria, nos quoque libello subscripsimus. Hucusque Nicephorus. O Sanctissimam ac verissimam Religionem Catholicam, tot signis & miraculis cœlitùs contestatam! Verissimè à Psalte regio dictum est: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Opera*, ait Christus, *quæ ego facio in nomine patris mei, illa testimonium*

testimonium perhibent de me Hinc Christus Matth.11.disci- *Matt.11.*
pulis Ioannis, An ipse esse Messias, interrogantibus, non tam verbis quàm operibus respondit, dicens: *Caci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, &c.* per hæc miracula se verum esse Christum promissum demonstrans. At quomodo, dicet aliquis, probant diuinitatem Christi? Respondeo.

Quoniam propria virtute Christus, non orando, sed iubendo mortuos suscitabat: Sancti autem orationibus, & inuocatione nominis Iesu miracula faciebant. Irrefragabile omnipotentiæ eius testimonium erant miracula quæ ipse faciebat, & modus quo illa faciebat, imperando scilicet tanquam absolutus Dominus. Vnde habetur in Euangelio: Puella, *adolescens, tibi dico Surge, Lazare veni foras.* Respice, *Volo mundare*, siue mundus esto, *Surge, tolle grabatum tuum & ambula*, & similia pleraque. Sic igitur pro mundi conuersione, & doctrinæ Catholicæ confirmatione ac approbatione miracula facta sunt.

Sed dicet quispiam, Mahometo in Turcia, & Luthero in Germania, sine miraculis creditum est. Respondeo. Facilis descensus Auerni, ait Poëta, Si cymbam in fluuio absque remigio & gubernatore solam relinqueretis, & postea illam 2000. passuum inferiùs inueniretis, nunquid miraremini? Non vtique. Si autem illam 2000. passuum superiùs reperiretis hoc profecto esset admirandum. Nam vt superiora conscendat nauis, necessariò remigiis & gubernatore opus est. Ita carnales homines, carnalia tantum docentibus credere, non est mirum, applicatio est facilis.

Oues meæ vocem meam audiunt &c. Quare pij dicantur oues superiùs tractauimus, Concione de extremo iudicio, ad verba: *Statuet oues à dextris, hœdos autem à sinistris.* Rectè & salubriter admonet Psalmographus, & ex eo Apostolus: *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*, ne sitis similes aspidi surdæ, & obturanti autem suas aures, ne audiat vocem incantantis sapienter. Psalm. 57. In quem locum sic commentatur D. Augustinus *D. Aug.*
tom.8. Aspis dicitur ita aures claudere, vt vnam earum in terram premat, alteram cauda oppilet. Qui incantat vt educat aspidem de tenebrosa cauerna, vtique in lucem vult educere. Illa autem amando tenebras suas quibus se inuoluta occultare dicitur, allidit vnam aurem terræ, &

de cauda obturat alteram, atque ita voces illas quantùm potest euitans, non exit ad incantantem. Stephanus quidem Iudæis prædicabat, sed illi clauserunt aures suas, fecerunt se surdos cum nominaret Iesum. Hactenus Augustinus. Contrà boni, fideles accommodant aures,& pastoris vocem audiunt, non autem nouerunt vocem alienorum. Benè ergo Christus.

Oues meæ, ait, *vocem meam audiant*, Subiungens: *Et vitam æternam do eis, &c.*

Cicero. Refert Cicero Tusculanarum Quæstionum libro primo, post media, Cyrenaicum Hegesiam de animorum immortalitate sic copiosè disputasse, vt is à Rege Ptolomæo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, quòd multi his auditis mortem sibi ipsi consciscerent. Callimachi quidem Epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est: quem ait, cùm nihil ei accessisset aduersi, è muro se in mare abiecisse,lecto Platonis libro. Hæc ibi.Pudeat Christianos, qui hoc de Gentilibus audiunt, illi vnius Philosophi verbis mouebantur, Immortalitatis amore, qui naturæ tantum lumen sequebatur, quod ad immortalitatem, æternamque vitam assequendam satis esse non potest: Quantò ergo magis veritas ipsa nos monere debet, quæ eam nobis pollicetur?

Pater quod mihi dedit, maius omnibus est. Nemo potest eas rapere de manu Patris mei. Ego & pater vnum sumus, &c. Syllogismus quidam est implicitus, qui sic explicabitur. Nemo potest oues rapere de manu patris mei, quia maior fortiórque omnibus est, nihilque aduersus Deum præualere vnquam poterit.*Non est prudentia, non est fortitudo contra Dominum,* inquit Sapiens, *Voluntati eius quis resistit?* ait Apostolus, Sed eadem est filij cum patre omnipotentia, eademque consubstantialitas atque coæqualitas. *Ego enim & pater vnum sumus: & quod dedit mihi pater,*id est,diuina natura per generationem mihi ab æterno à patre communicata,*maius omnibus est,*cæteris omnibus præstat, alia omnia vincit, ac superat. Deus siquidem est, quo maius excogitari non potest, nihilque omnino maius esse potest. Vel vt quidam ex Græcis legunt: Pater qui dedit

Nonius. mihi, maior omnibus est. Nonius Poëta Græcus in Ioannem. *ὅς*, id est, Qui, masculinè legit, non in neutro genere Quod. Qui mihi, inquit, greges dedit, superior est omnibus. Hæc ex eo. Relinquitur ergo, vt nemo etiam

oues

oues rapere valeat de manibus meis. Sic Matth. 16. *Portæ inferorum non poterunt aduersus Ecclesiam Dei praualere.* Sic electos suos Deus defendit, vt Rom. 8. scribit Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condamnet? Christus Iesus qui mortuus est &c. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an fames an gladius? Certus sum quod nulla creatura separabit nos à charitate Dei quæ est in Christo Iesu.* Hactenus Apostolus.

Mat. 16. *Rom. 8.*

Ego & Pater vnum sumus, &c. D. Augustinus tomo 9. in Ioannem hunc exponens locum: Cum diceret, inquit, *Ego & Pater vnum sumus.* Ecce Iudæi intellexerunt, quod non intelligunt Arriani. Senserunt non posse dici: *Ego & pater vnum sumus*, nisi vbi æqualitas est patris & filij. Idem Tract. 36. in cap. 8. Ioannis: In medio nauiga, ait, vtrumque periculosum latus euita. Filius à Patre alius est rectè dicis: Aliud autem non rectè: Succurrit hoc loco, quod aliâs me legisse memini apud Poëtas.

Inter vtrúmque tene medio tutissimus ibis. Et,
Cecidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Vtrumque audi, prosequitur D. Augustinus & Vnum, & Sumus, & à Charybdi, & à Scylla liberaberis. In duobus istis verbis, Quod dixit vnum, liberat te ab Arrio. Quod dixit Sumus, liberat te à Sabellio. Si vnum, Non ergo diuersum. Si sumus, Ergo & pater & filius. Sumus enim non diceret de vno, sed vnum non diceret de diuersis. Hæc D. Augustinus. Per hoc excluditur duplex error scilicet Arrij, qui diuidebat substantiam siue essentiam: & Sabellij, qui confundebat personas. Neque substantiam separantes, ait D. Athanasius in Symbolo fidei Catholicæ. Quòd si quis obiiciat Quod Christus, Ioã. 14. postmodum dixit Apostolis: *Pater maior me est.* Respõdeo: Secundum humanitatem id quidem verum esse, sed secundum diuinitatem, filiũ esse vnum cum Patre. Quod sic dilucidè declarat D. Athanasi⁹ vbi suprà. Christus, inquit, ęqualis est patri secundũ diuinitatẽ, minor autem patre secũdum humanitatem. 70. Interpretes illud Deut. 6. ita Græcè verterũt: κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν κύριος εἷς ἐστι, Hoc est, Dominus Deus noster, Dominus vnus est. Vbi cum insinuat vnitatem, maximè significat Trinitatem. Sed non premendum silentio, quod responsum fuit Thuli. Narratur autẽ in Suida in dictione Thulis, ad hunc modũ: Ille totius Ægypti quondã Rex, quandã insulã de se

D. Athanas. Ioã. 14. *70. Interpretes.* *Suidas.*

Thulem appellauit. Successibus autem elatus oraculum Sarapidis adiit, & re diuina facta quæsiuit dicens: Quis ante meum regnum potuit tãtum? aut quis erit post me? Datúmque est ei huiusmodi responsum.

Πρῶτα θεὸς μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτῷ aliâs, αὐτοῖς. Σύμφυτα δὲ πάντα, καὶ εἰς ἓν ἰόντα. Deinde, Velocibus pedibus vade mortalis, incertam exigens vitam. Qui templum egressus à suis est occisus in Afrorum regione. Viues

Viues. in 2. capit. lib. 10. D. Aug. de Ciuitate Dei. Non possum, inquit, responsum Serapidis præterire qui consulenti Thuli, qui in Ægypto regnauit, bello Troiano, quisnam esset se beatior: fertur dixisse:

Πρῶτα θεὸς μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
Σύμφυτα δὴ τρία, πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα. Hoc est, si latinè conuertas:

Principio Deus est, hinc sermo & spiritus istis
Additur, æquæua hæc sunt & tendentia in vnum.

Siue, Concreta sunt certè omnia hęc tria, & in vnum

Cedrenus. euntia Georgius Cedrenus, in compendio historiarum fol. 16. Thules inquit, Ægyptum tenuit, & omnem terram vsque ad Occeanum occupauit, Inde in Africam reuersus, oraculum consuluit, Quisnam se prior tantùm potestatis habuisset, ac quis post ipsum tantundem habiturus esset? Ita ei responsum perhibetur πρῶτα θεὸς, vt supra. Versus Gręci habentur integri hunc reddentes sensum latinè:

Principio Deus, hinc sermo, atque his spiritus iunctus
Hæc tria cognata, est illis æterna potestas.
Mortalis celeri gressu te hinc protinus aufer,
Incertam degens dubio conamine vitam.

Ferunt hunc vbi primùm æde oraculi egressus est, à suis esse in ipsa Affrica iugulatum. Hactenus Cedrenus. Augustinus Engubinus lib 2. c. 19. de Perenni Philosophia. Sub Christi decessum, inquit. Oraculum Apollinis, de trino numine diuinè pronunçiauit. Rogatus de vera religione, cui maximè genus humanum consecrandum esset? ad hunc modum fertur dixisse:

Μὴ ὄφελες πύματον μὲ καὶ ὕστατον αὐτὸς ἐρέσθαι.
Δύστηνε προπόλων, περὶ θεσπεσίου γενετῆρος
Ἀμφίτε τημυγετοῖο πανομφαίου βασιλῆος
Καὶ πνοῆς, Et quibusdam interpositis subiungit:
ἣ με καὶ οὐκ ἐθέλοντα, δίμον απὸ τ᾿ δὲ διωξεῖ.
Αὐτίκα ἐρημαῖον δὲ λιλαῖ ψιλαι ἄδος ἀφήτωρ.

Engu

Engubinus sic vertit:

Ne me vtinam supremum, infœlixque ipse sacerdos
Sciteris, de sancto ac diuino genitore
Sobole chara, rebus magni induperantis,
Et flatu, qui mundum astrictum continet omnem. Deinde
Heu! Templis me discedere ab istis
Coget, linquetur quo edebam oracula limen. Hæc ille.

Quod si *καλὰ πόδας*, vt loquuntur, & quasi verbum è verbo reddere volueris, & interpretari: hūc habebis sensū Ne vtiam vltimum me & postremum ipse interroges. Infœlix sacrificiorum, de mirifico, diuino parente, genitore, Et de vnico, genito, charo filio, regis omnium voces audientis, vel omnium voce celebrandi atque colendi.

Et Spiritu.

Qui me inuoluntarium domibus ab istis abiget fugabítque statim, quo dicebam oracula linquetur solum, seu limen diuinans ab emittendis oraculis Epithetū est Apollinis. Verùm de Sanctissimę Triadis mysterio erit aliàs opportunior dicendi locus.

Sequitur in textu:

Sustulerunt lapides Iudæi vt iacerent in eum. Quibus dixit. *Multa bona opera ostendi vobis, propter quod horum me lapidatis? Responderunt: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, &c.* Quasi dicat, Benefactorem oportebat honorare non lapidare. Simile dicitur Ierem. 18. *Nunquid redditur pro bono malum?* Blandis vtitur verbis, vt animos corū efferatos emolliret. Placida enim verba ac mitia iracundia concitatum animum mitigare solent, & ad mansuetudinem reducere. Quod nobis ipse Dauid suo prodidit exēplo, cuius districtum mucronem in totius domus Nabal exterminium, ipsa Abigail vxor eius suauiloquentia sua & humanitate, vagina recondidit, & à cruoris effusione immunem reddidit. Quis autem hac iustissima Domini expostulatione non erubescat? Quantò rectiùs Sanctus Martyr Polycarpus: Qui, referente Eusebio ex Versione Ruffini lib. 4. c. 15. Insistente Proconsule, Dic in Christum conuitia, & dimitto te, Respondit: Octoginta & sex annis seruio ei, & nihil me læsit. Quomodo possum maledicere & blasphemare regem meum, qui salutē mihi dedit? Christianus sum. Hæc ille. *De bono opere lapidatur Deus* (si ita loqui liceat) ab ingratis agricolis, & vineæ cultoribus, cū ob frumenti & vini copiam & abundantiam murmurant

Iere. 18.

Euseb.

contra Deum. Sic ingrati in Deum blaſphemant. Mare recipit aquas dulces, & credidit eas amaras: Sic & iſti retribuũt mala pro bonis. ô ingratitudinẽ! De blaſphemia, aiũt, ſiue ob blaſphemiam lapidamus te. Nam *Leuit. 24.* ſcriptũ eſt: Qui blaſphemauerit nomen domini morte moriatur. Lapidibus opprimet eum omnis multitudo. Cumque quidam blaſphemaſſet nomen Domini, filius nempe mulieris Iſraëlitidis de Tribu Dan, donec cognoſcerent quid iuberet Dominus, miſſus eſt in carcerem. Et reſpondit Dominus: Educ Blaſphemum extra caſtra & lapidet eum populus vniuerſus. Contra Chore & complices. *Num. 6.* Cum deſcenderint in infernum viuentes, ſcietis quòd blaſphemauerint Dominum 4. *Reg. 19.* Propter blaſphemiam Rabſacis, quem miſit Rex Aſſyriorum Sennacherib. ideò cẽtum octoginta quinque millia in caſtris Aſſyriorum vna nocte ab Angelo percuſſore cæſa ſunt. & Sennacherib rex Aſſyriorum adorans in templo Idolum ſuum à filiis gladio percuſſus eſt. De quo Sennacherib externa etiam non tacuit hiſtoria. Siquidem Herodotus libr. 2. oſtendit vim murium agreſtium, arcus & ſcuta corroſiſſe in ipſius exercitu. Iſte rex inquit, in templo Vulcani lapideus ſtat manu murem tenens, atque hæc per literas dicens: In me quis intuens pius eſto. Græcè ita ſcribitur: ἐς ἐμὶ τῆς ὁρῶν εὐσεβὴς ἔστω. Gallicè ſic: *Aprenez à me veoir, à craindre Dieu.* Hęc de punitione Sanacheribi in prophano etiam authore. *Daniel. 3.* A me Nabuchodonoſore poſitum eſt hoc decretũ, vt lingua quæcunque locuta fuerit blaſphemiam, contra Deum verum diſpereat, & domus eius vaſtetur. 1. *Timot. 1.* Alexander & Himeneus blaſphemi quos tradidi Sathanæ, vt diſcant non blaſphemare. Imperator Iuſtinianus in Authenticis, collatione ſexta Conſtitutione ſeptuageſima ſeptima vt non blaſphemetur in Deum. Qui Deum blaſphemant, inquit, digni ſunt ſupplicia ſuſtinere. Propter talia enim & fames, & terræ motus, & peſtilentiæ fiunt, Præcipimus autem tales vltimis ſubdere ſuppliciis. D. Ludouicus Francorum Rex, canterio ſeu ferro candenti blaſphemos plecti edixit, lingua talium perforata. Eo prætextu Naboth in libro Regum & D. Stephanus in Actis lapidibus obruuntur hoc nomine Chriſtus etiam morti adiudicatur: Blaſphemauit exclamauerunt Iudæi. *Reus eſt mortis.* D. Gregorius grauiſſimus author & veridicus libro 4. Dialogorum cap. 18. etiam ſua ætate refert contigiſſe, vt puer

Leu. 24. *Nu. 16.* *Iuſtinianus.* *D. Greg.*

quin

quinquennis blasphemare assuetus in ætatula illa, iusto Dei iudicio à Diabolo correptus, & ad tartarum delatus pessimè periret. Quòd terrificũ exemplũ non satis recordor si aliàs enarrauerim, & huc transcripserim. Sed ô tempora! ô mores! Remanent modò impunitæ blasphemiæ, nec magistratus curat pœna publica hoc læsæ diuinæ maiestatis crimen coërcere ac punire: attamen Deus non sinet inultum. Nec enim insontem habebit eum qui sanctum & venerandum nomen eius contumelia affecerit, & blasphemauerit. Grauiter aggrauauit exaggerauítq; peccatum Dauidis Nathan, eò quòd fecisset, inquiens, inimicos blasphemare nomen Domini. 2. *Reg.* 12.

De blasphemia. Cum ipsi blasphemi essent, conabantur Christo blasphemiæ crimen notamque incurre, vt scilicet plerique cum se affines sentiunt alicui culpæ vel crimini, illud statim alteri inurunt & improperant, antequàm de eo reprehendantur. Sic vetus extat prouerbium: *Meretrix pudicam* (sub.) arguit vel reprehendit. De quo aliàs me disseruisse memini.

Multa bona opera ostendi vobis, &c. Antequam illi dicerent, quòd eum de blasphemia lapidabant, probat his verbis suam innocentiam: Nemo qui blasphemus sic, suam doctrinam poterit confirmare miraculis & operibus diuinis: Ego autem, ait Dominus, meam tot miraculis cõprobaui: Multa enim opera ostendit vobis de patre meo cœlesti: Sequitur ergo me blasphemum non esse. Verùm incapaces erant efficacissimi huius argumenti.

Ego dixi Dij estis Quem Pater sanctificauit & misit in mũdum, quomodo vos dicitis quia blasphemas, eo quòd dixi filius Dei sum, &c. Ex eo enim Ergo & pater vnum sumus, istud consequitur, Filius Dei sum, quod probè intellexerunt Iudæi, cùm ei obiiciunt, quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum, hoc est, ingeris te pro Deo, & vsurpas tibi diuinitatem. Cùm nemo propriè possit se Deum facere. Sed in hoc perperam dicunt quòd vsurpet diuinitatem. Nam Phil. 2. *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Sciendum quòd hoc nomen Deus, trifariam accipitur. Semel pro natura diuina, Sic dicitur singulariter solùm. Nam Deut. 6. Deus vnus est, nec sunt plures Dij. Iterum dicitur Nuncupatiuè: Sic Idola sola nominè non etiam re dicuntur Dij. Psal. 95. *Omnes Dei gentiũ Dæmonia*

Philip. 2. *Deut.* 6. *Psal.* 95.

Sic homo pictus dicitur homo equiuocè à consilio, vt loquuntur in scholis, id est sola nuncupatione & similitudinariè. Tertiò Deus dicitur participatione aliqua diuinitatis seu excellentioris virtutis diuinitus infusæ. Sic iudices

Exo. 21. dicuntur Dij. *Exo.21. Offeret dominus seruum Diis*, id est, iudicibus. 22. Applicabitur ad Deos, id est, ad iudices. Iterũ

Psal. 81. Diis non detrahes, id est, prælatis. Sic Psal.81. *Ego dixi, Dij estis*, id est, participantes aliquam virtutem diuinam supra humanã. Scriptura vbi supra magistratus Deos nominat, Quia à Deo est potestas, & minister Dei est, Rom.13.

D. Aug. *Pater sanctificauit*, id est, D. Augustino interprete huius loci, Sanctum eum genuit Pater.

Quia dixi filius Dei sum, &c. Quasi dicat: Multò magis possum hoc dicere qui sum vnitus verbo in persona, quàm illi ad quos sermo Dei factus est. Si sermo Dei factus est ad homines vt dicerentur Dij ipsum verbum Dei quod apud Deũ est, quomodo non est Deus? Si ergo vos Deos facit ipse sermo Dei, Quomodo non est Deus verbum æternum

Ioan.1. patris? *Et Deus erat verbum Ioan.1.* Est enim vera hæc apud

Aristot. Aristotelem in organo Logico regula. Propter quod vnũquodque est, & illud magis est. Sic autem expone. Ad quos sermo Dei factus est, id est, ob authoritatem diuinam illis communicatam: Quibus commissa est potestas. Hebraïca phrasi, Verbum Domini factum esse ad aliquem, significat aliquod ei mandatum negotium à Domino, inquit in Cõcordia Leusenius. Si propter sermonem Dei dicti sunt homines Dij participatiuè, Ergo non per participationem, sed per naturam est Deus Verbum Dei ὁ λόγος.

Si non facio opera patris mei, &c. Quasi dicat: Nemo nisi solus Deus opera diuina potest ex semetipso & propria virtute facere: At ego propria virtute facio quæ verè diuina opera sunt. Ergo Deus sim oportet, Neque blasphemus dici debeo, quod dixerim: *Ego & pater vnũ sumus*, & filius Dei sum. *Si mihi non vultis credere operibus credite, &c.* Superest vt nos spiritualiter Encænia quasi Renoualia tẽpli celebremus, monente Apostolo *Renouamini Spiritu mentis vestræ. Recedant vetera, noua sint omnia:* Exuentes veterem hominem & induentes nouum. Expurgemus vetus fermẽtum, & simus noua conspersio ad illum diuinum ignem accedere ne pigritemur. Calescemus plus satis. Accedere est Credere. Non mouetur anima pedibus, sed affectibus,

D. Aug. ait hoc loco. D. Augustinus.



FERIA QVINTA POST DOMINICAM IN PASSIONE.

De Magdalenæ Pœnitentia. Lucæ 7.

Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo, & ingressus domum Pharisæi discubuit: Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.



VNDE conuenientius sumam dicendorum exordium, quàm ex D. Gregorij præsenti Homilia ita dicentis? Cogitāti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet quàm aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus, illæ huius peccatricis lachrymæ, ad exemplum pœnitendi non emolliant? Si enim, vt refert κατ' ἐξοχὴν ὁ θεολόγος, D. Gregorius Nazianzenus in opusculis suis, libello de Virtute, Polemon à Xenocrate ab impudicis moribus ad meliorem vitæ frugem conuersus, (vt aliàs etiam recensuimus) in exemplum propositus est virtutis & pœnitentiæ, quid de ista pœnitente olim peccatrice iudicare conuenit? Dicit igitur præfatus auctor de Polemone: Istud ex miraculis. D.Greg. D.Greg. Nazianzenus.

Eius vnum non grauabor præscribere.
Scortum vocarat quispiam iuuenculus
Parum pudicis moribus. Vt ergo atrium
Domus meretrix contigit, videns statim
Polemona pictum prominentem (namque erat
Grauitate summa plenus, ac reuerentia)
Abscessit, isto victáque est spectaculo,
Timens perinde pictum, vt luce præditum.

Hęc ibi ille Theologus. Quanto magis nos accendat ad temperātiam, & modestiam, extorqueatque lacrymas nobis velut in tabella depicta propositaque huius peccatricis publica in conuiuio in Pharisæi ædibus pœnitentia? Hæc enim de seipsa loquitur.

Non

Non desperetis vos qui peccare soletis
Exemplóque meo vos reparate Deo.

Surrius. Narrat Surrius to.2. ex Paulo Diacono, de Maria Ægyptiaca, quòd 17. annis vixerat prostituta Alexandriæ, sed postea vitam emendauit, & trans Iordanem profecta in heremo 48. annis strictissimam rigidámque egit pœnitētiam adeò vt toto illo tēporis decursu, nullum prorsus conspexerit hominem, Zozima viro sancto excepto. Quid Sanctā Pelagiam referam? De qua idem to.5. ex Iacobo Diacono Eliopoleos, scribit ad hunc modū: Antiochiæ erat illa meretrix compta & plena margaritis, ideò à ciuibus Margarita, à parentibus autem vocabatur Pelagia. Transibat illa quondam cum incredibili pompa, in cuius vestibus nihil cernebatur nisi aurum, repleuítque aërē odoribus: pedissequis & famulitio stipata. Quā Nomius Sanctissimus Episcopus, in concessu Episcoporum prædicans, inuerecundè transeuntem defleuit largiter, dicens astantibus: Quot putatis horas expendit hæc mulier, dum se lauat & componit ad ornandum se, ne quid in ea pulchritudinis desiderari possit vt placeat omnium oculis, Et nos propter Deum nihil studemus ornandis miseris animabus nostris, & lauandis culpis! Atque cum idem prædicaret de futuro, iudicio & bonis sempiternis, populus plorabat: Tuncque ad Ecclesiam venit hæc meretrix iam catechuma, cùm nunquam ei vlla cura fuisset peccatorum, nec vnquam ad templum accessisset, subitò compuncta est, ita vt lachrymaretur largiter, & Sancti viri pedes lachrymis rigaret: Atque ab eodem baptizata, facultates suas pauperibus distribuendas ei attulit: profectáque in Hierusalem in monte Oliueti cellulam sibi construxit, vbi & in Dei seruitio, in habitu monachali diem clausit extremum. Refert consimiliter Cassiodorus Historiæ Tripartitæ lib.8.c.1. Quòd Paulus ab heremo Athanasio Episcopo precante descēdit in Alexādriam. Cúmque vidisset ibi theatralem mulierem fleuit, & à præsentibus rogatus, Quare fleret? Duæ me res mouerunt, inquit, vna quæ est illius perditio. Altera, quòd ego non tantum studeo placere Deo, quantum hæc vt turpibus placere possit hominibus. Si peccatricis huius asperam consideremus in Eremo vitam 30. annorum spatio in rupe quadam post Christi ascensum actam. Iuxta Massiliam in loco *la Baume* vulgò dicto, quid non perpetiamur, vt eius exemplo ad vitam perueniamus æternam? Qua de re Petrarca

Cassiod.

tom.2.

to. 2. Epistolarum rerum Senilium lib.14. Epistola vltima Philippo Sabinensi Episcopo Cardinali scripta: versiculos quosdam, quos olim in spelunca illa deuotissima dictauit, vt ait ipse, ponit, Sic exorsus:

Dulcis amica Dei lachrymis inflectere nostris. Deinde:
Bis tria lustra sibi nunquam mortalis egentem
Rupe sub hac aluit.
Hic inclusa libens longis vestita capillis
Veste carens alia ter denos passa Decembres.

Diceris. Hæc ille.

Quemadmodum autem, vt scribit Herodotus, Historiæ pater, lib. 1. sub finem: Babylonij ægrotos efferebant in forum (Non enim medicis vtuntur) vt de eorum languore consulant, qui eos adeunt: si quis eundem passus est morbum aut alium vidit patientem, illi hortantur ad ea, quæ ipsi faciendo effugerunt similem morbum, aut alium nouerint effugisse? Sic huius ægrotantis à Christo curatæ pœnitentis, à Luca medico ad viuum describitur historia, vt eius consilio ac exemplo, medelam nostrorum consequamur spiritualium morborũ. Quæ autem sit mulier Ecclesiæ iudicio decernitur: Nempe Maria Magdalene, in cuius festo præsens legitur in missæ sacrificio Euãgelium. De illius autem cognomine, sic D. Hieronymus to. 1. Epistolarum, ad Principiam Marcellæ viduæ Epitaphiũ describẽs, Mariam, inquit, propriè Magdalenam, ob sedulitatem & ardorem fidei, turritæ nomen accepit, & prima ante Apostolos Christum videre meruit resurgentem. Hæc ibi. Psal. 61. Hebraicè habetur. מגדל id est, Turris fortitudinis. Idẽ tom. 1. ad Furiam, de viduitate seruanda: Meretrix illa in Euangelio, baptizata lachrymis suis, & crine, quo multos ante deceperat, pedes Domini tergens, saluata est. Audis Sanctum virum meretricem vocare Magdalenam, ob lubricam dissolutamque vitam. Sic D. Augustinus to. 10. ser. 4. ad fratres in Eremo. Serpens, inquit, pellem veterem per singulos annos depositurus, angustum foramen inquirit, per quod transiens, pellem derelinquit. In hoc foramine Maria illa meretrix in domo Symonis, meretricis habitum deposuit, & plorans ad pedes Saluatoris, vestem sibi innouauit. Hæc ibi. Quo nomine eam etiam appellat D. Chrysostomus, to. 2. Homil. in Matth. 49. Veniat tibi in mentẽ, ait, meretricis illius (scilicet historia) quæ à mensa ita mãsuetum Christum reddidit, vt Symonẽ increparet dicens:

Herodotus. *D. Hier.* *Chrysost.*

Osculum

Osculum non dedisti mihi. Luc. 7. *Idem Homil. 68.* ad verba illa Matt. 21. *Publicani & meretrices* (Quales scilicet fuerunt Matthæus & Magdalena, in Euangelio) *præcedent vos in regnum cœlorum,* id insinuat dicens : Non audistis quomodo illa meretrix, quæ omnes impudicitia superauit, vniuersos rursus continentia & virtute post se reliquit? Non dico illam, de qua in Euangelio scribitur, sed hanc quæ nostra memoria ex Phœnice omnium ciuium iniquissima fuit. Hæc enim pueris nobis apud nos erat. Hæc multorum patrimonia exhausit, &c. Et subitò voluntate commutata, & Dei gratia hoc modo impetrata, omnia illa spreuit & calcauit, ita Diaboli officina proiecta, facilè ad cœlum ascendit: & quamuis nihil erat ea petulantius dum in scena versaretur, postea tamen continētiæ magnitudine multas antecelluit. Cilicium enim induta per totam reliquam vitam hoc se pacto exercebat. Huius gratia, & præfectus à scenicis perturbatus armatos milites misit, qui non potuerunt, eam rapere, nec à numero virginum, quæ ipsam receperūt, abducere. Hæc cùm ineffabili sacramento communicasset, & condignè suscepta gratia dixisset vniuersis per gratiam maculis detersis naturæ demum concessit. Mirabilem enim Philosophiam post baptismum ostendit, nec vnquam amantibus antea, eámque sequentibus, ac diligenter quærentibus visa est : sed posteaquam semel seipsam inclusit, multos annos quasi vincta in carceribus peregit : Hæc D. Chrysostomus de famosa quondam illa theatrali & scenica muliere, quæ maleficis quoque artibus vti dicebatur, quasi nō eleganti corporis forma solùm, verùm etiam magicis cantibus & herbis retia tenderet: Quæ Reginæ quoque fratrem attraxit, ait ibidem Chrysostomus. Sed, ex Psalmographo, *Hæc est mutatio dexteræ excelsi.* Sic ista meretrix quondam, nunc autem sanctissima pœnitens, vt de ea canit Ecclesia, *Post fluxa carnis scandala, Ex lebete fit phiala. Verte impios, ait Sapiens, & non erunt,* supple *amplius impij:* sed ad meliora conuersi. Prouerb. 12. Cuperet aliquis fortassis scire: An fuerit aliquando matrimonio iuncta hæc mulier? In Commentariis ad D. Marcum c. 15. D. Hieronymo attributis, ad verba illa: *Erant mulieres de longè aspicientes* ita legitur: Sicut nō excluditur muliebris sexus à salute per Mariam virginem : ita non repellitur à mysterio crucis scientiæ & resurrectionis per viduam Mariam Magdalenam, & cęteras matres, Hęc ibi. Videtur ergo sentire ille quicūque sit anti

D. Hier.

sit antiquus scriptor, Beatam Magdalenam viro fuisse in matrimonium copulatam. Ex recẽtioribus, Dominus Soarez in Lucã, c. 7. disertis de ea profitetur verbis hoc pacto. Hæc, (prout legi in quodã libro typis excuso, in vrbe Betlehem, in peregrinatione mea, inquit ille) nupserat cuidam nobili viro, cũ esset ipsa nobilis, Soror Lazari, facto diuortio contulit se Capharnaũ, in qua ciuitate licentius, quàm suæ nobilitatis honestas exigebat, viuebat: Vnde peccatricis nomen additum est. Post conuersionem suam, venit cũ Domino Bethaniam, & à fratre & sorore benignissimè suscepta, Domino famulabatur, & quocumque eum sequebatur, de suis facultatibus ille ministrans. Hæc ille. Cui subscribit Dominus Iansenius Gandauensis Episcopus, in Cõcordia Euangelica Luc. 7. Adijciens & ista: Putatur Magdalena quòd non publica fuerit meretrix, sed primùm tradita viro in Castello Magdalo, in prouincia Galileæ, quod in hæreditatis sortem ei obtigerat. Cum viro autem aliquandiu vixit, voluptatibus postea seducta, marito aut derelicto aut mortuo, fœdo & alieno amore capta est, nõ publicè quidem se prostituens, sed illicitis dedita fuit amplexibus. Hæc ibi. Omitto quòd filiarum pœnitentium ordo seu Institutum, instar huius peccatricis pœnitentis originem habuit in Ecclesia, Potestque dici horum mulierum conuersarum ordo non incongruè Beatæ Magdalenæ, siue de pœnitentia sodalitium siue Ordo. Nunc ad textum. *Iansen.*

Rogabat Iesum quidam Pharisæus, nomine Simon, vt manducaret cum illo, &c.

Christus apud Pharisæos diuertebat quidem rogatus: Apud publicanos autem seipsum inuitabat. Luc. 19. *Zachee festinans descende, &c.* Cùm Pharisæis manducauit, vt miraculis & verbis eorum superbiam retunderet, ac hypocrisim argueret: Cum publicanis verò & peccatoribus, vt ad pœnitentiam eos induceret.

Ecce mulier, &c. Quasi dicat: Mira mulieris pœnitentia, cõtritio, deuotio, satisfactio: Mira ex aduerso Pharisęi durities: Mira denique Christi bonitas, & pietas apparuit. Quæ tria hoc demonstrandi aduerbio Ecce insinuantur.

In ciuitate peccatrix, &c. Quæ apud omnes diffamata erat, omnium fabula, digito ab vniuersis ostensa tanquam famosa. Quia D. Petro Chrysologo, sermo. 93. scribente, famam suam fama totius tetigerat ciuitatis: sicque iam non peccatrix solùm, sed ipsius ciuitatis facta fuerat ipsa peccatum.

peccatum. Hæc cognouit quia nisi ab eo solo ciuitatis peccatum posset auferri, qui solus mundi venerat abolere peccatum. Exaggerat Euangelista mulieris facinus, vt accumulet indulgentiam largitoris. Hucusque Chrysologus. Si in pago aliquo vitam degeret vbi rarò fiunt conciones, tolerabile videretur: licet non sit sufficiens excusatio, sed in ciuitate vbi tam multæ habentur, vbi tot sunt templa, tot sacerdotes, tot religiosi homines, id quidem longè detestabilius apparet. Peccatricem nominat, non tamen exprimit genus peccati, quasi ipsa omni vitio laboraret. Apud Marcum Dominus de ista eiecisse. 7. Dæmonia dicitur, cap. vltimo. Quo loquendi modo vniuersitas designatur 7. mortalium peccatorum D. Gregorio Magno interprete. Mos est Scripturæ, eos qui omnibus peccatis scatent, peccatores appellare. At qui fornicationis culpa sunt infames, Fornicatores, qui homicidij, Homicidas vocare. Hæc autem omni genere vitij infecta erat. Vel, Peccatrix ideò nominatur, quia dissolutè viueret. Sic, Aula Pharaonis ab Apostolo, *Heb. 11.* vocatur Peccatum temporale, propter morum corruptionem ac dissolutionem. Nō quod affirmare velim ob peccatricis nomēclaturam, Magdalenam Lupanar habitasse, & tanquam publicam meretricem, & meritorium prostibulum, turpem prostituti corporis quæstum fecisse acquisisse: sed quia domum suam fecisset scholam vanitatis, dissolutionis, lubricitatis ac intemperantiæ. Quales olim fuerant Iezabel fornicaria, Herodias incestuosa, in vtroque Testamento. Notat Plutarchus to. 3. Vitarum, in Ciceronis vita, Clodiam, inquiens, duxerat vxorem Metellus Celer, quàm Quadrantulam appellabant, quòd quidam amatorum eius pro argenteis, minuta æra in loculos eius immisisset. Minutissimū æreum nummum, Quadrantem vocabant. Huius nomine sororis fuit infamatus potissimum Clodius. Hæc ibi. Eadem ratione dixisse videtur Plautus Pœnulo.

D. Greg. Papa. *Plutarchus.* *Plautus.*

Seruulorum sordidulorum scorta diabolaria. Quasi duobus obolis, vili nummorum pretio se prostituentia. Diabolares Meretrices dicuntur, quæ duobus obolis ducuntur, ait Pompeius Festus. Tales viles meretrices Quadrantariæ & Diabolares meritò nuncupantur. De quibus nihil vltra nunc adijciam. *Peccatrix, &c.* Non exprimit nomen, quia, vt ait Martialis lib. 10. ad Numatium Gallum.

Martialis Poëta.

Hunc seruare modum nostri didicère libelli.

Parcere

Parcere personis, dicere de vitiis.

Magdalena tamen(vt dictum est)creditur. Nam Magdalena Magnifica etiam exponitur, quia vt Iacobus de Voragine de vitis Sanctorum, in eiusdem vita scribit, Post conuersionem ipsa Magnifica fuit per gratiæ superabundantiam. Cùm autem diuitiis abundaret, qui rerum affluentiam voluptas omnes sequitur: Quantò diuitiis & pulchritudine splenduit: tantò corpus suum voluptati substrauit. Vnde iam proprio nomine Peccatrix consueuerat appellari. Sed cùm Christus in Pharisæi domo recumberet, vnguento pretioso illum perunxit, ad eiusdem pedes pœnitentiam agens. Nam incolæ regionis illius propter vehementissimum Solis ardorem, vnguentis & balneis vtebantur. Et quia à summa delectatione carnali eam Christus remouerat, ideò ipsam summa delectatione spirituali, quæ est in Dei amore, præ cæteris eam impleuit. Quòd & de Beato Ioanne Euangelista quidam fatentur: quòd ideò dulcedine suæ familiaritatis, eum præ cæteris decorauit, quia à prædicta delectatione eum abstraxerit: Cùm nubere volentem, à nuptiis vocauit. Virgo itaque vocatus à Domino, virgo in æuum permansit. Cui Dominus matrem virginem virgini commendauit, vt de illo Sancta mater canit Ecclesia. Hæc ibidem. *Iacobus de Voragine.*

Vt cognouit &c. Hactenus Euangelista huius mulieris peccata narrauit: Ecce iam incipit eius conuersionem admirabilem atque virtutes nobis exponere. Et quemadmodum pictores, cùm insignem aliquam imaginem depingere parant, prius quidem carbone eam deformant, ac verò postmodum viuos superaddentes colores, eandem maxima venustate spectabilem omnibus proponunt: Ita Beatus Euangelista, nedum arte, Pauli testimonio medicus: verum etiam Historiæ Ecclesiastici fideli, narratione, pictor egregius, hactenus veluti carbone quodam depinxerat delineaueràtque peccatricem. Nunc verò incipit iam eius virtutes & cõuersionem describere, & effigiare ad viuum. *Vt cognouit*, inquit, *venit*, Nescit tarda molimina Spiritussancti gratia, ait D. Ambrosius, immortali nomine dignus, *D. Amb.* secundum nomen eius. Age bona mulier, cur Christum in domum tuam non ducis? Vt Matthæus & Zachæus qui peccatores erant, & tamen in domibus suis Christum exceperunt, veniámque & peccatorum indulgentiam obtinuerunt? An ignoras quia hic peccatores recipit, & man-

ducat cùm illis? Scio, inquit, ista: Sed tam abominanda sum peccatrix, vt eius sub tectum meum non merear ingressum. *Quæ enim communicatio lucis ad tenebras?* Mihi certè sufficit, si tanquam caniculæ concedatur esse ad pedes eius, sub mensa, idque in domo aliena.

Vt cognouit &c. Ecclesiastici 5. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, Subitò enim veniet ira illius. Non cras quòd hodie poteris, ait Vetus Prouerbium.
Ouidius. Et Poëta.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Nempe cras, vox corui, nunquam ad arcam Noë redeuntis, sed cadaueribus inhiantis: frustratio quædam est.
Persius. Vnde Persius Satyrographus, Satyr. 5.

Cras hoc fiet, idem cras fiet. Quid? Quasi magnum,
Nempe diem donas, sed cum Lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus: Ecce aliud cras
Egeret hos annos, & semper paulùm erit vltra.

Quasi dicat, Illud cras nunquam aduenit. Quoddam
Robert⁹. Titius. non absimile refert Robertus Titius Burgensis, Locorum lib. 2. cap. 24. Prouerbij faciem præ se gerit, inquit, Varroniana illa ἐπίγραφον. Cras credo, hodie nihil. Arbitror tunc eo adagio vti licere, cùm fidem alicui nos minimè habere significamus, (Gallicè diceremus, *Ne vouloir faire credit à quelqu'vn.*) Puta si institor non nisi præsenti pecunia merces distrahere velit, rectè vsurpabit, Cras Credo, hodiè nihil. Nostrates Cauponæ pro foribus tabernæ, vel in pariete pictum, vel in tabula suspensa notatum habere solent patrio sermone huiusmodi carmen. *Hoggi non fo credenza, domani si.* Hoc est, Ex Italico in Gallicum si vertas, *Ie ne fay point auiourd'huy de credit, mais bien demain.* Illud autem cras nunquam aduenit, vt sic hospites eludant, & ambiguo illo sermone prudentiores interim admoneant, ipsis non nisi dinumerato pretio apud se diuertendi copiam fore. Hæc ille. Sic elusio quædam est, Cras ieiunabo, Cras conuertar ad Dominum. Vnde contingit talibus, quòd Prouerb. 3. Scribitur. *Ipse deludet illusores.* Et iterum: *Abominatio Domini est omnis illusor.* Nota ad propositum, alte-
Suidas Græcus. rum istud adagium à Suida relatum ἐχῖνος τὸν τόκον ἀναβάλλει. Hoc est Erinaceus partum differt, de iis dictum quibus mora incommodat. Erinaceus enim quo diutius partum differt, eò magis à spinis fœtus sui pungitur in enixu. Hæc ibi. Noluit ergo procrastinare, vel diutius differre

hæc

hæc peccatrix: *Sed vt cognouit quòd Iesus accubuit, illico venit &c.*

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.

Ait Lucanus, lib. 1. De bello ciuili. Cur ceſſas aggredi, quòd ſcias mederi tibi? ait Tertullianus ſub finem Libelli, De pœnitentia. Mutæ quidem animæ & irrationales medicinas ſibi diuinitus attributas in tempore agnoſcunt. Ceruus ſagitta transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, ſcit ſibi Dictamno medendum. Hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illos oculare rurſus de ſua Chelidonia. Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exhomologeſim ſciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna reſtituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, ſeptenni ſqualore exhomologeſim operatus, vnguium Leoninum in modum efferatione, & capilli incuria horrorem aquilinum præferente. Proh, malæ tractationis! Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat. Hactenus Tertullianus. Ex quibus contra Sacramentarios negantes confeſſionem Sacramentalem conſtare iure diuino, probatur verè & propriè à Domino fuiſſe inſtitutam, ſicque in iure diuino eſſe fundatam. Quoad exempla iſta Ceruorum, & hyrundinum Patet ex Plinio lib. 8. cap. 27. ſic ſcribente: Dictamnum herbam extrahendis ſagittis Cerui monſtrauêre, percuſſi telo, paſtúque eius herbæ eiecto. Deinde, Chelidoniam viſui ſaluberrimam hirundines monſtrauere, vexatis pullorum oculis illa medentes. Idem libro 25. cap. 8. De Chelidonia: Hæc, inquit, hirundines oculis pullorum in nido reſtituunt viſum, vt quidam volunt, etiam erutis oculis. Hæc Plinius. Id autem verbo, Oculare (cuius oppoſitum eſt exoculare tritius verbum) ſignificauit Tertullianus. De Dictamno etiam Virgilius Æneidos duodecim, ſcribit hoc modo: De vulnere Æneæ.

Tertullianus. *Plinius.* *Virgilius.*

Dictamnum genitrix Crætæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo: Non illa feris incognita capris
Gramina, cùm tergo volucres hæſere ſagittæ.

Vt ergo cognouit, ſuam ſcilicet miſeriam, & peccati grauitatem, vt etiam ſibi ſalubrem cognouit paratam in Chriſto, menſæ accumbente, medelam, & peccatorum alleuiationem, imò plenam perfectámque abſolutionem, & remiſſionem, abſque vlla dilatione cucurrit ad medicum:

Ægra currit ad medicum, Vas ferens aromaticum, canit de eadem Ecclesia. Agnoscens etiam quoniam momentaneum est quòd delectat, sed æternum quòd cruciat, & quia voluptas breuis, pœna verò perpetua. Et, (quòd ex Euripide citat Volaterranus libro 32. de Modestia,) βραχεῖα τέρψις ἡδονῆς εἰς ἀεὶ τίκτει λύπην. Hoc est breuis voluptatis delectatio, tristitiam paret sempiternam. Agnoscens seipsam, iuxta illud aureis, scriptum literis in Apollinis æde memorabile oraculorum. γνῶθι σεαυτόν. Ex sacræ paginæ deprompturn penu, nimirum Cant. 1. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, Egredere & abi post vestigia gregum tuorum.* Quasi dicat, per tui ipsius ignorationem similis bestiis efficeris, secundum quòd Psalmographus cecinit: *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis,* de quibus Ioël. 1. *Computruerunt iumẽta in stercore suo,* de iis scilicet hominibus, qui in fœtore luxuriæ vitam finiunt.

Volaterranus ex Euripide.

Attulit alabastrum vnguenti. Exod. 23. iusserat Dominus: *Non apparebis in conspectu meo vacuus:* Ideò hæc compareret non vacua, sed sicut Regina Sabba, pretiosissima secum detulit aromata. Vt in lib. 3. Regum amplissimè narratur: *Et ecce plusquam Salomon hic. Matth. 12. Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis, Lampadibúsque non vacuis occurrerunt sponso, patuitque illis aditus.* Matth. 25. Sic ista cùm alabastro aromatibus referto ac pleno venit ad Christum. *Stans retro &c.* Reus animus post tergum stat ad veniam, quia per culpam nouit se vultus fiduciam perdidisse, ait Chrysologus Serm. 93. Sic 2. *Reg.* 14. Reuocato Absalone in Hierusalem, Dixit Dauid Rex pater eius, illi nondum plenè reconciliatus: *Reuertatur in domum suam, & faciem meam nõ videat. Reuersus est itaque Absalon in domum suam, & faciem Regis non vidit duobus annis. Et publicanus ex peccatorum suorum conscientia, à longè stans, non audebat oculos ad cœlum leuare. Luca decimo octauo.*

Secus pedes Domini &c. Ad pedes tendit semper citam veniam qui requirit, ait idem Chrysologus. Hæc igitur veniam consecutura, nedum pedem vnum, sed vtrumque amplectitur Christi, quia cùm Regio vate psallebat: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Pedes isti sunt Misericordia & iudicium, quorum alterum sine altero amplecti (ait Petrus Damianus quodam sermone de eadem Diua) vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda.

Petrus Damianus.

Fallitur

Fallitur qui sic osculatur misericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat: Vtrumque igitur iungat pedem, animæ pœnitentis affectus, & nunc misericordiam complectens, nunc iudicium osculans, contribulati spiritus offerat holocaustum, Vide Mariam iudicij pedem fortiter attendentem; dum nobilis & lasciua mulier conuiuantium faciem non attendit, sed extenso corpore prouoluitur pedibus maiestatis, doloribus plena, compunctionis iaculo vulnerata.

Sed & misericordiæ pedem osculatur, in cuius spe firmiter inhæret vestigiis accumbentis, donec audiat, *Remittunter tibi peccata tua.* Hæc ille. Sicut Ruth.cap.3.ad pedes Booz gratiam inuenit: Sic & ista semper veluti pedibus Christi affixa legitur. Hîc; & Luc.10. *Sedens secus pedes Domini audiebat verbum eius.* Et Ioan. 11. *Accessit ad Iesum, & cecidit ad pedes eius.* Rursus cùm instante hora passionis effudit vnguentum super Christum. Et Ioan.20. Et Matth. vlt. indicatur accessisse ad pedes Domini, Sed dixit Christus: *Noli me tangere, &c.* Deut. 33. *Qui appropinquant pedibus eius recipient de doctrina illius.* Ad pedes Domini sanctificaris Maria, Ad hos pedes euangelizaris, Ad hos pedes tibi annunciatur pax: *Vade in pace Luc.7.* Ad hos pedes bona cœlestia tibi conferuntur, Quàm pulchri pedes Euangelizantium pacem!

Ruth.c. 3.

Deu. 33.

Lachrymis cœpit rigare, & capillis tergebat &c. Vt iuxta Psalmistam, Verticem capilli ex quo ambulauerat in delictis suis, in sanctitatem tali verteret seruitute, ait Petrus Chrysologus. Serm. 93. Cæterùm mirum est, quòd in conuiuio, in festo lætitiæ, inter epulas, tantas fuderit lachrymas. Sicut enim, vt ait Sapiens Ecclesiastici 22. Musica in luctu, importuna narratio: Sic luctus non decet conuiuia, sed hilaritas quædam ac vrbanitas. Plorauit quidem Petrus, *Sed egressus foras fleuit amare:* Hæc autem inter epulas flere non erubuit, Vnde hoc? Nisi quia mens conscia temperare à lachrymis non valet? & ad hunc ignem, Christum videlicet applicata, velut cera liquefit, & tanquam glacies ante ignem resoluitur in lachrymarum imbrem. Adde quòd Christus in die palmarum in tanta illa pôpa & apparatu, lachrymat⁹ est atque defleuit aliena vitia & peccata. *Fleuit Ezechias fletu magno*, dicit Sacra Historia. Defleat quoque peccator, se gratiam Dei per peccatum perdidisse. Si Michas ille Iudicum 18.cap. tantopere deflebat,

Chrysologus.

quòd sibi erepta fuissent Idola & falsi Dij sui: quantò nos verius flere debemus, qui Christum propter scelera nostra amisimus? Dicebat ille, Deos meos quos ego feci mihi tulistis, & quæritis, Quid ploras? Quanto magis nos dicere debemus: Deum qui me fecit culpa mea amisi, Quomodo non plorabo? Si ille pro Deo suo vano, tantùm plorabat, quia Deum suum perdiderat, quantò magis debet quis de peccatis dolere, cùm videat se horum demerito, Deum verum ac viuum se amisisse? *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meũ rigabo, Psal. 6. Et 118. Exitus aquarum deduxerunt ocũli mei, quia non custodierunt legem tuam.* Tantæ fuerunt huius peccatricis lachrymæ, vt
Thenor. 1. illud Threnorum 1. illi competat: *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus est à me consolator conuertens animam meam.* O me desolatam! tota die mœrore confectam. cap. 2. *Defecerunt præ lachrymis oculi mei. Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem: non Des requiem tibi: neque taceat pupilla oculi tui.* Ibidem. *Magna est velut mare contritio tua.* Amaritudo, qua illa lachrymatur, similis erat amaritudini maris. Rom. 6. *Sicut ex-*
Rom. 6. *hibuistis corpora vestra seruire iniquitati: ita vicissim seruire iustitiæ,* A serpentibus quidem icti fuerant Hebræi, & ad aspectum serpentis sanabantur. Philistæi aureos mures appendentes in arca, à murium plaga etiam sanati sunt. Hebræi iterum Deum offenderunt dantes ad idolum conflãdum ornamenta sua aurea & argentea: Dominum quoque vicissim placarunt ornamentis aureis & argenteis, pro eius tabernaculo offerentes ea. Theriaca conficitur ex viperæ carnibus, & aduersus venena præsentissimum est remedium, & alexipharmacum. Qui à scorpionibus icti sunt, ab iisdem remedia accipiunt: Sic & ista famosa peccatrix, quæ mortis fuerant instrumenta, in vitæ medicamentum traduxit. Hæc ornatum suum mundumque muliebrem, quo abusa fuerat, in cultum Dei conferens, medicinam quasi de veneno confecit. Quæ sibi turpiter vnguentum pro odore suæ carnis exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens, in lachrymas laxabat. Capillos ad compositionem vultus ornauerat, sed iam lachrymas capillis abstergebat. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot

de se

de se inuenit holocausta. Hæc D. Gregorius Magnus. Euthymius quoque Græcus auctor, Ab his, ait, vnde priùs suum venabatur perditionem, ab eisdem nunc venata est salutem. Lachrymis enim amatoriis, & capillis curiosiùs concinnatis, ac vnguento lasciuos iuuenes dementabat. Quæ verò primùm fuerunt instrumenta peccati, ea nunc fecit instumenta virtutis. Hæc ille. D. Greg. Papa. Euthimius.

Vnguento vngebat, &c. Primum & vnguentum contritionis, de peccatorum quantitate ac grauitate: Secundum est vnguentum deuotionis, de beneficiorum recordatione: Est & tertium pietatis vnguentum, in Eleemosynarum largitione. Pedes igitur vngimus Saluatoris, cùm de peccatis compungimur. Tum verò vngimus caput, cum de ipsis virtutibus collatis virtutũ largitores gratias cumulamus. Totum deniq; vngimus corpus, cùm propter Christum ipsius membris benefacimus. Matth. 25. *Quod vni ex minimis fecistis, mihi fecistis*, ait ipse. Sic charitatis oleo vngere Christum in membris suis debemus.

Et osculabatur pedes eius. Lachrymæ satisfactionis sunt documentum vt D. scribit Chrysologus Serm. 93. Oscula sunt reconciliationis indicia. Hinc Luc. 15. Pater osculatus est filium ad se reuersum ac pœnitentem. Cantic. 1. Luc. 15. Exoptat sponsa: *Osculetur me osculo oris sui* Nota quòd offenderat Deum 4. modis, quibus solent impudicæ mulieres, Oculis, capillis, osculis, atque vnguentis. Oppositis autem modis voluit illa satisfacere. Dicebat verò in corde suo: Tu Domine, per Dauidem Psalm. 86. dixisti: *Memor ero* Psal. 86. *Raab*, Meretricis scilicet, ad miserendum eius, *Ergo ne in furore tuo arguas me*, sed propitius esto mihi peccatrici. Tu Domine per Ieremiam capit. 3. dixisti: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, sed reuertere & ego suscipiã te.* Suscipe me ad te confugientem, huic erranti ouiculæ, tu qui verè es pastor bonus, fer opem: *Errauĩ sicut ouis quæ periit, quære famulam tuam*, & à lupis rapacibus protege me ac defende. Tu quidem variis me dotibus exornaueras, ingenium dederas splendidum, memoriam promptam atque tenacem, integros sensus, vegeta membra, diuitias non mediocres, ætatem floridam, prosperam corporis valetudinem: Ego tamen his tantis beneficiis abusa sum, & vnde te amandi ansam arripere debeam, inde potius contra te factorem meum ac benefactorem arma sumpsi, ingratitudinis rea imprimis, ac omni supplicio extremo di-

digna. Verum enimuerò, *Tu pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis*, qui dixisti: *Reuertere ad me*, Recipè me peccatricem, secũdum magnam misericordiam tuam. *Sana animam meam, quia peccaui tibi*, sicque tandem merear in tuorum numerum aggregari. Psalm. 118. *Iuraui & statui custodire iudicia institiæ tuæ, &c.*

Psal. 118.

Nunc tanquam per necessariam digressionem de nimio fœminarum cultu, superbo ornatu ac aliis excessibus occurrit locus vt dicamus, qua fieri poterit maxima breuitate. D. Gregorius Nazianzenus aduersus mulieres ambitiosius sese ornantes: Ferũt, ait insolentem pauonem cùm curuato collo pennísque gemmantibus circulum effici:, fœminas clangore suo ad venerem inuitare. Eodem modo admodum mirabor, si tu aliam ob causam formam pingas, quàm vt nitidorum & salacium virorum oculos ad te conuertas. Plura ibidem aduersus nimium cultum mulierum. Iterum Isa. 3. fusissimè contra muliebrem excessum & pompam dicitur. Et 1. Timoth. 2. *Mulieres cum sobrietate ornantes se, non in tortis criminibus aut veste pretiosa.* 1. Petr. 3. *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri.* D. Augustinus tom. 10. serm. 247. de tempore. De adulterino habitu virorum ac mulierum sic inquit: Habitus impudicus corporis, nuntius est, adulterini cordis. Impudicus autem habitus corporis sui in viris, superflua & inordinata capillatura, vestimentorúmque muliebrium affectata similitudo, calceamẽtorum quoque metas necessitatis excedens simulata longitudo. In mulieribus facies fucata, virilium vestimentorum imitatio, capillorum natiui coloris adulteratio: hic habitus in vtroque sexu adulterinus est. Qui enim quantitatem vel formam, quam Omnipotens & prudentissimus plasmator finxit, in aliã transfigurare contendit nonne euidenter dicere ei videtur, qui se finxit: Cur me fecisti sic? Nec ista dicimus à nobis tanquam ex nobis. Paulus scribit Corinth. 1. cap. 11. *Vir si comam nutriat, ignominia est illi.* Cum enim vir ex Dei ordinatione primatum habeat supra mulierem, qui contra honorem sui sexus superfluitate capillorum caput velat, primatum suum sibi abiudicat, vt meritò de eo dicatur: *Homo cum in honore esset non intellexit.* Iudicio enim legum iure ab obtenta dignitate deiicitur, qui priuilegio sibi concesso abutitur. Audiamus & Beatum Cyprianum in Epistola quam scribit, De habitu virginum: Opus Dei & plasma eius nullo modo adulte

D. Greg. Nazianzen.

D. Aug. tomo. 10. ser. 247.

Cyprianus epist. de habitu virgi.

adulterari debet in habitu, flauo colore, vel nigro, vel quolibet denique lineamenta natiua corrumpere medicamine. Hęc ibi. Et magister Cypriani Tertullianus (sic enim ille eum vocabat, dicens: Adfer magistrum) Tertullianus, inquam, libro de Virginibus velandis circa finem: Cuidã, inquit, sorori nostræ Angelus in somnis, ceruices quasi applauderet verberans: Elegantes, ait, ceruices, & meritò nudæ. Bonum est vsque ad lumbos à capite veleris, ne & tibi ista ceruicum libertas non prosit, Et vtique quod vni dixeris omnibus dixeris. Hęc ibi. D. Hier. to. 1. ad Lætam, De institutione filiæ: Caue ne aures eius perfores, ne cerussa & purpurisso, consecrata Christo ora depingas: ne collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris. Prætexta nobilissima quondam fœmina, iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochij virginis fuit, habitum eius cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propositũ & matris desiderium Et ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum, terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tune ausa viri imperium præferre Christo? Tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus? quæ iam nũc arescent, vt sentias ex cruciatu quid feceris, & finito mense, quinto ad inferna ducêris. Sin autem perseueraueris in scelere, & marito similiter orbaberis & filiis. Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam, velox signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui. Idem tomo primo ad Furiam de Viduitate seruãda: Quid, inquit, faciat in facie Christianæ fœminæ purpurissus & cerussa? Quorum alterum ruborem genarum labiorumque mentitur, alterum candorem oris & colli. Quomodo flere potest pro peccatis suis, quæ lachrymis cutem nudat, & sulcos ducit in facie? Ornatus iste non Domini est: Velamen istud Antichristi est. Qua fiducia erigit ad cœlum vultus, quos conditor non agnoscit? Hæc ille. Refert conformiter Theodoretus in Historia religiosa sanctorum Patrum, Vita nona de Petro Eremita Gallo occidentali, Mater Theodoreti, cum esset 23. annorum, & nondum liberos habuisset, laborans immedicabili morbo in altero oculorum: veniens ad eum vt curaretur, haberétque tunc in aures, torques, & vestem variam ex sericis filis contextam, vt adolescentula, tunc nimium

Tertul.

Hieron. tom. 1. ad Latã de instit. fil.

Hieron. tom. 1. ad fur.

Theodoretus.

nimium illum ornatum ſic ipſe curauit: Si quis pictor in arte benè exercitatus, aliquam pinxiſſet imaginem, & eam propoſuiſſet videre volentibus: Veniret autem alius arté neſciens, & temerè vellet contra pingere, deinde illam artificioſam reprehendens, picturam, ſuperciliis lineas adderet longiores, faciem efficiens albiorem, genis rubrum adderet colorē: Num tibi videtur prior ille pictor iure ſuccenſurus, quòd & ars eius probro eſſet, & eorum quibus opus nō erat additamentū à manu indocta accepiſſet? Ergo noſtrę naturæ effectorem & pictorem iure iraſci credite, quod illam infinitam ſapientiam accuſetis inſcitię. Nō enim rubrum, albū, & nigrum colorem vobis infunderetis, ſi non exiſtimaretis vobis opus eſſe hac additione, his corpus indigere arbitrantes, imbecillitatis dānatis creatorem. Nolite ergo Dei corrumpere imaginem, neque hāc adulterinam excogitare pulchritudinem. Audiens hęc ſtatim Petri reti fuit implicata, & obſecrauit vt curaret oculum & manus imponēs ſigno crucis, ipſius ſanauit oculum. Illa autem domum reuerſa, omnem extrinſecus abiecit ornatum, variam veſtem, & aurea ornamenta etiam iuuenis exiſtens. Hactenus progreſſa eſt Hiſtoria. Vtinam pompaticas veſtes ac diſſolutas nunc deponerent mulieres curioſiùs comptæ. Propterea namque Deus offenditur, proximus ſcandalizatur, pauper defraudatur, tempus quod eſt pretioſiſſimum cuiuſque iactura irrecuperabilis eſt, in vanum teritur ac deperditur, patrimonium exhauritur. Et quid mali non committitur? Ideo in libro octauo. Reuelationum S. Brigittæ, cap. 57. Mater Dei loquitur dicens: Mulieres deponant veſtes oſtentationis, quas propter ſuperbiam & vanam gloriam aſſumpſerunt. Quia Diabolus dictauit mulieribus contemnentibus mores patriæ ſuæ antiquos, & laudabiles, quandam nouam abuſionem & ornamenta indecentia in capitibus & pedibus & reliquis membris, ad prouocandum luxuriam, & irritandum Deum. Hæc ibi. Sophoniæ primo. *Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina*, ait Dominus Prouerb. 7. *Occurrit mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas.* Fornicaria Iezabel, vt ſacra 4. Regum teſtatur Hiſtoria, oculos pinxit ſtibio. Vt autem ad externas nos etiam conuertamus hiſtorias, Scribit Seneca libro ſeptimo De beneficiis capit. 9. Non ſatis muliebris inſania viros ſubiecerat, niſi bina ac terna patrimonia auri

Reuelat. S. Brigittæ. *Sophoniæ 1.* *Prou. 7.* *4. Reg.* *Seneca.*

auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit. Quibus sumptis mulier parum liquidò nudam se non esse iurabit: vt matronæ nostræ ne adulteris quidem, plus sui in cubiculo, quàm in publico ostendant. Hactenus ille. Et Liuius libro quarto Historiæ Romanæ: Posthumia, inquit, virgo vestalis de incestu causam dixit, crimine innoxia: ob suspicionem propter cultum amœniorem ingeniumque liberius quàm virginem decet, parùm abhorrens famam, ampliatam, deinde absolutam pro collegij sententia Pontifex Maximus abstinere iocis, colique sanctè potiusquàm scitè iussit. Terẽtius consequenter Poëta Comicus in Heautontimoroumenõ. Act. 2. sc. 1. Nosti, ait, mores mulierum, dum moliuntur, dum comuntur annus est. Quod Rob. Titius libro secundo, locorum conuersorum capite secundo dicit, positum ad insectandum fœminarum vitium, in pulchritudine cõparanda: Existimatque Poëtam illic Sybaritarum morem respexisse, apud quos legem fuisse produnt anno priore mulieres inuitandi, si quas ad conuiuium aut publicum aliquod sacrificium interesse vellent. Concedebant enim ipsis illud spatium, quo se comere atque ornare per otium possent.

T. Liuius *Terent. Poëta Comic.* *Rob. Titius.*

Meminit autem huius legis Plutarchus in Conuiuio septem Sapientum. Neque non Athenæus Dipnosophistarum libro 12. cap. 6. his verbis: In delitias soluti Sybaritæ legem sanxerunt, vt mulieres ad festa vocarentur, atque eas, quæ vocarentur ad sacrificia opportebat per annum priorem apparatum comparare, quò dignum tempore vestium, aliúsque mundi muliebris faciẽtes in conuentus adducerẽtur. Hęc ibi. Et Plutarchus tomo primo Opusculorum, in Sept. Sapiẽtum Conuiuio circa principia: Sybaritæ, inquit, feruntur toto ante anno mulieres inuitare soliti, vt eis liceret per otium vestibus auroque ornatis ad cœnam venire. Hæc ille. Athenæus loco supra citato: Ex Phylarcho, lib. Histor. 25. legẽ apud Syracusios fuisse scribit, qua cautum erat, ne mulieres auro ornarentur, neque floridas vestes gestarent, ac neque purpureos habentes contextus, nisi si qua se publicam amicam esse fateretur: Atque aliam fuisse legem, ne quis vir se auro ornaret, superuacaneisque vestibus vteretur differentibus, nisi se mœchum esse fateretur aut cinædum. Hæc ibi. Ille nimius

Plutarc. et Athenæus. *Plutarc. to. 1. Opuscul.* *Athenæ.*

cultus

cultus impudicitiam potiùs arguit, quàm iudicium sit cõtinentiæ atque modestiæ. Contra fucum & suppositiitium adulterinumque istum ornatum etiam cum stomacho stylum, Poëta Ouidius libro secundo de Arte Amandi strinxit. sic de abusu mulierum verba faciens.

Fœmina caniciem germanis inficit herbis
Et melior vero quæritur arte color.
Fœmina procedit densissima crinibus emptis
Próque suis alios efficit ære suos.

Vulgato nomine *Ratepennades* vocantur, quasi dicas vespertilionis instar, capillaturam ementita. Gall. *En forme de chauue-souris fauces perruques.*

Fucum quarundam meretriculatum non sine spectatorum risu, detexit Phryne, & ipsa meretrix, valde eleganti specie insignis, & sine vllo fuco, vt narrat lib. sexto Apophtegmatum Erasmus hoc pacto: Phryne ætate florens, in conuiuio cui plures aderant fœminæ, cum iuxta morem ioci conuiualis, quod vnusquispiam faceret, idem omnes facere cogerentur: prior manum bis aquæ immersam admouit fronti. Quoniam autem omnes erant fucatæ, aqua per lituram fucorum defluens, rugarum specie, vultus omnium deformabat: Cum ipsa interim Phryne, quæ naturali forma pollebat, speciosior etiam appareret, diluta facie. Verùm de huiusmodi excessibus satis sit dictum: Si tamen vnquam satis aduersus insolentiam muliebrem dici possit: ad sequentia pergamus, si priùs præmonuerimus tales, vt quæ secutæ sunt errantem, imitentur quoque pœnitentem Magdalenam. Ex pulchritudine & artificiis quibus illam adaugebat, ex iuuentute, ac nimia libertate, processit eius perditio. Nam fœmina decora, diues, iuuenis, ac sui iuris, liberáque quid non faceret? *In ciuitate facta est peccatrix,* & extra ciuitatem iuit ad agendam pœnitentiam, vt esset sancta in solitudinem se contulit. Sic relinquant vanitates pomposæ mulieres, & agant pœnitentiam. Isaiæ 30. *Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri.* Ideò opportunè de præteritis satisfacere vos oportet. Aut hîc pœnitendum aut æternaliter ardendum. Obseruate quòd gloriosa illa Paulo Diuo Hieronymo Respondisse memoratur. Vt idem tomo primo Epistolarum in eiusdem Epitaphio scribit: Cùm à nobis, inquit, crebriùs moneretur, vt parceret oculis, & eos seruaret Euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies quam contra Dei præceptum purpurisso

Erasmus

D. Hier. to. 1. Epistolarũ.

risso & cerussa & stibio sæpè depinxi: Affligendum corpus, quod multis vacauit delitiis: Longus risus perpeti compensandus est fletu: Mollia linteanima & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda: Quæ viro & sæculo placui, nunc Christo placere desidero. Hactenus Sancta illa fœmina.

Hic si esset Propheta, sciret vtique qua & qualis est, &c. Quia peccatrix.

Quasi verò sol stercora contingens, inde inquinetur, & Medicus vlcera tangens, à putredine polluatur. An mulier in profluuio sanguinis constituta, tangens Domini fimbriam, illam idcirco polluerit: quin potius ipsa mox inquinamento vetustæ caruit passionis: vt sermone 94. D. ait Chrysologus. *Chrysologus sermone 94*

Hic si esset Propheta &c. Satis apertè stultitiam suam ostendit: quia benè poterat Christus esse Propheta, & illam non cognoscere. Deus enim solus est, qui omnia cognoscit homines autem licet Prophetæ sint, multa ignorant. Samuël quidem ignorabat quisnam ex filiis Isai esset electus in regem. Nathan consulens Dauidi, vt ædificaret tēplum, nesciebat quòd voluntas Dei esset, vt Salomon Rex pacificus, filius eius excitaret illud, non autem ipse qui multum sanguinem bella gerendo fuderat Eliseus dixit Giezi: *Dimitte illam: Anima enim illius in amaritudine est, & Dominus celauit à me & non indicauit mihi.* Hic quidē Pharisæus similis est alteri, de quo Luc. 18. qui cæteros præ se vno despiciebat, omnésque superbè contemnebat, ac præsertim in publicanum debacchabatur: Ita etiam iste in mulierem inuehebatur. Non aduertens, eam esse medici naturam, vt infirmos ad se venientes benignissimè ac misericorditer excipiat. Dicit se etiam pro peccatoribus venisse, atque vt iuxta nomen suum. *saluum faceret quod perierat.* Medicus enim infirmis necessarius est. Scribitur 4. Reg. 4. *Cùm venisset ad Eliseam Sunamitis apprehendit pedes eius, & accessit Giezi vt amoueret eam, & ait homo Dei: Dimitte illam. Anima enim eius in amaritudine est.* Sic instar Giezi, iste Pharisæus, hanc Domini pedibus prouolutam, si ausus fuisset, remouisset. Quàm tamen Christus cordis cognitor, qui cor contritum nunquam despicit, Psalm. 50. defendit. Vt in sequentibus patebit. *Dimitte illam*, nullam ei inferas molestiam, *vt quid molesti estis mulieri huic? Bonum opus operata est.*

Luc. 18. *4. Reg. 4* *Psal. 50.*

Quia

Quia peccatrix est, *&c.* Quasi verò iste mundus esset à peccato, cum tamen ex Dominica consequente parabola, multorum denariorum debitor esse conuincatur, hoc est, multis obnoxius coram Deo peccatis. Eleganter Satyrographus Satyr. 2.

Iuuenalis Poëta.

Plutarc.

Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus. Quadrat illud ex Plutarcho tomo secundo Opusculorũ, libro secundo Symposiacῶν, capite primo. Leo Byzantius cum ei Pasiades lippitudinem obiecit, Non animaduertis, inquit, filium tuũ esse gibbosum? Retorsit in obtrectatorem, quod temerariè proposuerat. Temerarium profert etiam iudicium Pharisæus, contra quod habetur ex vitis patrum in Speculo exemplorum, Distinctione secunda, §. centesimo trigesimo quarto. Ad quendam solitarium venit presbyter cuiusdam Basilicæ, vt consecraret ei oblationem ad communicandum. Quidam apud solitarium accusauit eũdem presbyterum, qui cum iterum venisset, vt consecraret ei oblationem, scandalizatus est solitarius & non aperuit ei. Quo viso presbyter discessit. Vox autem facta est ad solitarium, dicens: Tulerunt sibi homines iudicium meum: factus ille in excessu mentis, videbat puteum aureum, & situlam auream, funem aureum, & aquam valde bonam. Videbat autem leprosum quendam haurientem & refundentem in vas: Cupiebatque bibere & non audebat, quia leprosus erat ille qui hauriebat. Et ecce vox ad eum dicens: Cur non bibis ex aqua hac? Quam causam habet qui implet? Implet solummodo & fundit in vas. Considerãs autem Solitarius virtutem visionis, vocauit presbyterum, & fecit eum sicut prius sanctificans sibi oblationem. Quæ appositissima est responsio & satisfactio ad quorũdam obloquentem quæstionem. Quomodo se permittit Christus in sacramento augustissimo manibus improborum attrectari sacerdotum? *Si esset verè Propheta*, si verum, vt aiunt, esset corpus Christi, non tangeretur à peccatoribus. Quasi lepra animæ, id est, improbitas personæ ac ministri, deroget ac minuat efficaciam & virtutem sacramenti, quasi præiudicet improbus sacerdos efficacitati Sacramentorum quæ ex opere operato, vt loquuntur Theologorum scholæ, conferunt gratiam. Ministerij tantùm locum gradúmque tenet homo, sed Christus est qui baptizat, Christus qui consecrat, qui per medios sacerdotes, vt loquuntur Doctores Græci sacrificat & sacrificatur, *δι' ὧν μέσων ὁ χριστὸς*

Specul. Exemplorum.

χρίστος ἱερέργει καὶ ἱερουργεῖται, vt cùm de Sacramenti institutione agetur, fusiùs σὺν θεῷ, tractabimus. Nota ratiocinationem Pharisaicam: Nullus Propheta permittit se ab ea tangi, quam peccatricem cognoscit, hic autem permittit, Non est igitur Propheta. Supercilium Pharisæorum describitur Isaiæ 65. De aliis dicunt, *Immundus es noli me tangere, &c.* *Scholia græca.* *Isaia 65.*

Symon habeo tibi, &c. Tibi, vt D. Chrysologus Sermone 94. amplificat. Cui opus est medicina, & nescis quærere medicinam. Tibi, qui perfidiæ morbo saucius, superbiæ flamma febriens, per phrenesim te nescis insanum. Tibi, qui Deum magistrum vocas, & Dei deseris disciplinam. Hæc ibi. *Chrysologus ser. 94.*

Symon habeo tibi aliquid dicere: Duo debitores erant cuidam fœneratori, Non habentibus, &c.

Secreta cordis docet se agnoscere, cùm Pharisæi murmur intra se obloquentis palam facit, *quia scrutans corda & renes Deus est*, vt ait Regius vates.

Magister dic: Vbi Chrysologus Sermone 94. Magister dic, & non, Deus dic. Iam iam Deum senties quem vocas Magistrum. *Duo debitores sunt*, Maria & Pharisæus. Debitor quidem 50. denariorum Pharisæũ adumbrat, non quasi parum peccasset, sed quòd ipse parum peccasse arbitraretur. Maria verò debebat 500. denarios. Debita autem peccata sunt. In Oratione Dominica Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra*, quod alius Euangelista Luc. 11. de peccatis disertè exposuit, Fœnerator cui obstricti, deuincti atque obligati obnoxiique sumus, Deus est, qui cùm neuter debitorum sit soluendo, donat vtrisque, Nimirum tempus ad pœnitentiam Rom. 2. *Pretium ad redemptionẽ, Gratis venundati estis, & absque argento redimemini*, ait per Prophetam Dominus, Gratiam ad exercendos pœnitentiæ fructus, Et denique ad merendã vitam æternam, cõsequendámque gloriam. Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*, & Psaltes, *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Quis ergo plus eum diligere tenetur? Mos est familiaris ipsius Christi, ab aduersariis exquirere sententiam: vt Mat. 22. *Cuius est imago hæc, & superscriptio?* Iterũ Matt. 21. *Quid faciet dominus vineæ colonis & agricolis?* Responderunt: *Malos malè perdet, & vineam suã locabit aliis agricolis* Iterũ Christus percõtatus est quãdoque à Pharisæis. *Baptismus Ioannis è cœlo erat, an ex hominibus?* Et rursus, *Christus cuius filius est: Dicunt ei: Dauid: Quomodo ergo* *Chrysologus ser. 94.*

Dauid

Dauid eũ vocat in spiritu Dominũ suum? Hoc ideò facit, vt ex suis eos cõprehendat ligẽtq; respõsis. Nã iuxta prouerbiũ.

Cornu bos capitur, voce ligatur homo.

Nos sic Gallicè efferimus: *On prend les bestes par les cornes, & les hommes par leurs paroles.*

Æstimo quòd ille cui plus donauit, &c. Rectè. Iustum est enim vt ille plus diligat, cui plus donatur. Et vt qui plus diligit, plus ametur. Hanc quoque Dominus diligebat, à qua se multùm diligi sciebat. *Ideò dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ad omnia beneficia obstupescentes, dicamus illud Psal. 115. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Quid pro creationis beneficio rependere? quid pro diuinæ prouidentiæ subsidio retribuere possumus? Cum propter hominem omnia alia fecerit? dicente diuino Vate, Psal. 8. *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues, &c.* Quod & Aristoteles his verbis agnoscit. Et nos, inquit, sumus quodammodo finis omnium. Siquidem omnia in seruitium, famulatum, & hominis obsequium, à Christo condita sunt. Quid de redemptionis beneficio dicemus? Quid item de spiritualibus bonis? Cùm imagine sua animæ nostræ insculpta, nos honestauerit, Angelorum custodia muniuerit, & ex impiis pios effecerit, sanguine suo nos redemerit, & nos ad cœlestia regna vocauerit? Quid igitur retribuam Domino, pro immensis his, infinitisque beneficiis? Noli igitur, ô anima mea obliuisci omnes retributiones eius. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum, &c.* Psal. 102.

Psal. 8.

Psal. 102

Non habentibus debitoribus vnde redderent, Donauit vtrisque, ait Christus. Nemo enim ex suis viribus, seclusa Dei benignitate, soluere Deo potest. Nemo potest ex se satisfacere pro peccatis, nisi illi gratia Dei suppeditet vires, & præsidium. *Non enim sumus sufficientes ex nobis, quasi ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est* Et iterum. *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit* & alibi: *Dei enim donum est, Non ex operibus ne quis glorietur.* Hæc D. Paulus egregius gratiæ Christi prædicator. Sunt qui aliter Parabolam interpretentur. Vnus ex modernis concionatoribus idiomate Italico, quandam de Magdalenæ conuersione, inter cæteras edidit concionem.

Paulus.

concionem. Is vocatur F. Hieronymus de pistorio Capuccinus, parte prima, prædica. vigesima secunda, vbi versus concionis illius extrema sic scribit: Vertam latinè, vt omnes intelligant: Remittuntur ei peccata multa, sed longè plura Pharisæo, quoniam, id est, quare, dilexit multum vbi Pharisæus ne minimum quidem amoris signum exhibuit. Cui autem minus dimittitur, minus diligit, hoc est, minus tenetur amare. Hęc tamen mulier cui minora remissa sunt peccata, dilexit amplius. Vnde bene sequitur quod Christus illi dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*, tibi inquam, non autem Pharisæo sua. Scito, ô Pharisæe, ait Dominus Christus, quod ego sum ille creditor seu fœnerator: Tu autem ille es qui maius contraxisti debitum, peccatáque tua longè vincunt & superant mulieris istius peccata, Quippe qui vir es, illa autem fœmina, tu doctus & legis peritus, illa simplex, rudis, ac ignara: Tu religiosus, ac religiosorum Pharisæorum, atque Doctorum collega, & socius: Illa in sæculo in peccatorum societate, & vt dicit Euangelista, *Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix*. Tu debuisti nosse Prophetas, qui de me testantur, tu debuisti magister esse & doctor ignorantis populi Israël. Hæc autem hac in parte, tua debuit esse discipula, Peccata tua sunt: Ambitio, superbia, cupiditas, spoliare domos viduarum, illásque non rarò, sicut inueterati iudices Susannæ, Daniël. 13. violare & corrumpere. Cúmque sint in te omnia peccatorum genera, hæc pauper & misera peccatrix Magdalena in carne seu peccatis carnis magis peccauit, ex sexus scilicet fragilitate, & carnis infirmitate. Cúmque tu, pastoris instar, huic tuæ ouiculæ compati debuisses, vt Deus quoque tui misereretur: tu contra illam abominaris, ab illa abhorres, ex maxima tua crudelitate atque impietate. Ego interim veni vt vtrique parcerem, & vt D. Chrysologus, Sermone 94. scribit, vt cælestis medicus vno medicamine, duos curarem infirmos, illuc primùm curam vertens, vbi ignota sæuiebat infirmitas. Hæc ille. Et tibi primùm pacem obtuli, qui magis ea indigebas, cùm grauius ægrotares: non sum tamen te dedignatus, sed ad prandium tecum in tuis ædibus sumendum libens accessi: Tu verò murmurare occepisti. Ideo dico tibi: *Vides hanc mulierem*: Quam dicis me non agnoscere? *Intraui in domum tuam pedibus meis*, adeo in te quærendo defessis, fatigatisque, aquam non dedisti pro refrigerio, hæc autem lachrymis illos rigauit. *Intraui in*

F. Hiero. de pistorio.

Daniël. 13.

D. Chrysologus.

domum tuam, vt tecum facerem pacem, quamuis essem læsus, & à te offensus iniuriáque affectus, non tamen eam suscepisti, neque osculum mihi, in familiaritatis ac beneuolentiæ signum, dedisti, haudquaquam faciem meam tuo dignatus osculo. Hæc autem indignam se arbitrata quæ me in facie deoscularetur, non cessauit à suo ingressu osculari pedes meos, &c. Hactenus ille. Obserua quòd accusantibus Christum Scribis & Pharisæis coram Pilato, nihil respondit, adeò vt *ipse miraretur vehementer*. Nunc verò ille qui famam & honorem suum videtur non curasse tuendum, contra importunissimos calumniatores peccatricis mulieris eius iniuriam non sustinet, sed potiùs patrocinio suscepto, conuiciatoris argumenta diluit. Quare in hoc confidamus fortissimo propugnaculo, *Si enim Deus*
Rom. 8. *pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. & Sanctus Iob: *Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Iterum Psalmographus. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis* dicebat Moy-
Exo. 14. ses Exod. 14. Vultis vt Deus vos defendat, causámque vestram sicut suam suscipiat? Tacete, ne vos defendatis. Deus causam Iacob suscipiens, admonebat fratrem eius Esau, itemque socerum ipsius Laban, ne quid ipsi incommodi inferrent. Tacuit Susanna, & Deus pro ea respondit. Itémque Moyses ab Aaron & Maria lacessitus nihil pro se respondebat, & tamen Deus eius partes egit, Mariáque sororem eius acriter puniuit. Iob etiam amicis suis, ipsi detrahentibus, nihil contumeliosum & indignum respondebat: atque ita Deus defensionem eius curámque suscepit. Sic Magdalenam Christus non semel defendit atque excusauit. Nunc apud Pharisæum, qui dicebat eam immundam: Rursus apud sororem, quæ dicebat eam otiosam: Tertiò apud Iudam murmuratorem, qui dicebat eam prodigam. Nullam neque mulierem neque virum reperio, in cuius vnius fauorem Apologetico vsus fuerit Christus, nisi in Magdalenæ defensionem. Matthæus quidem defensus fuit à Christo, sed simul alij etiam publicani & peccatores defenduntur: Discipuli quoque contra obtrectatores ab eodem defensi sunt, sed non sunt in hoc conferendi cum Maria, pro qua adeò accuratè & sigillatim omnibus actibus eiusdem curiosè enumeratis, Christus Pharisæo respondit, & aliis in eam oblatrantibus, vt verum sit illud in ea, *Deus est qui iustificat, quis est qui condamnet?*

Videt

Vides hanc mulierem? Quasi dicat: Tu in facie, Ego in corde video. Non talis est, qualem arbitraris. Eius amor non est mihi occultus, nec incognitus. Quantum autem inter aquam communem & lachrymas, tantum inter tuum & eius amorem interest. Sicque Christus eum ingratitudinis, ac inurbanitatis, siue inciuilitatis arguit. De lauandis hospitum pedibus, extant testimonia Genes. 18. 1. Timot. 5. Si sanctorum pedes lauit. Christiani seinuicem osculabantur, Act. 20. Rom. vltimo, *In osculo sancto.* Nota quòd omnia per circunstantias singulas enumerantur, *Oleo non vnxisti, Osculum non exhibuisti, Aquam pedibus, &c.* Hæc autem excellentissimè quidem omnia præstitit. Sic in iudicio Matt. 25. *Esuriui, Sitiui, hospes eram, nudus, infirmus, & subuenistis mihi, Fidelis Deus,* ait Apostolus, *qui non obliuiscetur laboris vestri* Sic in libro, vitæ Patrum, memorabili quadam historia ostenditur, quòd nullus passus hominis fidelis depereat: Sed omnia pro Deo voluntariè suscepta, cumulatissimè à Deo compensabuntur. Refertur etiam in Speculo Exemplorum, Distinctione 2. §. 115. Senex quidam sedebat in Heremo, qui longè habebat aquam à cella sua, per 12. miliaria, vbi dum semel iret haurire aquam defecit, & dixit: Quid necesse vt hunc laborem patiar? Veniam & habitabo circa aquam hanc. Et cùm hoc dixisset conuersus est, & vidit quendam sequentem se, & numerantem vestigia sua. Interrogauit autem eum dicens: Quis es tu? Et dixit: Angelus Domini sum, & missus sum numerare vestigia tua, & dare tibi mercedem. Quod cùm audisset senex, forti animo factus est promptior, & adhuc longiùs posuit cellam suam ab illa aqua, per quinque miliaria. Hæc ibi.

Gen. 18. *1. Tim. 5.* *Vitæ Patrum, & speculũ Exemplorum.*

Hæc autem lachrymis non cessauit rigare pedes meos, &c. Scribit Plutarchus tom. 1. Opusculorum, initio Apophtegmatum, Quod Artaxerxes Persarum rex, quum sibi iter facienti operarius quidam & plebeius homo, vtráque manu haustam è profluente aquam (quia nihil habebat aliud) obtulisset, hilariter accepit, munus studio dantis metiens. Quod nullo negotio applicari potest ad Christum Monarcham & Magdalenam lachrymas suas eidem offerentem. *Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Psal. 113. Sicut de maxilla asini educta est grandi miraculo aqua, vt inde fortissimus biberet Sampson: Sic de lapideo peccatricis huius pectore emollito, lachrymarum effluxit copia, & aquæ largissimæ. Lachrymis non verbis

Plutarchus. *Psal. 113*

hæc causam suam apud iustum iudicem & misericordem patrem egit. Apud diuinas aures maximè sunt vocales Lachrymæ pœnitentium: Aliâs nunquam diceret Regius vates: Psal. 38. *Auribus percipe lachrymas meas.* Quid Ezechiæ lachrymæ non impetrauerunt, cùm ille fleuit? Petri lachrymæ diluerint delictum. Dauidis lachrymæ à Deo exauditæ sunt: *Posuisti,* inquit, *lachrymas meas in conspectu tuo.*

Psal. 38.

Remissa sunt ei peccata multa &c. Quoniam dilexit multum. Ideò autem dilexit multum, quia dilecta multum. Deus namque prior diligit nos quàm diligatur à nobis. Peccata multa, inquit, sed, Nónne omnia dimissa sunt? imò omnia. Etenim D. Augustinus tom. 4. De vera & falsa pœnitentia cap. 9. Quædam, ait, impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus, & iustitia est, dimidiam sperare veniam. Scriptura autem per Multa, nonnunquam insinuat omnia. *Quoniam dilexit multum*, inquit. Nullam maiorem laudem quæras, quàm à Domino dilectam fuisse. Omnis beatitudo est à Domino diligi, dilectione illa qua dilexit Sanctos suos ante mundi constitutionem. Ephes. 1. Nam vniuersa diligit Deus, sed Mariam beatius & specialius. His verbis Misericordiæ excellentia & dignitas demonstratur. Hoc enim certum est, quòd si dilexit multum, multúmque à Deo dilecta est, iuxta illud: *Ego diligentes me, diligo.* Quo magis dilecta, eò magis inter cæteros excelsior ac gloriosior effecta est. Magnitudinis ergo, & gloriæ suæ hoc vnicum ac certissimum suscipite testimonium, diuino oraculo pronuntiatum, scilicet, *Quoniam dilexit multum.* Et tu plurimum dilige, vt tibi remittatur plurimum. Multum peccauit Paulus, qui etiam persecutor fuit: sed multum dilexit, qui vsque ad martyrium perseuerauit: Remissa sunt ei peccata multa, quia & ipse multùm dilexit, qui sanguini proprio, pro Dei nomine non pepercit. Quemadmodum autem Salomon Reginæ Sabba multò plura quàm attulerat ad eum largitus est: *2. Paral. cap. 9.* Sic Christus Mariam simili liberalitate prosecutus est. De qua, vt summatim concludamus, virtutum sequentium exempla discamus. Nempe Fidei, qua ad medicum curanda venit: Humilitatis, in eo quòd non ausa antè Christi conspectum apparere, stans retro pedibus prouoluitur: Charitatis ac deuotionis, quia pedes osculatur, vngit, ac capillis tergit: Perseuerantiæ denique in bono, quia nedum semel, sed ter ad vngendũ Christum se obtulit. Maxima dilectionis indicia

D. Aug.

Ephes. 1.

Christus

Christus illi ostendit, *vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia. Rom. 5.* Hanc Christus lachrymantem videns, lachrymas ex compassione continere non valuit. *Rom. 5.* *Ioan. 11.* Eius dilectione Lazarum fratrem quatriduanum à mortuis suscitauit. Ibidem. Hæc tempore gratiæ prima solemnem pœnitentiam inuenit. Denique iuxta crucem in passione Christi fuit & surgentem cùm victoria, Iesum videt ab inferis. Prima meretur gaudia, quæ plus ardebat cæteris. Et Apostolorum Apostolam eam fecit; dum eam ad nuntiãdum suæ resurrectionis gloriam ad eos primam misit. Suis precibus placatũ nobis reddat iudicẽ nostrum, amicum suum, patronum & aduocatum Iesum. Qui cùm Patre, & Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula. Amen.



FERIA SEXTA, POST DOMINICAM IN PASSIONE.

De Concilio malignantium contra Christum.

Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium aduersus Iesum; *& dicebant. Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, &c. Ioan. 11.*



CVM Beato Dauide hunc exordiri libet sermonem, *Beatus vir*, ait, *qui non abiit in concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit: & in cathedra pestilentiæ non sedit; Psalm. 1.* *Psal. 1.* Legimus aduersus Iustum Ioseph, *Gene. 37.* fratrum consilium: *Venite*, inquiunt, *occidamus eum.* Fuit autem hac in parte Christi typus ac figura. Concilium cõtra Christũ. *Gen. 49.* à Patriarcha Iacob prædicitur. Symeon & Leui, vasa iniquitatis bellãtia, in consiliũ eorũ non veniat anima mea, quia in furore suo occiderũt virum. Iterũ, *Sapiẽtiæ c. 2. Circũueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, ac filium Dei se nominat.* Grauis est nobis etiã ad vidẽdum.

Morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt & errauerunt: Excæcauit enim illos malitia eorum, &c. *Et Hierem. 11. Cogitauerunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius & eradamus eum de terra viuentiũ. & nomen eius non memoretur amplius.* Sed post Prophetarum oracula ac vaticinia, ad figuras progrediamur. Achitophel. 2. *Reg.* 17. Dedit parricidæ Absaloni aduersus regem Dauid patrem suum consilium, vt cùm duodecim millibus virorum illum persequeretur, comprehenderet, atque percuteret. Vnum enim virum, ait, tu quæris, & omnis populus erit in pace. Placuítque sermo eius Absalon, & cunctis maioribus natu Israël. Ait autem Absalon. Vocate Chusaï Arachiten, & audiamus quid etiam ipse dicat: Et dixit Chusaï ad Absalon: Non est bonum consilium, quòd dedit Achitofel hac vice. Sicut autem Achitophel figura est Consultoris Caiphæ, pronunciantis: *Expedire vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat:* Sic quoque Dauid Rex quem ingratissimus Absalon persequebatur, Typum gessit Seruatoris Christi. Pessimè autem successit parricidæ, Nam periit suspensus in quercu: Sic Iudæorum populus exterminatus est, in vltionem innoxij sanguinis Christi. Nec impunitus remansit Caïphas, vt tradit Nicephorus Hist. Eccle. lib. 2. ca. 10. qui dignas variásque dedit pœnas Christi necis. Veluti de Achitophel Sacra Regũ memorata testatur Historia. Videns, inquit, quòd non fuisset factum consilium suum: strauit asinum suum, surrexítque & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam, & suspẽdio interiit. Quòd Regius vates in Psa 93. in spiritu prçuidisse intelligitur, cùm cecinit: *Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.* Deinde sequitur: *Disperdet illos Dominus Deus noster.* A. Gellius lib. 4. c. 5. Quod vulgò dicitur: Malum consilium consultori pessimum, esse videtur Græco versu Hesiodi, expressus versiculus,

A. Gellius ex Hesiodo.

Η᾽ ἢ κακὴ βȣλὴ τῷ βȣλεύσαντι κακίςη. id est,

Consultum malè, consultori pessima res est. Quòd etiã, exemplo Aman Amalechitæ consiliarij præcipui Assueri Monarchæ contra Iudæos & Mardochæum apertissimè patuit: Ex sacra Estheræ historia, quàm consulere poteris. Hoc concilium, inquit F. Philippus Diez Lusitanus Tom. 1. 4. parte, ad præsens Euangelium ex 4. conflatum fuit: Ex Vanitate & iniquitate: quandoquidem ambitionis & auaritiæ causa, mortem vitæ auctori machinabantur: Ex maligni-

F. Philippus Diez.

gnita

gnitate, quia Domini miracula Belzebub Dæmoniorum principi adscribebant. Ex impietate, quia peruerterunt plebem, & illi persuaserunt, Romanorum metu deterrendo Pilatum, eúmque ad necem Agni immaculati impulerunt. Hæc ibi. Nũc textum per singulas expendamus sententias.

Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, &c. Multi quidem diuino beneficio ex resurrectione Lazari profecerunt, Alij impij propter suam obstinationem maius sibi nocumentum procreauerunt. Liquet enim pios beneficio Domini seruari, Malos verò sua culpa perire. *Osee. 13. Perditio tua ex te, &c. Matth. 23. Congregare volui & noluisti.* Cuius rei commodissimum subiicitur exemplum. Si duobus hominibus aut in mari aut puteo, vnde per se exire nequeunt, periclitãtibus funem demittas, cuius ope emergere inde possent, quorum alter oblato auxilio diligenter vtatur, alter verò eo vti nolit. Non dubium quin alter alieno beneficio viuat, alter verò suo vitio & socordia pereat. Vtriúsque autem rei Diuus Augustinus in Pharaone & Nabuchodonosore appositissimum proponit exemplum. *D. Aug.* Hi namque quòd ad fortunam quidem attinet, ambo reges erant, quod ad culpam verò, ambo Dei populum captiuum tenebant, quòd ad pœnam autem, ambo grauissimis à Domino plagis ad pœnitentiam excitati sunt. Nabuchodonosor enim toto septennio sub hominis imagine, bouis cor gestauit, fœnum, vt bos, comedit, & rore cœli tinctus est. Pharao autem variis à Domino plagis vapulauit. Quorum tamen ille diuino iudicio & castigatione eruditus, Deum agnouit, adorauit, & cœlestem potentiam regna omnia continentem, & moderantem confessus est: Hic autem è lima ipsa rubiginem contrahens, Deóque obfirmato animo repugnans, morte tandem multatus est. Ille igitur diuino munere adiutus, & voluntatis suæ libertate rectè vsus, seruatus est: Hic verò eiusdem Domini ope adiutus, sed libero arbitrio suo abusus, prauitate sua damnatus fuit. Sic & in præsenti Euangelio, isti qui dicũt: Hic homo multa signa facit, indéque colligunt, Christum interficiendum, cùm ex hoc inferendum fuisset potius, In eum esse credendum, illum esse vt Dei filium, verúmque Messyam recipiendum, & admittendum: Vnde alij vitam, isti, inquam, mortem hauserunt, vnde alij fidem, isti perfidiam conceperunt: quòd aliis lucem attulit, istis tenebras

& caliginem offudit. Quos planè nocturnis auibus meritò comparare possumus, quæ propter oculorum imbecillitatem, splendorem Solis ferre non valentes, vnde cæteræ aues videndi facultatem accipiunt, ipsæ cæcutiunt, & volantes passim offendunt. Et quoniam aduersus Christum fuit hoc concilium ac consilium, Non abs re fuerit hoc loco tractare contra eos qui peruersa dant consilia. Vide quàm pestiferum filij Ammon dederint consilium Regi suo, vt scilicet nuncios Dauidis cùm ignominia & dedecore à se dimitteret. *2. Reg. 10.* Elymas Magus peruersè quidem consulebat proconsuli Sergio Paulo, vt non crederet, verbis Pauli Apostoli. *Act. 13.* Prauum consilium suggerebat ipsi Iob vxor eius, dicens: Benedic Deo, id est, κατ' ἀντίφρασιν, per contrariam locutionem, Blasphema Deum, & morere. Sed ipse illud renuit accipere, dixítque: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Herodias pestilens dedit lethale consilium filiæ suæ, vt scilicet caput Ioannis Baptistæ postularet ab Herode. *Matth. 14* In diebus Antiochi Regis, peruersi quidam consulebant filiis Israël, vt desererent Dominum, & Gentium ritus prophanos sequerentur. 1. Mach. 1. Non est nouum quòd plerique reges decipiantur per prauos consiliarios, vt scribitur, *Esther. 16.* Quidam in tantùm vesaniæ proruperunt, vt aures principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, calida fraude decipiant. Quæ res & ex veteribus probatur historiis, & ex iis quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorundam suggestionibus regum studia deprauentur. Hactenus ex regis Epistola. Nota quòd habitum fuit concilium contra Ioseph, vt supra attigimus, ex inuidia. Hæc est fera pessima quæ deuorauit Ioseph. Contra Hebræos seu Israëlitas, in Ægypto seruituti mancipatos. *Exod. 1.* Ex timore, ne scilicet multiplicati expugnarent illos & in libertatem se se assererent. Contra Dauidem, per Absalonem, Ex ambitione. Contra Christum ex auaritia, ne scilicet quidpiam lucri sacerdotibus templi deperiret, & vt Iudas damnum iactúramque quàm prætendebat ex vnguenti effusione incurrisse, resarciret: proditoriè Christum 30. denariis vendendo. Item contra Christi discipulos, ex odio, Tradent enim vos, ait Christus, in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & in Act. Ap. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij,*

2. Reg. 10 *Act. 13.* *Mat. 14.* *Esther. 16.*

quo

quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. In primo concilio præualuit votum eius qui dixit: Ioseph non esse à confratribus suis interficiendum. In secundo concilio, nempe Ægyptiorum, contra Dei populum, non tam agitur de interfectione, quàm de populi huius afflictione, ac in dura seruitute retentione & oppressione, vt scilicet domarentur, nec iugum excutere valerent, sed perpetuò Ægyptiis seruirent. In tertio concilio aduersus Dauidem, præualuit etiam suffragium & consilium Chusaï, infatuatum est autem ac irritum factum consilium Achitophelis decernentis illum esse occidendum: In quarto concilio contra Apostolos, obtinuit Gamalielis sententia, *Act. 5.* euicítque opinio eius, iudicantis non esse interficiendos Apostolos, sed relinquendos in libera prædicandi potestate, ne Deo repugnare viderentur. In isto verò aduersus Christum concilio, prçualuit suffragium Caïphç, vt interficeretur Christus: Vnde huius resolutio seu conclusio concilij, sub finem præsentis exprimitur Euangelij: Ab illo ergo die (fixo & deliberato animo) cogitauerunt, vt Christum interficerent. Obserua insuper, quòd legitima concilia potissimùm contra hæreses congregantur, & colliguntur: Vt de plenariis seu œcumenicis & generalibus conciliis patet. Nam coactum fuit Nicenum primum & magnum concilium aduersus Arrium impugnantem, ὁμοούσιον, hoc est, Filij cùm patre consubstantialitatem. Constantinopolitanum, contra Macedonium πνευματομάχον, id est, Spiritu Sancti diuinitatem oppugnantem: Ephesinum aduersus Nestorium, θεοτόκον seu Deiparam Mariam impiè negantem: Et Chalcedonense, contra Eutichem, Duas in Christo operationes, iuxta vtrámque in eo naturam diuinam, & humanam, inficientem. Atque ita in cæteris: Sed hoc concilium coactum fuit non aduersus hæreses, aut pro reformatione, Verùm in ipsum auctorem fidei, & consummatorem Iesum: *Heb. 12.* Huic impio Concilio Nichodemus, Gamaliel, & Ioseph ab Arimathia, non consenserunt, sed Christi partes innocentiámque defendebant, licet non præualuerint suffragiorum numero ac pondere collegarum obruti: Hinc *Luc. 23.* de Ioseph scribitur: Hic non consenserat cõcilio & actibus eorum. Erant enim illi quanquam pauci numero, discipuli quidem Christi, sed occulti, propter metum Iudæorum. Scribit D. August. tom. 2. Epi. 118. ad Iãuarium, *D. Aug.*
 uarium,

uarium, loquens de plenariis conciliis: Quorum est, inquit,in Ecclesia saluberrima authoritas. Idem tomo.6. de vtilitate credendi,ad Honoratum,libr.vno.c.17.dicit Hæreticos partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate ab Ecclesia damnatos. Et ex Actorum Apostolicorum,cap.15.liquidò constat, Spiritum sanctum in legitimis huiusmodi præsidere conciliis: Dicitur enim, visum est spirituisancto,& nobis.Sic,Sacrosácta hęc Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans. Communiter in omnibus generalibus præfigitur præponitúrque hæc clausula comitiis. In quibus error subesse non potest.Siquidem 1. *Timot.3.Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.Et Luc. 22.*Rogaui *pro te Petre,vt non deficiat fides tua, &c.* Iterum, *Matth.16. Portæ inferorum non praualebunt aduersus Ecclesiam, super hanc petram ædificatam.* Et apud Theologorum Phœnicem D.Ioannem sæpè. Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem,vt maneat vobiscum in æternum, Docebit vos omnia, Spiritus ille veritatis. Et apud, *Matth. 18. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum.* Apostolos legimus quater collegisse concilium. *Act.1.* pro Mathiæ in locum proditoris & Apostatæ subrogatione ac electione, Iuxta illud Psalmistæ:Episcopatum eius accipiat alter. *Act. 6.* pro septem diaconorum in primitiua illa œconomia Ecclesiastica institutione. *Act.15.* pro legalium cessatione, vt scilicet Gentes ad Christianissimum recens conuersæ,iugo legis ac cæremoniarum eius non premerentur, sed libertate gauderent Euangelij,per fidem in Christum, qui in morte consummauit omnia legalia, dum diceret. Consummatum est. *Ioan. 19.*Iterum, *Actorum 21.* Pro Pauli purificatione secundum ritum legis. Decuit namque Synagogam sepeliri cùm honore,vt loquuntur veteres Patres. Quatuor magna & œcumenica concilia Gregorius Magnus, quæ suam præcesserunt ætatem,dicit se tanquam 4.Euangelia venerari. Vt in Decretis Distinct.14.Can.Sicut Sancti Euangelij,ex eodem Gregorio lib.1.Registri,Epist.24. canonizatur: Sicut Sancti Euangelij,inquit quatuor libros:sic quatuor Cócilia suscipere,& venerari me fateor, Nicænum scilicet, in quo peruersum Arrij dogma destruitur:Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impie

Decretum.

impietas iudicatur: Chalcedonense verò quo Eutichis Dioscorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit. Quę vniuersali sunt consensu constituta. Hucúsque Diuus Gregorius. Suprà retulimus ex historia Ecclesiastica: Niceni, atque Chalcedonensis concilij per diuina miracula comprobationem. *D. Gregor.*

Collegerunt, &c. Habent omnia vim. Primò quòd coactum est concilium, Secundò, quòd à Pontificibus, Tertiò, quòd contra Christum. Psal. 2. *Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius* Magna sanè conciliorum est vtilitas, si modò benè cogantur, & boni consiliarij conuocentur, prudentésque viri ad deliberandum perquirantur ac seligantur. Nam *Prouer. 11. & 24.* Salus vbi multa consilia. *Prou. 12. & 13.* Qui agunt omnia cùm consilio, reguntur sapientia. Consilium principi necessarium est, vt notat A. Gellius lib. 23. c. 17. Ex Sophocle, Euripide & Platone, Senarius Græcus sic habet: *σίφοι τύραννοι τῶ σοφῶν ξύνουσια.* Hoc est, Sapientes sunt, redduntúrque Tyranni seu Reges, congressu, conuictúque, & commercio Sapientum virorum. *Ester. 1. c.* Rex Assuerus interrogauit sapientes, qui ex more regio semper aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac iura maiorum. Plutarchus tom. 3. Opusculorum, Cùm principibus maximè philosophum debere disputare: Qui corrumpût, inquit, principes, & reges, Nempe delatores, calumniatores, & adulatores, meritò puniuntur, vt qui non in vnum calicem lethale venenum mittunt, sed in fontem publicitus scatentem, & quo vident omnes vti. Ibi, Idem, Opusculo, Num seni gerenda sit respublica: Neque, ait, in Homero mirificè magis quicquam laudatur, atque illud. *A. Gelli' ex Sophocle aliisque. Plutarc.*

Consedere duces, senio spectabilis ordo,
Nestoris ad naues.

Rex quoque Agamemnon, quum à Diis optaret, vt sibi consiliarios decem ex Achiuis darent: qualis erat Nestor, Non dubium quin ea precatione, rem magni esse momenti senectutem indicare voluit: Nam multas manus vincit prudens vnum licet consilium. Græcè sic: *σίφεν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας νικᾶ.* Hæc ibi. Lampridius in Alexandro Seuero, ad Constantinum Augustum sub finem: sic eum alloquitur: Notum est quòd in Mario Maximo *Lãprid'*

Legisti,

Legisti, Meliorem esse Rempublicam in qua princeps malus est, ea in qua sunt amici principis mali: Cùm vnus malus possit à pluribus bonis corrigi, Multi autem ab vno minimè. Ab Homulo ipsi Traiano dictum est: Melius est vnum malum pati, quàm multos. An non falsi Prophetæ deceperunt Achab? Nónne vt vulgatus habet versiculus.

Consilium iuuenum Roboam fecit egenum?

Nónne Rex Ioas mortuo Ioiada sacerdote, optimo illius institutore consiliario, ac præceptore, ab aulicis adulatoribus, prauísque consultoribus deprauatus est? Prædictis autem pessimè successit, quia malorum consiliis adhęserint, vt sacra Regum prodit historia. Sed meminerint Reges ac Principes bonorum sequi consilia, non autem negligere, omniáque pro animi libidine, suóque arbitratu facere, vt Xerxes, de quo scribit Valerius, lib. 9. cap. 5. De superbia: Xerxes, inquit, Græciæ indicturus bellum, adhibitis Asiæ principibus. Ne viderer, ait, meo tantummodo vsus consilio, vos contraxi: Cæterùm, Mementote parendum magis vobis esse, quàm suadendum. Quàm arroganter dictum! Simile est Caïphæ supercilium dicentis: Vos nescitis quicquam: Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.

Valeri⁹.

Finem huic impono tractatui, si quid propriè dicatur Consilium, aut melius Concilium per c. non per s. Ex Theophylo Antecessore Græco Scriptore ac Iurisconsulto, dixero: Is in §. Eadem Institutionibus. Quibus ex caussis manumittere non licet, sic describit Græcis verbis: Κονσίλιον ἐστὶ συνέδριον φανερῶν ἀνδρῶν κατὰ ῥητὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ χρόνον, συνισταμένων, Hoc est, Consilium est confessus certorum virorum statis anni diebus coëuntium. Hactenus Theophylus.

Theophylus I. C.

Quid facimus? Hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum, sic omnes credent, &c.

Hæc angustia prouenit, vel ex auaritia, *Luc. 12.* Quid faciam? Destruam horrea mea. Vel ex inordinato timore perdendi honorem, vt in villico iniquitatis, Gall. *Mauuais mesnager ou despensier. Luc. 16.* Quid faciã? *Quia Dominus meus aufert à me villicationem?* Vel ex inuidia, *Act. 4.* Quid faciemus hominibus istis? Hîc autem tria illa concurrunt.

Hic homo, &c. Hominẽ eum adhuc per abiectionẽ quandam vocant, qui tantam susceperant Deitatis eius demonstrationem, qui sicut Deus signis & miraculis coruscabat.

Multa

Multa signa facit, &c. Id solùm in crimen adducitur, quare captandum sit de morte eius consilium, quia signa multa facit. Inuident Soli, quòd in plures suæ Lucis radios distribuit. Æmulantur hominibus, quòd à veri Solis Luce illustrentur, & ad fidem adducantur. Quare? Quia vellent suam doctrinã, & paternas traditiones ab hominibus potius suscipi, atque in admiratione honoréque haberi. Si vestro etiam iudicio, *Hic homo multa signa facit*, hoc est, multa opera diuina quantò certius & verius erat ex hoc antecedente, vt Dialecticorum more loquamur, illud concludere quòd Nicodemus intulit, Ioan. 3. *Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: Nemo enim potest hæc facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cùm eo.* Si ergo Deus cùm eo est, si Legatus à Deo missus est, si diuina virtute & potentia suffultus est, Quid attinet Romanorum arma formidare? Cùm omnis humana potentia diuinæ comparata nulla sit? Certè, vnde alij vitam, isti mortem hauserunt, vt supra attigimus. Exemplum araneæ quæ omnia in venenum conuertit: Apes verò ex floribus, quamuis amaris, dulcissimum mel conficiunt. *Quid facimus? Multa signa facit, &c.* Sic illi qui separauerunt se ab Ecclesia Catholica, vt Arriani dicebant suis Episcopis: Tot miracula fiunt à Catholicis, Homoncianis, cur & vos non facitis? Scribit Gregorius Turonensis, De Gloria Confessorum §. decimo tertio. Cernens Leuuieldus Rex Gothus in Hispaniis, tanta miracula per seruos Dei, qui nostræ religionis erant, fieri: vocauit vnum Episcoporum suorum (scilicet Arrianorum) dixitque secretius ad eum, Quamobrem vos, vt isti, qui se Christianos dicunt, non ostenditis signa in populos secundum fidem vestram? Qui subornauit aliquem, vt ementiretur ac fingeret fieri ab eo miraculum illuminationis: Sed excæcauit hæreticus eum, quem fingebat se velle illuminare, vt fusius in Euangelio, *Volumus signum videre*, tractauimus.

Venient Romani & tollent. Quanam gratia, dicant quęso, putabunt Romani Christum sibi Iudæorum regnum & tyrannidem vendicare velle. Nunquid seditionem dicebat? aut discessionem à Romanis suadebat? Censum dari Cæsari, aut pendi illi tributum prohibebat? Nonne regem ipsum facere voluistis & renuit? *Ioan. 6.* Nonne humilem & abiectam in paupertate vixit vitam? Nonne & domo, & aliis huiusmodi ad vitam necessariis carere voluit?

voluit? *Volucres*, inquit, *nidos habent, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. Luc. 9.* Quorſum, quæſo, Romani in eo ſuſpicionem vllam Tyrannidis percipere poterant, qui duodecim tantùm diſcipulis, eiſdemque intermibus ſtipabatur? Qui conſulebat, vt ſi tunicam quis auferre vellet, eidem etiam pallium traderent? Si quis dexteram percuteret maxillam, etiam alteram eidem præberent. *Matth. 5.*

Venient Romani, &c. Proponunt ipſi, quòd ſi Dominus ſic dimitteretur venturi eſſent Romani, & deleturi locum & gentem. Res autem ipſa contrarium omnino, & oppoſitum habuit exitum. Nam quia non dimiſerunt Dominum ſic, ſed tanquam malefactorem in crucem crudeliter egerunt: venerunt tamen Romani, & ſuſtulerunt locum & gentem. Nempe poſt Chriſti aſcenſionem venientes Romani, ſub Veſpaſiano & Tito, principibus, illos excidio, ferro, fame, & captiuitate deleuerunt. Et qui in Paſchate Chriſtum occiderant, in eadem ſolemnitate ab hoſtibus obſidione cincti ſunt: Quique iniuriâ filio illata patrem offenderant, ipſi à patre, & filio Veſpaſiano, & Tito, deleti ſunt. Iudicia Dei iuſta ſunt. *Quæ timebat impius venerunt ſuper eum. Prouerb. 10.* Quamuis Chriſtus multa ſigna ederet, tamen non crediderunt illi Iudæi, pro maiori parte. Quàm ergo leues & inconſtãtes ſunt quidam ex Chriſtianis, qui primo occurrenti, prædicanti noua, & inaudita fidem adhibent? atque relicta veneranda Antiquitate, nouationes prophanas ſequuntur? Non laudo Iudæum, ſed vitupero Chriſtianum tam varium, & mutabilem. An non dixit Chriſtus, Matth. 24. *Multi venient & dicent, Ego ſum Chriſtus.* Nolite credere, nolite exire. Quæ ſunt miracula ab iſtis nouatoribus ſeu prædicantibus facta? Vbi vitæ ſanctitas? Planè nulla. *In populo graui laudabo te,* inquit, *Pſalmographus Pſalmo 34.* Grauitas Chriſtianum decet, non autem leuitas & inconſtantia. Matth. 11. *Arundinem vento agitatam?* Nequaquam. *Eph. 4. Non ſimus tanquam paruuli fluctuantes, & ne circunferamur omni vento doctrinæ.*

Venient Romani, &c. Quid dicitis? Quòd venient Romani ſi eum dimittitis? Si autem eum occideritis, ipſi trucidabunt vos omnes. Arma quæ impius contra bonum ſumit, ipſa ſunt quæ illum perſequũtur, Eodem gladio quem geſtabat Goliath, ad necandum Dauidem, interfectus eſt ipſe. Eodem enſe quo Holofernes volebat Hebræos interficere,

ficere, caput eius à muliere Hebræa abſciſſum eſt. In furca qua volebat Aman Mardochæum ſuſpendere, ſuſpenſus eſt ipſe. Quàm bene ad literam hoc Dauid exprimit. Pſalm. 36. *Gladius eorum intret in corda ipſorum.*

Quibus improbi rationibus res ſuas confirmare nituntur, eiſdem ipſas euertunt. Sic, filij Iacob innocentem Ioſeph, inuidia ſtimulati in Ægyptum vendiderunt, vt hac ratione omnem illi ſomniorum ſuorum ſpem adimerent. Qua autē ratione principatum illius euertere moliebantur, adeo aſſecuti non ſunt, quod volebant: vt eadem ipſa, principatus illi occaſionem dederint, & regium illi thronum manibus ſuis erexerint. Quid hic Hieroboā Regem Iſraël commemorem? qui vitulis aureis contra Dei præceptum fabricatis, regnum ſuum ſtabilire conatus, tantùm abfuit vt hoc conſilio regnum firmaret, vt eodem ſibi, liberiſque ſuis, vniuerſæ familiæ, atque ipſi regno, vaſtitatem & exitium nullis vnquam temporibus reſarciendum attulerit.

Simili ratiocinatione ſapienter ſe agere Pharao putauit, cùm filiorum Iſraël infantes in flumen proijci mandauit, vt hoc conſilio tyrannidem, qua illos oppreſſerat, perpetuò conſeruaret. Hac autem carnali, & diabolica prudentia id effecit, vt vaſtata vniuerſa Ægypto, filiiſque omnibus natu maximis vna nocte extinctis, ipſe cum toto exercitu, aquis ſubmerſus interiret, qui aquis innocentes Hebræorum pueros interire præceperat. *Iuſtus es domine, & rectum iudicium tuum*, exclamare cum pſalmiſta licebit hoc loco, pſalmo 118.

Vnus ex eis Cayphas nomine cum eſſet pōtifex anni illius, &c. Notat Euangeliſta his verbis: Pontifex anni illius, Caïphæ Symoniam quòd pretio appretiato ſibi ſacerdotium comparauerit, inſtar Iaſonis cuiuſdam, de quo in libris Machabæorum, Ambiebat Iaſon ſummum ſacerdotium adito rege promittens ei argenti talenta 360. *2. Mach. 4.* Conſtituerat Dominus ſummum ſacerdotem per totam vitam, Cui mortuo alter ſuccederet. Creſcente verò ambitione inter Iudæos, ſtatutum eſt vt ſucceſſiuè & annuatim pontificia poteſtas adminiſtraretur: imò pecunia non modica comparabatur. Caïphas itaque qui grandi pecuniæ ſumma ſibi ad huiuſmodi dignitatem aditum fecerat, ſua vel maximè intereſſe putauit, Chriſti necem procurare. *Expedit*, inquit, *vt vnus moriatur, &c.* ne quid ſibi lucri deperiret, vel decideret.

decideret. Vide autem quo fuco malitiam ſuam tegat, hoc vnum nimirum prætexens ac prętendens: Bonum commune præferendum eſſe particulari. Iſte igitur ſub prætextu vtilitatis publicæ ſuadet turpiſſima & iniquiſſima, innocentis videlicet occiſionem. Refert Cicero libro tertio Officiorum & Valerius libro ſexto, capite quinto de iuſtitia, & Plutarchus tomo ſecundo Vitarum in Ariſtide, Quòd Themiſtocles poſt victoriam eius belli quod cum Perſis fuit, dixit in concione ſe habere conſilium Reipublicæ ſalutare, ſed id ſciri non opus eſſe. Poſtulauit vt aliquem populus daret, cum quo communicaret. Datus eſt Ariſtides. Huic ille: Claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Gytheum, clam incendi poſſe, quo facto frangi Lacedæmoniorum opes neceſſarium eſſet. Quod Ariſtides cùm audiuiſſet, in concionem magna expectatione venit, Dixitque: Perutile eſſe conſilium quod Themiſtocles adferret, ſed minimè honeſtum. Itaque Atheniẽſes quod honeſtum non eſſet, id ne vtile quidem putauerunt, totámque eam rem, quam ne audiuerant quidem, auctore Ariſtide repudiauerunt: Maneat ergo, quod turpe ſit id nunquam eſſe vtile. Hæc Cicero. Vniuerſa concio quod æquum non videretur, ne expedire quidem proclamauit, ac protinus Themiſtoclem incœpto deſiſtere iuſſit, ait Valerius, vbi ſupra. Cui etiam Plutarchus loco citato ſubſcribit. Audiat Caïphas ſe à Gentili Ariſtide damnari, ſecundum quod de Niniuitis ait Chriſtus. Matth. 12. *Quòd damnabunt Iudæos.* Ille namque cum vniuerſa Athenienſium concione, quod æquum non videretur, ne expedire quidem proclamauit, Ita populus ille, ait Plutarchus, iuſtitiam colebat: hic autem Pontifex ſummus, in lege eruditus, Expedire iudicauit quod erat iniquiſſimum, & teterrimum facinus, Chriſtum nimirum innocentiſſimum, & Sanctum Sanctorum, Meſſiam in lege promiſſum, ac dilectiſſimum Dei filium interficere, ne Romani tollerent locum & gentem, id eſt, templum vaſtarent, & Iudæorum nationem in captiuitatem ducerent. D. Ambroſius libro tertio Officiorum. cap. 14. Superiorem attingit hiſtoriam ex Plutarcho in vita Themiſtoclis: quòd cum duo populi aduerſum ſe de gloria, imperióque decertarent: & alter ex his haberet copiam, quemadmodum naues alterius populi clanculò exureret, turpe credidit: maluitque minus poſſe honeſtè, quàm plus turpiter. Et iſti quidẽ ſine flagitio hæc

Cicero, Valeri⁹, & Plutarchus.

Mat. 12.

D. Ambroſius.

hæc facere nequibant, vt eos qui consummandi belli Persici gratia in societatem conuenerant, hac fraude deciperent, quam licet possent negare, non possent tamen non erubescere. Deinde aliam subiungit ex eodem Plutarcho in vita Pyrrhi Epirotarum Regis historiam hoc stylo: Complex honestatis est semper vtilitas, & vtilitatis honestas. Memorabile ferunt Rhetores, quòd Dux Romanorum, cùm ad eum aduersarij Regis medicus venisset, pollicens daturum se Regi venenum, vinctum eum ad hostem remiserit. Et re vera præclarum, vt qui virtutis certamen susceperat, nollet fraude vincere. Non enim in victoria honestatem ponebat, sed ipsam nisi honestate quæsitam, victoriam turpem pronunciabat. Hæc D. Ambrosius. Eutropius autem Rerum Romanarum libro secundo de Bello Tarentino; cum Pyrrho gesto, sic expresso Ducis nomine eandem refert historiam: Pyrrhus Tarentum fugatus est. Interiecto anno contra Pyrrhum Fabritius est missus, qui prius inter legatos solicitari non poterat, quarta parte regni promissa: Tunc cùm vicina castra ipse & Rex haberent, medicus Pyrrhi noctu ad eum venit, promittens veneno se Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur. Quem Fabritius vinctum reduci iussit ad propriam domum, Pyrrhoque dici, quæ contra caput eius medicus spopondisset. Tunc Rex admiratus eum dixisse fertur: Iste est Fabritius qui difficilius ab honestate, quàm Sol à cursu suo auerti potest. Hæc ibi: Vnde iustissima patet Caïphæ Pontificis damnatio. Siquidem Fabritius Romanorum Dux, diuinæ legis planè ignarus, solius honesti amore, Pyrrhum medici sui proditione perire haudquaquam consensit, at verò Caïphas Christum mori expedire pronunciauit, & quantum in se fuit, morti illum, quamuis insontem, hostili prorsus animo adiudicauit, contra omnem honestatem & æquitatem.

Eutropius Historicus.

Vos nescitis quicquam, ait. Hæc est eius præsumptio. Solus sibi sapere videtur. Sic Hæretici Eliu similes, de quo Iob 32. *Iunior sum tempore*, ait, *vos autem antiquiores. Sperabam quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam. Sed vt video, non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium. Ostendam ego scientiam meam. Plenus sum enim sermonibus. En venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit. Loquar & respirabo paululum.* Ita planè nouitij isti moderni Hæretici, qui non

Iob. 32.

immeritò fungis vna nocte exortis comparari possunt: Obiter hîc recensebo DD.Irenæi & Epiphanij contra hæreses scribentium verba.Quorum prior libro primo,capite tresimo tertio.Simoniani, inquit,& alij. Hæretici,velut à terra fungi manifestati sunt. Posterior autem libro primo, tomo secundo contra Valentinos , qui & Gnostici appellantur, Hæresim 31. circa initium. Hi omnes, ait, velut fungi ex terra eruperunt , & velut abominabilium ac grauerlentium herbarum germina ex vno omnes tempore in vitam excreuerunt:& sicut antea dixi instar fungorum sua deformitate sub vnum contactum apparuerunt. Velut etiam à Sancto Irenæo iam de ipsis dictum est. Hactenus illi.Hæretici,inquam,vt fungi (Gallicè dicimus, *Des champignons ou Potirons , excrements de la terre & des arbres*) Antiquos Patres præ se contemnunt , venerandam discipiunt antiquitatem. Vnde Iob 30. *Nunc autem derident me iuniores tempore , quorum non dignabar patres ponere cum canibus regis mei.* Illi pleni sunt sermonibus,verè σπερμόλογοι, seminiuerbij : *Sed regnum Dei non est in sermone , sed in veritate,* ait Apostolus. De omnibus aliis magno supercilio clamant : *Vos nescitis quicquam , neque cogitatis* , huius Caïphæ instar. Magnitudinem impietatis & grauitatem sceleris eius perspicuè Euangelista demonstrat. Quia enim cæteros dignitate Pontificali & authoritate superabat, debuisset maiori pietate & religione in Deum effulgere,quò cæteris exemplo esset virtutem colendi , & diuina mandata seruandi. Ipse verò reliquis immanior , præcipitatior ad scelus , & ad cædem paratior, alios quasi tardius agentes hortatur ad facinus dicens : *Vos nescitis quicquam :* Expedit vnius hominis salutem pro tota Republ. negligi, quandoquidem bonum priuatum publico est posthabendum.

D. Irenæus & Epipha.

Ioan.30.

Expedit vobis, &c. quasi absumpto Christo,non sint perituri Iudæi quorum ruinam Christus defleuit Luc.19.Floccifacit innocentis mortem , nec considerat aut attendit sanguinem innoxium,apud Deum clamare vindictam,vltionémque de homicidis expetere , vt fusè supra tractatum est. Si voluntatem dicentis attendas , mala sunt hæc verba , vt iustus iniustè necaretur : Si autem Spiritusancti intentionem & verborum significationem respicias , Prophetia est admiranda. *Hoc enim , ait Euangelista, à semetipso non dixit , sed cùm esset Pontifex anni illius prophetauit.* Vides quanta sit Pontificalis virtus , licet indignus prophetauit.

Balaam

Balaam etiam prophetauit. Numer. 24. eiusque asina locuta est & Saul: 1. Reg. 10. Inter Prophetas similiter prophetauit. Sic Deus honorat potestates. Tametsi personæ sint indignæ, Officium tamen sanctum & diuinitus institutum. Regibus nostris Christianissimis, hæc specialis conceditur gratia curationum, vt nominis Dei inuocatione, solo contractu à Scrofulis curare valeant, Gallicè, *Le mal des escrouelles*. Si quis autem quæsierit, An Caïphas ob id fuerit Propheta, vel etiam Saül, quia prophetauerunt? Respondeo, Ad Prophetiam duplicem actum concurrere, Nempe visionem, Prophetæ enim videntes olim dicebantur 1. Reg. 9. Siue intelligentiam, Nam intelligentia opus est in visione, Daniël. 10. Secundò Denunciationem, 1. Cor. 14. Qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem: Ex quibus sola Denunciatio fuit in Caïpha, non autem visio, seu intelligentia. Prophetauit igitur materialiter duntaxat, sed non formaliter, vt loquuntur in scholis. D. Augustinus tom. 4. lib. 2. ad Simplicianum. Quæstione prima circa initia: Non solùm ait plerique sancti, sed Pharao & Nabuchodonosor (in Genesi Daniële) Vterque vidit, quod nemo eorum intelligere valebat, sed tamen vterque videre poterat, per imagines scilicet & somnium. Sed Ioseph meruit intelligere, quod Pharao non nisi videre: Et Daniël exposuit Regi, & ille cernit & nescit. Nescientes autem afficit Prophetiæ spiritus: Sicut Caïphas cum esset Pontifex prophetauit de Domino, cùm aliud in verbis, quæ dicebat, attenderet, quæ non se à seipso dicere nesciebat. Hæc D. Augustinus. Nota quòd non affecit iniuriis Caïpham Euangelista, vocans illum amarulentis agnominationibus, vt solent in Pontifices Romanos debacchari recentiores Hæretici, Antichristos & Bestias illos nominantes. *Nolite tangere Christos meos*, ait per Prophetam Dominus. Et Paulus Act. 23. ex lege istud citauit: *Principi populi non maledices.* Sed tempus est vt Prophetiæ huius verba per partes singulas explicemus, ad hunc modum: *Expedit,* non simpliciter & absolutè, Necesse est, sed, Decet. Heb. 2. *Decebat authorem salutis per passionem consummari. Vt vnus homo*. 1. Timoth. 2. *Vnus mediator Dei & hominum. Homo Christus Iesus*. 2. Cor. 5. *Vnus pro omnibus mortuus*. Ecclesiastes cap. 7. *Virum de mille vnum reperi* Isaiæ 51. *Vnum vocaui eum. Moriatur*. Non expedit occidere, sed benè expedit vt moriatur. Act. 4. *Fecerunt quæ manus tua & consiliũ*

Nu. 24. 1. Reg. 10. 1. Reg. 9. Daniël. 10. 1. Corint. 14. D. Aug. to. 4. li. 2. Act 23. Heb. 2. 1. Tim. 2. 2. Cor. 5. Eccl. c. 7. Esai. 51. Act. 4.

tuum decreuerunt fieri. Nota, Facere, & Fieri, Actio & passio duæ sunt Categoriæ seu prędicamenta distincta. Deus permisit, non decreuit vt facerent: Verum non permisit tantùm, sed etiam decreuit vt fieret. In sexto Decretalium, De consecratione Ecclesiæ, c. vnico, in glossa, habetur versiculus iste vulgatus: Et Ioannes De Vitriaco: Dominica in ramis palmarum super Euangelium Amara fuit, inquit, Iudæorum actio: Dulcis autem Christi passio: Actio displicuit: passio grata fuit. Illa est supra modum peccans peccatum, vt loquitur Apostolus Rom. 7. *Hæc sacrificium pro peccato.* Ezechiël. 45. A Spiritu sancto per Caïphā dicitur, vt Christus moriatur: Cogitauerunt autem vt interficerent, moti & agitati à Diabolo. Expedit vt vendatur Ioseph, sed vendere Ioseph non expedit. Vos cogitastis, inquit, de me malum, sed Deus vertit illud in bonum. Dixit de proditore suo Dominus: *Væ per quem tradar ego,* tamen expediebat vt Christus traderetur, & pateretur sinerétque se tradi ac in mortem offerri. *Tradebat autem iudicanti se iniustè* 1. Pet. 2. *Væ homini per quem scandalum venit. Verùm necesse est vt veniant scandala,* ait idem Christus sicut & Apostolus eius: *Oportet hæreses esse,* væ tamen hæreticis D. Iudas Apostolus in Catholica sua Epistola c. vnico. *Væ illis qui in via Cain abierunt & in errore Balaam mercede effusi sunt, & in conditione Core perierunt.* Tales autem sunt Hæretici. Deus vult patrem alicuius mori, filius item ingratus, ex malo animo, idipsum exoptat, Concordant quidem in volito, sed non in modo volendi, vt dicunt scholastici. Quod Deus vult rectissimè & iustissimè vult, Quod improbus filius vult, impiè & malè vult: Sic de his iudicare conuenit: Expedit vt Christus moriatur, Non autem expedit, sed inquum est, Christum interficere. Expedit igitur vobis, nedum mihi, vt vnus homo, Deus & homo, moriatur pro populo, & ius suum transferat in populum, & non tota gens pereat, quæ nisi ille pro ea moreretur, iurè ac meritò per sæcula periisset. O sanctam veréque diuinam Prophetiam! Expedit, Non autem absolutè Necessarium est, vt supra attingimus, quia vt D. Augustinus tom. 3. lib. 13. De Trinitate cap. 10. ait: Non alius modus possibilis Deo defuit, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent, sed sanandæ nostræ miseriæ conuenientior modus alius non fuit, nec esse oportuit. Hæc ibi. Nempe ad diuinæ iustitiæ satisfactionem, ad charitatem Dei erga nos commen

Sextus Decretalium. *Rom. 7.* *Ezech. 45.* *1. Pet. 2.* *Iudas Apostol. ca. vnico.* *D. Aug.*

commendandam, *& vt, in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur : Ars vt artem falleret, & medelam ferret inde, hostis vnde læserat* Canit sancta mater Ecclesia; Nec extra propositum Ouidius.1.de Arte cecinit: *Ouidius.*

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit; infœlix imbuit auctor opus.
Iustus vterque fuit: Neque enim lex æquior vlla est,
Quàm necis artifices arte perire sua.

Vterque scilicet Busiris de quo ille paulò ante, & Phalaris.

Expedit vt vnus pro omnibus denigretur similitudine carnis peccati, & non tota gens nigredine condemnetur peccati. Splendor & figura substantiæ Dei obnubiletur in forma serui, pro vita serui. Candor vitæ æternæ nigrescat in carne, pro carne purganda : *Speciosus forma præ filiis hominum*, pro filiis hominum illuminandis obscuretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte, ex toto non sit ei species neque decor, vt sibi speciosam atque decoram acquirat sponsam Ecclesiam sine macula, & sine ruga. Hæc ex D. Bernardo super Cantica, serm.28.circa initium. *D. Bernard.*

Expedit, &c. Et planè multùm expedit, aliter nullus ingrederetur in cœlester egnum. Ioã.16. *Veritatem dico vobis, Expedit vobis, vt ego vadam* (scilicet ad mortem, & per illam ad patrem) Ioã.14. *Vado parare vobis locum.* Expediebat Angelis in cœlo, Patribus in lymbo, viatoribus in mũdo. Coloss.1. *Pacificans per sanguinem crucis eius siue quæ in terris siue quæ in cœlis sunt.* Vides Angelis profuisse crucẽ, ad sedium vacuarum repletionem, & ruinarum Angelicarum reparationem, necnõ ad cõciliandam bonorum Angelorum cum hominibus amicitiã & pacẽ. De secundo Zach.9. *Tu autẽ in sanguine Testamẽti eduxisti vinctos de Lacu, &c.* id est, Patres de Lymbo, cùm Christus à morte sua descendit ad inferos. De tertio ait Apostolus: *Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur.* 1.Cor.15. Sicut autem homicida à patris extorris, & exul, Num.35. non poterat ad illam reuerti nisi post mortẽ summi sacerdotis: Sic à cœlesti patria in hac valle miseriæ exules filij Euæ, animæque patrum in Lymbo existentes, ac in sinu Abrahę degentes, cœlos ingredi nõ potuerũt, nisi Christus mortẽ subiret. Heb. 10. *Habẽtes fiduciã in introitu sanctorũ in sanguine Christi. Expediebat igitur, vt vnus homo moreretur, & nõ tota gẽs periret.*

Ioan. 16. *Ioan.14.* *Coloss.1.* *Zach.9.* *1.Cor.15.* *Nu.35.* *Heb.10.*

Iesus moriturus erat pro gente, &c. hoc est, populo Iudaïco, vt gens suprà sic accipitur, *ne tota gens pereat* : Nec solum pro gente scilicet Iudaïca, sed, vt explicat Euange-

 lista,

lista, vt filios Dei, *qui erant dispersi congregaret in vnum*, Gẽ-
Ioan. 10. tiles significans, ab eo quod futurum erat. Ioan. 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: illas oportet me adducere. Et fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Populus autem gentilis dispersus erat in varias variorum Deorum superstitiones & cultus: varias insuper doctrinas: Cùm alij Stoicos, alij Epicureos sectarentur, sicque de aliis Philosophorum hæresibus ac sectis: in varios etiam errores, cum vnicuique liberum fuerit, de Diis quæ vellet commentari. Nunc autem in Christo congregati sumus in vnum, vnius veri Dei cultum ac religionem, vnam fidei professionem, vnam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, vnum baptisma: Et sicut de primitiua scribitur Ecclesia: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Christus moriturus erat pro gente Iudaïca, pro populo Dei, pro patria & natione sua, quemadmodum Dauid se obiecit cõtra Goliath, pro patria sua & populi sui salute: Sic & Christus, cuius ille typum gessit, mortuus est pro populo & gente sua, instar Codri Atheniensium Regis qui pro populo suo mori voluit, vt fusiùs in Euangelio, de Amore patriæ, Cũ de Nazarethanis ageretur, supra diximus, ad illum locum: *Fac & hic in patria tua, &c.*

Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent, &c. Iniusta sẽtentia esse dignoscitur, ex animi motu: Quia nõ zelo pietatis, sed liuore vindictæ, eo quòd vitia reprehendebat eorum, mortis in eũ tulerunt sententiam. Secundò, subiecto:
Exo. 23
Psal. 13. quia innocẽs morti adiudicatur. Exod. 23. *Insontem & iustũ non occidet.* Psal. 13. *Veloces pedes eorum ad effundendũ sanguinem,* longè errantes: Non enim iocus est, aut res parui momenti, sed res seria admodum humanum sanguinem fundere: Nec minus valet anima pauperis coram Deo, quàm
Aelian⁹. anima Principis. Refert Ælianus variæ historiæ li. 14. c. 43. quòd Ptolomæus cùm ad tesseras sederet, & alea luderet, assistens quidã, condemnatorum nomina ipsi recitabat, & crimina eorum, vt quinam mortis supplicium commeruissẽt, decerneret: Berenice verò vxor eius, accepto libello è pueri manibus, non permisit vt ad finem vsq; legeretur, dicens: Non sic obiter aduertendũ animũ esse, cùm de hominis salute quæritur, sed altiùs cogitandum, & relinquenda ludicra: Nõ enim esse similem casum tesserarum, & corporum. His auditis delectatus est Ptolomæus, neque posteà vnquam inter ludendum de capitalibus causis audiuit.

diuit. Hęc ibi. Debuerunt ergo isti consultores maturius deliberare, & exactiùs singula disquirere. Examinandum erat, An Christus doceat defectionem à Rom. Imperio, cũ desertis verbis dixerit: *Reddite quæ sũt Cæsaris Cæsari.* Mat. 22. Ipsemet tributum soluit, quãuis liber à tributo & immunis: vt probatur Matt. 17. Sed ne scandalizemus eos dixit ad Petrum, sumens inuentum in ore piscis staterẽ (genus est monetæ, cuius tunc vsus erat) *da eis pro me & pro te.* Sic nullam Christus rebellionis suspicionem dedit. *Eius regnum non erat de hoc mundo*, Ioan. 18. Vt coram Pilato pro se respondit, & se expurgauit. Secundò, Consultandum erat. Num gens peritura sit, si in Christum crederet? Non propter bona opera, sed propter mala, gentes & populi pereũt. Annõ gloriosius fuit Imperium Cõstantini Magni, qui fidem publicè professus est, & religionem coluit Christianã, quàm antecessorum suorum Paganorum & infidelium? Quomodo ergo dicunt: *Omnes credent in eum:* Quod summis votis optare debuerant hoc timent: *Et venient*, inquit, *Romani & tollent locum nostrum & gentem?* Tertiò, Consultandum erat, An propter temporale incommodum Reipublicæ occidendus esset innocens? Cùm, docente Apostolo, *Non sint facienda mala, vt inde eueniant bona.* Tertiò, sententia iniusta deprehenditur ordine, quia nõ auditum decernunt interficiendum, indicta causa, absentem etiam, morti adiudicãt, contra omnem ordinem iuris. Scribit Theodoretus Historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. c. 16. Liberius Episcopus Romanus Athanasium defendens, ad Constantinũ Imperatorem dicit: Nũquam auditum est, Imperator, Rege absente iudicem de impietate ac scelere sententiam pronuntiasse, quasi priuatum odiũ in hominem exerceat. Hęc ille. Isti autem omnes leges, omnia iura tam diuina quàm humana præuaricantur, nec Deum nec homines vllo modo reuerentur. O perditissimam tunc ciuitatem Hierusalẽ, in qua verè completur illud Isaiæ c. 1. vaticinium: *Iustitia habitauit in ea, Nunc autem homicidæ.* Faxit Deus, vt Reges & magistratus nostri secundum Dei voluntatem, & ad æquitatis normam, iurisq; diuini amussim ac regulam iudicent, regant, subditósque sibi populos, sapienter & in Dei timore moderentur: Consilia optima ipsi sequãtur, vt fœlix faustumq; sit quod designant & aggrediuntur. Nam ecclesiastici vigesimo septimo. *Facienti nequissimum consilium super ipsum diuoluetur, & non agnoscet vnde adueniat illi.*

Mat. 22. *Mat. 17.* *Ioan. 18.* *Theodoretus.* *Isa. c. 1.* *Eccl. 27.*

Sicut contigit Caïphæ, & improbis istis conciliariis. Pollicetur Deus per Prophetã: Isaię 1. *Restituã iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Fiat fiat.

Isaia 1.



SABBATO POST DOMINICAM IN PASSIONE.

De Vnguenti effusione. Ioan. 12.

Ante sex dies Paschæ venit Iesus Bethaniam, & fecerunt ei cœnam ibi, &c.



PRimò indicandum iudico, cur hoc ordine positum sit præsens Euangelium, cùm aliud in Ecclesiastico legatur officio? Respondeo, Propter seriem ordinémque historiæ. Siquidem Dominica sequens, Palmarũ inscribitur. Contigit autem præsens historia, *Ante sex dies Pascha*, nempe præcedenti Sabbato. Nam Ioan. 12. Vnde desumptum est hoc Euangelium, post hãc narrationem dicitur: *in crastinum, turba multa quæ venerat ad diem festum, acceptis ramis palmarum Christo precessit obuiã, clamãtibus vniuersis Osanna.* Nota igitur quòd illo anno occurrit festum Paschæ feria sexta cum Christus passus est, Ita vt sextus dies ante Pascha fuerit dies Dominicus, quando Dominus cum ramis palmarum Hierosolymam intrauit. Sabbatho autem immediatè præcedenti Christus venit in Bethaniam. Et hoc est quod dicitur, *Ante sex dies Paschæ venit Iesus Bethaniã. Martha autem ministrabat.* Valde probabile est, secundũ quorũdam sententiam in ædibus Marthæ factam esse Christo cœnam. Quod disertis verbis dicit hoc loco Theophylactus, dicẽdo, inquit: quòd Martha ministrauit, significauit quòd in domo eius cœna fuerit. obserua autem fidẽ mulieris, quomodo nõ permiserit ancillis ministeriũ, sed per seipsam ministret, Et Paul. 1. Tim. 5. de muliere vidua dicit, *quæ sanctorum pedes lauerit.* Igitur ipsa omnibus ministrat. Hęc Theophylactus in Ioan. ca. 12.

1. Tim. 5.
Theophi.

Hospi

Hospita enim eius fuit Martha: Luc.10. *Intrauit Iesus in in quoddam castellum, & mulier quadam Martha nomine excepit eum in domum suam.* Et fortè non videtur magnũ Christo ad mensam ministrare: Sed si circunstãtias attendimus magnum quid & egregium tunc præstitit Martha. Non enim curat Pharisæorum inuidiam, nec mãdatum. Ioan. 11. Dederant Pontifices & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit Christus, indicet vt apprehẽdant eũ. Quæ priùs illum exceperat, nunc quoque humanissimè suscipit Item ministerium non ancillis suis committit, sed per seipsam exhibet. Sciebat enim Christum dixisse: Luc.9. *Qui me erubuerit coram hominibus, similiter hũc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorũ Angelorũ.* Quod si hoc cõuiuiũ Christo in domo Symonis leprosi, vt alij referunt Euangelistæ, iuxta quorundã veriorẽ opinionem, factum sit, ad Marthę etiam commendationẽ id facit, quòd in domo aliena ipsa etiam ministrauit. *Ioan. cap.12.* *Luc.10.* *Ioan. 11.* *Luca 9.*

Lazarus vnus erat ex discumbentibus, &c. scilicet à sua resurrectione, Viuebat, loquebatur, epulabatur, veritas ostẽdebatur, infidelitas Iudæorum confundebatur, ait D. Aug. ad hunc locum: Per comestionem, veritas resurrectionis eiusdem patebat omnibus, vt non videretur phantasma. *D. Aug.*

Maria accepit libram vnguenti nardi pistici, &c. & effudit super Christi caput. Atque adeò abundans copiosáque fuit illa vnctio, vt ad pedes vsq; defluxerit, & stillauerit. Pedes ideò hîc per amplificationem exprimuntur. Mirum quid, Ioãnes Baptista in Iordane tangere formidat sacrum Domini verticem, Matth. 3. hæc autem etiam vngit. Nec temeritas est, sed charitas. Cant.2. *Amore langueo:* Amor nescit habere modum. *Nardi vnguentum sumpsit:* Valet autẽ ad instaurandas vires defessas, mira odoris fragrantia recreans & exhilarans, & Christum, quem fessum videbat, illo perfudit liquore admodum pretioso. Completurque illud Canticorum cap.1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Vnguentum illud pretij magni erat, Quod Pistici Græco vocabulo insinuatur, πιστις enim fides dicitur. Ergo vnguentum nardi fidelis & non sophisticæ, pretiosum & spectatum, Gallicè, dicimus (*loyal & exquis,*) attulit in alabastro, delicatiori vasculo, quod illa effregerit super Christũ. Ideo pistica nardus appellatur. Inde πιστικος, hoc loco sumitur pro fideli, & non adulterato vnguẽto. Sic enim Theophylactus in Marc.c.14. de Nardo *Matt. 3.* *Cant. 2.* *Canti. 1.* *Theoph.*

pistica, ait, scias, quòd est species quædam nardi: quæ pistica dicatur, vel quod sincera sit, & non adulterata, vel cum fide confecta. Hæc ille. Ex nardo fiebant pretiosissima vnguenta, quibus Romani solebant capillos delibutos habere. Vnde Tibullus Poëta lib. 2. Elegia 2. canit:

Tibullus.

Illius è puro distillent tempora nardo.

Plinius. Plinius libr. 12. cap. 12. de Nardo & differentiis eius amplissimè tractat & disserit, his verbis: De folio Nardi plura dici par est, vt principali in vnguentis: Frutex est graui & crassa radice, sed breui ac nigra, fragilique quamuis pingui, folio paruo densóque. Cacumina in aristas se spargũt: ideo gemina dote nardi spicas ac folia celebrant. Adulteratur & pseudonardo herba, quæ vbique nascitur, crassiore atque latiore folio, & colore languido in candidũ vergente Syncerum quidem leuitate deprehenditur & colore ruffo, odorísque suauitate, &c. Pretium spicæ in libras 90. in nostro orbe proximè laudatur Syriacum, mox Gallicũ. Hæc ibi. Pseudonardum herbam, tanta suauitatis fragrantia vt omnes flores odoris suauitate prouocet: qua dote in vestibus inseritur (vt scilicet benè oleant) duplicem cõstituunt. Alia spicæ sibi nomen apud nos arrogauit, vulgò Aspicum vocant, alia autem, quia balneis & lauacris expetitur, lauanda vulgo & lauandula appellatur. Vtraque pseudonardi specie Narbonensis prouincia maximè abundat. Hæc est Calepino Dictione Nardus. Ergo Nardus probata & spectata, velut ἄδολος, hoc est germana, nulla arte vitiata, Vocabulo Pisticæ significatur nomine à πίστις deriuato. Nam vt docet supra Plinius, miris modis adulterabatur, quum variæ sint Nardi species, & multæ etiam numerentur herbæ, quæ nardum imitentur. De Alabastro autem Plinius libr. 36. c. 8. hunc, (scilicet Onichem,) aliqui lapidem alabastritem vocant, quem cauant ad vasa vnguentaria, quoniam optimè seruare incorrupta dicitur. Hic cæteris candidior. Hæc ille. Erasmus autẽ in Mat. cap. 26. Annotat ἀλάβαστρον inquit, delicata pixis vnguentaria vitrea, ita dicta à λαβεῖν prehendere, & particula priuatiua α addita per pleonasmum ρ, quòd ob læuorem cõprehendi non possit. Sic & Horatius: *Nardi paruus onix.* Hæc ille. Dictionarium autem seu Lexicon Græcolatinũ, per Crispinum Anno Domini 1566. in lucem editum ἀλάβαστρος ὁ & τὸ ἀλάβαστρον ab α, & λαμβάνω, quòd capi non possit propter læuorem. Dioscorides libro 5. Ἀλαβαστρίτης λίθος

Plinius.

Erasm⁹.

Horati⁹.

Lexicon Græcolatinum.

Dioscorides.

λίθος ὁ καλȣ́μενος ὄνυξ, id eſt, Alabaſtrites lapis, qui onix etiã vocatur, vt ſupra patuit ex Plinio. Hæc ibi. Suidas quoque, Dictione Ἀλάβαστρον ſic habet ἄγγος μύρȣ μὴ ἔχων λαβάς λίθινον ἢ λίθινος μυροθήκη. Hæc ille. Hoc eſt, vas vnguẽti lapideum non habens anſas, quibus prehendatur, vel lapidea theca vnguentaria. Erat enim vaſculũ ſine anſis, quod propter ſummam læuitatem vix comprehendi teneri-ue poſſet. Plinius lib. 13. cap. 2. Vnguenta, inquit, optimè ſeruantur in alabaſtris, odores in oleo. vt ſupra etiam ex eodem attigimus. Herodotus lib. 3. poſt principia. Referens quomodo Cambyſes Perſarum Rex per Icthyophagos, id eſt, piſce veſcentes, legatos ſuos Æthiopum Regi munera obtulit, inter dona ponit, Vnguenti alabaſtrum, καὶ μύρȣ ἀλάβαστρον habet cõtextus Herodoti Græcus. Libram vnguenti nardini, atque confectionis probatæ: Ioannes c. 12. dixit: *Pretium Iudas expreſſit*, nempe denariorum trecentorum, id eſt, coronatorum frãcorum triginta, ex quorundam ſupputatione Nardinum, ait Plinius lib. 13. cap. 1. ſub finem, ſiue foliatum conſtat inter cætera nardo, myrrha, balſamo, &c. In hoc genere conueniet meminiſſe herbarum quæ nardum Indicum imitentur, ſpecies nouem à nobis eſſe dictas: tanta materia adulterandi eſt. Hæc ille. *Pedes vnctos dixit* Euangeliſta. Ordinaria erat capitis vnctio, Matt. 6. *Vnge caput tuum ieiunans.* Lucæ 7. *Oleo caput meum non vnxiſti.* Vnde & Plinius in nimia luxuria deputat, quòd talos quidam vngerent. Sic enim lib. 13. cap. 3. Vidimus etiam ait ille, veſtigia pedum tingi: quod M. Othonem mõſtraſſe Neroni principi ferebant. Quæſo vt qualiter ſentiretur iuuarétque ab ea parte corporis? Hæc ibi. Quod Ioannes de pedibus loquitur, perinde valet, ac ſi dixiſſet, totum Chriſti corpus vſque ad pedes fuiſſe delibutum. Eſt enim auxeſis ſiue exaggeratio in voce Pedum. *Domus autem*, ait Euangeliſta *repleta eſt ex odore vnguenti.* Non erat ſimplex liquor ex nardo elicitus: ſed varia erat confectio ex rebus odoriferis. Non ergo mirum perfuſam fuiſſe totam domum odore.

Suidas. *Plinius.* *Herodot.* *Plinius.* *Matt. 6.* *Luc. 7.*

Narrat Plinius loco præcitato P. Licinium Craſſum. L. Iulium Cæſarem Cenſores, edixiſſe, ne quis venderet vnguenta exotica. Sic enim appellauêre. Effudiſſe autem ſuper caput Chriſti recumbentis refert D. Matthæus cap. 26. Hoc pro conſuetudine patriæ fecit, qua in lautis & opiparis conuiuis amicorum ſingulares amici hoc veluti

Plinius. *Matt. 26*

recreationis

recreationis genere excipiebantur,& honorabantur,vt videre est.Luc.7.In conuiuio Pharisæi.Huc respicit Dauidis allegoria Psal.22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me:Impinguasti in oleo caput meum.*Et in alio psalmo:*Oleum peccatoris nõ impinguet caput meum.*Vnguento autem vtebantur non ad pedes,sed ad caput vngendum: Maria autem præter consuetudinem tanta vnguenti copia vsa est, vt ad pedes quoque dimanarit. Quod D. Ioannes amplificat.Magnam verò hìc Mariæ fidem, & in Christum affectionem considerare oportet : quæ tam pretiosum vnguentum , quo vti solebat in delitiis , tam largiter à capite ad pedes vsque Christi effuderit. Benefacies nihil territa Pharisæorum execrationibus , nihil mota aliorum irrisionibus, vel murmurationibus contenta quòd Christus æqui bonique consuleret hoc ministerium , quod quidem gratum habet Christus,vt in sequentibus ingenuè profitetur , non quòd voluptatibus caperetur, sed quia ex magna fide & deuotione opus procedebat : Iterum quia præfigurabat mortem & sepulturam, quam voluit esse gloriosam. Sed antequam vnctionis istius materiam absoluamus,Propter multorum diuersas hac in re opiniones , Primùm videndum est de cõciliatione, consensu seu cõcordia Euangelistarum : circa hanc narrationem scribit doctissimus Cornelius Iansenius Episcopus Gandauensis , Concordiæ Euangelicæ c.109. Quòd quidam, secuti Originẽ & Chrysostomum,existimant vnctionem , cuius mentio fit à Matthæo c.26.& Marco c. 14. diuersam esse ab vnctione cuius meminit Ioannes cap.12. hoc loco,ob quædam ab eis non similiter narrata,imò quę repugnare videntur.Inter huius sententiæ defensores & assertores nominantur ex hæreticis Andreas Osiander , Annotationum in Harmoniam Euangel.lib.3. cap.35. Ex Orthodoxis & Catholicis, Dominus Gagneius Doctor Theologus Parisinus,in Matthęum, & alios Euangelistas. Momenta rationum quibus illi permouentur, hæc sunt in summa:Primum,quia vnctio cuius Ioannes hìc meminit facta est antè introitum solemnem in Hierusalem , de quo proxima Dominica παλμῶν , dicemus : Ea autem , cuius Matth. & Marc. meminerunt , videtur facta biduo ante Pascha. Deinde , quia illa facta est à Maria sorore Lazari , hæc à muliere innominata. Venit mulier habens alabastrum vnguenti, non expresso, sed tacito mulieris proprio nomine,ait vterque Euangelista.Illa videtur

Luc.7. *Psal. 22.* *Iansenius.* *Origenes et Chrysost.* *Osiãder.* *Io. Gagneius.*

videtur facta in domo Marthæ, vt supra ex Theophylacto deduximus: hæc autem facta est in domo Symonis Leprosi. In illa vnguntur pedes, in hac super caput recumbentis dicitur effusum fuisse vnguentum. Ibi solus Iudas obmurmurat, hic verò omnes discipuli, aut saltem eorum multi.

Verùm hæc non euincunt, diuersam fuisse vnctionem, imò adeò multa in vtráque narratione conueniunt, vt absurdum sit dicere diuersas fuisse vnctiones. Vtraque enim in Bithania circa tẽpus passionis facta est à muliere. Vtraque fit vnguento magni pretij & æstimationis, indignationem discipulorum in vtraque secutam Dominus similiter cohibuit. Cui autem verisimile illi facient, qui diuersas dicunt vnctiones, discipulos ausos fuisse reprehendere factum, quòd Dominus tam grauiter antè paucos dies defendisset, & committere id, propter quòd Iudas fuisset seuerè adeò increpitus? Illi enim volunt hanc quàm Ioannes descripsit priorem factam, sexto scilicet antè Pascha die, nempe Sabbatho ante Palmas, illam autem quàm alij narrant biduo ante Pascha.

Itaque ad rationes allegatas respondendum est, Tenendo non diuersas esse, sed vnam eandémque apud tres descriptam historiam & vnctionem. In qua sententia est D. Augustinus, optimus fidúsque antiquitatis interpres, quẽ etiam sequitur D. Cyrillus in Ioannem, vnam asseuerans vnctionem. In qua me profiteor stare & manere sententia. *D. Aug. & D. Cyrillus.*
Ergo D. Augustinus tom. 4. libr. 2. De consensu Euangel. cap. 78. sic scribit: Quomodo post sex dies futurum erat Pascha ex Ioanne, post biduum autem ex Matthæo, & Marco? Qui ita mouentur non intelligunt Matthæum & Marcum, illud quòd in Bethania de vnguento factum erat recapitulando posuisse.

Non post illam de biduo prædicationem suam, sed ante iam factum, cùm adhuc sex dies essent ad Pascha. Recapitulando ergo illi duo Euangelistæ ad illam diem redeũt in Bethaniam, qui erat antè sex dies Paschæ, & narrant quòd & Ioannes de cœna & vnguento. Hactenus ille. Responsio plana est ad primam obiectionem, dicẽdo Biduum cuius meminerunt duo Euangelistæ ad scelus Iudæ referendum esse, non ad cœnam istam Christo factam. Quòd vt explicatius sit, quasi per parenthesim, facinoris istius occasionem prius sumptam ex vnctione Bethaniæ facta descri-

describunt. Nam antequam Iudam ad principes Sacerdotum abiisse narrent, per recapitulationem, quæ prius Bethaniæ facta fuerant, repetunt : non vt quando cœna hæc, sed quando traditio per Iudam facta, & vnde ille ad eam motus sit declarant. Ad secundam autem dicẽdum, Quòd omissum est à duobus, Ioannes qui post hos duos scripsit suppleuit, Mariæ exprimens nomen. Ad tertiá, dicendum: Ex eo quòd Martha ministrabat, non propterea sequi hanc cœnam factam in domo Marthæ.

Nec dicit Ioannes Lazarum cùm suis sororibus fecisse Domino cœnam, sed indefinitè fecerunt ei cœnam quòd perinde est ac si impersonaliter dixisset : Facta est ei cœna in Bethania, eo quòd locum cœnæ satis explicassent reliqui duo Euangelistæ, nimirum in domo Symonis Leprosi, qui alius est à Symone Pharisæo, qui Dominum ad prandium inuitauerat, & in cuius domum Magdalena pœnitentiam actura se contulerat. Luc. 7. Vt sentit D. Augustinus libro prænominato De consensu Euangel. cap. 79. Nec enim nouum est vt duo homines eodem vocentur nomine. & sint æquiuoci, vt duo Iacobi, Duo Iudæ, Duo Ioannes, Duo Symones Petrus & Thadæus in Euangelio, potius credibile est, ait Augustinus vbi suprà, alium fuisse illum Simonem Luc. 7. non Leprosum, in cuius domo hoc in Bethania gerebatur. Hæc ibi. Ad Theophylactum oppositum sentientem asserentémque in domo Marthæ factum fuisse conuiuium, dicendum quòd hæc fuit eius opinio. Sed cum Augustino & loco expresso Euangelij tenendum est in domo Simonis Leprosi, non quidem tunc, sed à Christo mundati prius, cœnam factam esse. Ad Quartam obiectionẽ de pedibus & capite vnctis, Respondeo, vtrumque factum esse. Et primùm Mariam vnxisse pedes, & deinde quòd supererat vnguenti effudisse super caput eius, effracto etiam, vt habet Marcus, vasculo, quo nihil sibi vnguenti reseruaret. Ad Quintam, Quòd Ioannes solùm Iudam, alij pluraliter Discipulos scribunt murmurasse, dico per synecdochen, qua multis tribuitur quòd vnus fecit, intelligendum : quemadmodum latrones blasphemasse Christum scribuntur, cùm id vnus tantùm fecerit. Sed hæc suffecerint attento Lectori ac diligenti.

D. Aug.

Consideremus hoc conuiuio Symeonem se gratum ostendisse erga Christum benefactorem, qui illum à Lepra curauerit, cui tamen mundato, Leprosi nomen etiá postea remansit.

remansit. Sic olim Sunamitis excipiebat Eliseum Prophetam in 4.Reg. Sic Abraham hospites, etiam Angelos in virili forma & specie seu habitu. Genes.18. & Loth similiter, cap.19. Hospitalitatem hoc exemplo docemur. Matth.25. Dicet Christus in iudicio: *Hospes eram & collegistis me, &c.* Semper apud homines prophanos non modò laudata, sed vna ex præcipuis virtutibus habita fuit hospitalitas. Ac proinde in quibus extremam barbariem ac mores prorsus efferatos damnare vellent, eos ἀξένους, vel, quòd idem valet inhospitales vocabant. Ælyanus Var. Hist.lib.4.c.1.refert, Quòd Leucanorum quædam Lex sic habet: Si sub occasum Solis venerit peregrinus, voluerítque sub tectum alicuius diuertere, & is hominem non susceperit, mulctetur & pœnas luat inhospitalitatis: vt mihi quidem videtur, & viuenti, & Ioui hospitali. Hæc ibi. *4.Reg.* *Gen 18. & 19.* *Matt. 25* *Ælianus*

Sicut Matthæus fecerat Domino conuiuium, ad Christi consortium euocatus, quò animi sui in ipsum propensionem ostenderet: Sic & Symon iste, de quo Petrus Comestor in Historia Scholastica de Euangelio cap. 116. Symon, inquit, fuerat Leprosus, & à Domino sanatus, sed tamen adhuc pristinum nomen manebat. Sicut & adhuc Matthæus dicitur Publicanus Matth.10. in Catalogo Apostolorum, cùm tamen cap. 9. narrauerit se fuisse à Domino conuersum, & relicto teloneo Christum sequutum. Martha autem quamuis nobilis ministrabat, nec se satis hoc ministerio dignum iudicabat. Quid enim maius & excellentius esse potest, quàm Iesu famulari? Nam, *Seruire Deo regnare est*, vt in quadam collecta dicitur. Eo ipsó nihil se Rege indignum Dauid fecisse dicebat, quòd ante arcam cantando saltasset: licet à Michol despiceretur. 2. Reg. 6. *Vilior fiam, ait, magis quàm factus sum, & humilis ero in oculis meis.* Quædam sunt nobiles viduæ ac diuites quibus videtur indignum ministrare pauperibus, aut Sanctorum pedes delicatis manibus tangere, sed nec dignæ erunt tales in futuro sæculo Sanctorum esse consortes, quos in præsenti respuerunt. En Marthæ diligentiam sibi proponant, quæ Christo nō semel fideliter inseruiuit. Refert de Helena sanctissima muliere Sozomenus Hist.Eccl.lib.2.c.1.Fama est, inquit, Helenam Constantini matrem Hierosolymis tum commorantem, omnes sacras virgines ad epulas conuocasse, illis ministrasse in conuiuio, apposuisse cibaria, aquam manibus fudisse, aliáque obisse munera; quæ à conuiua *Comest.* *2.Reg.6.* *Sozomenus.*

conuiuatorum seruis administrari solent. Scribitur etiam lib.10.Hist.Eccl.Ruffino auctore cap.8.Quòd Helena virgines,quas ibi reperit Deo sacratas,inuitasse ad prandium dicitur,tantáque eas deuotione curasse, vt indignum crederet,si famulorũ vterentur officiis,sed ipsa manibus suis, famulæ habitu succincta, cibũ apponeret, poculum porrigeret,aquam manib⁹ infunderet & Regina orbis ac mater Imperij famularum Christi se famulã deputaret. Hæc ibi. *Ruffinus.*

Lazarus vnus erat ex discumbentibus. Petrus Comestor vbi supra, sic de Lazaro scribit: Qui, vt ait Augustinus De verbis Domini, conuiuis interrogantibus loca pœnarum & sedes inferni, diligenti narratione indicauit: Et ita inferi longis temporibus ignorati, tandem inuenerunt proditorem. Hæc ibi, id est, vt interpretor, aliquem qui inferos, & quæ illic agerentur proderet ac declararet. Nempe Lazarum ab inferis suscitatum. *Comestor.*

Maria attulit libram vnguenti &c. Vt lassum Christum releuaret ac recrearet defessum, non recedens à mole Palestinæ,quasi ei diceret: *Quærens me sedisti Lassus &c.* Ipsa quoque quærebat soli placere Christo, sicut dicit Apostolus: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Et Psalmographus: *Dominus dissipat ossa eorum qui hominibus placent,confusi sunt &c.* Prius vnxerat pedes, modò caput etiam vngit, de virtute in virtutem progrediens. Marcus dicit,Fractum fuisse alabastrum, vnde videtur deliçatius fuisse vasculum,nempe vitreum vt verisimile est, aut lapideum marmorei generis,sed non tam durum vt frangi facilè non posset. Sciuit Christus caput pedésque vnguento pretioso perfundi: qua vnctione se Messyam, id est Christum Domini & vnctum docet, quem Pater vnxerit Spiritu sancto.Psal.44.*Vnxit te Deus,Deus tuus oleo lætitiæ.*& Psal. 132.*Sicut vnguentum in capite,quòd descendit in barbam, barbam Aaron, & in oram vestimenti eius*, vt vnctionem in se & in membra effusam doceret. In se quidem, vt in caput: In membra vt pedes. Oportebat ex lege Pontifices cæterósque sacerdotes oleo perungi. Dicam & hac vnctione Regem illum significari, cùm & illi è cornu perfunderentur. Ex prophetis etiam quidam,vt Eliseus ab Helia, vngebantur. Sic igitur, Et Rex & Sacerdos,atque Propheta in lege promissus,Christus hac vnctione declaratur. *Psal.44.* *Psal. 132*

Vnus ex Discipulis Iudas Ischariothes dixit: Quare non vaniit trecentis denariis vnguentum. In tam paruo collegio,

duodenario tantùm numero Apostolorum, inuentus est vnus Diabolus, calumniator scilicet, detractor, & murmurator. Ioan. 6. *Nónne duodecim vos elegi, & vnus vestrum Diabolus est?* In omni congregatione reperiuntur mali quidam bonis permixti. In domo Adami Abel & Cain: In domo Noë Sem, Cham & Iaphet: In domo Abraham, Isaac & Ismaël: In domo Isaac, Iacob & Esau: In domo Iacob, Ioseph & reliqui fratres qui eum vendiderunt. In domo Dauid, Salomon Absalon & alij. Inter Israëlitas, Chore, Dathan, & Abiron rebelles & perduelles. *Inter filios Dei astuit etiam Sathan* Iob, cap. 1. Saül inter Prophetas: Inter baptizatos Symon Magus: Inter 7. Diaconos Nicolaus. Act. 6. A quo Nicolaitæ hæretici cognominati: Inter triticum reperta sunt etiam zizania Matth. 13. Inter bonos pisces in sagena inuenti sunt etiam mali: Inter virgines aliquæ prudentes, aliæ fatuæ deprehenduntur. Matth. 25. In area cùm grano permixta est etiam palea. Hinc D. Augustinus tom. 2. Epist. 137. Et canonizatur Cant. Quantumlibet vigilet &c. Distinctione 47. Mihi, ait, arrogare non audeo, vt domus mea melior sit quàm arca Noë, vbi inter octo homines, reprobus vnus inuentus est, aut melior sit quàm domus Abrahæ vbi dictum est: *Eiice ancillam & filium eius*, aut melior quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, aut melior quàm domus ipsius Iacob, vbi lectum patris filius incestauit, aut melior quàm domus ipsius Dauid, vbi filius eius cum sorore concubuit, Cuius alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellauit, aut melior quàm cohabitatio ipsius Christi, in qua vndecim boni perfidum & furem Iudam tolerauerunt, aut melior sit postremò quàm cœlum, vnde Angeli ceciderunt. Hæc D. Augustinus. Non est tamen vituperandum ob vnum malum, sanctum collegium. Nota ex eodem Augustino vbi supra, Contra Apostatas & desertores sui instituti, Quomodo inquit, difficilè sum expertus meliores quàm qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores quàm qui in monasteriis ceciderunt. Ita vt hinc arbitrer scriptum in Apocalypsi: *Iustus iustior fiat, & sordibus sordescat adhuc.* Hæc ibi. Nota de Iuliano Apostata, Luthero etiam transfuga, & similis farinæ perditissimis nebulonibus, excucullatis monachis, quibus nequius nihil inueniri potest. Hier. 24. *Ficus bonas, bonas valde, & malas, malas valde.*

Ioan. 6. *Iob ca. 1.* *Act. 6.* *Matt. 13.* *Mat. 25.* *Decretũ Gratiani* *Hier. 24.*

Per quam loquēdi formulam, bonos, malósque religiosos intelligere possumus. Nunc occurrit locus contra mur-
1. Corin. 10. murationem & detractionem. 1. Corinth. 10. *Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt & perierunt ab exterminatore.* Est autem obmurmuratio, oblocutio indebita contra factum vel dictum alicuius facta. Multiplex verò est genus murmuris. Quoddam est malignitatis, sicut cùm quis murmurat contra dicta vel facta bonorum
Luc. 5. vilipendendo, & sinistra interpretatione damnando. Luc. 5. *Murmurabant Pharisæi, quòd Christus comederet cum peccatoribus.* Aliud est impatientiæ in aduersis, Vt qui non possunt sustinere aliquid tribulationis, quin statim murmu-
Num. 11. rent: Numer. 11. *Ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum.* Aliud est Elationis, & inuidentiæ, eorum qui, eo quòd non assumuntur ad honores &
Num. 17. officia murmurant: Numer. 17. *Cohibebo querimonias filiorum Israël, quibus contra vos murmurant.* Aliud est Gulæ, eorum qui murmurant eo quòd non reficiuntur ad saturita-
Psal 58. tem seu voluptatem eorum. Psalmo 58. *Si verò non fuerint saturati, murmurabunt.* Monet autem Sapiens capite pri-
Sapiēt. 1. mo, libri Sapientiæ his verbis: *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest, imò plurimùm nocet.* De Sanctis Martyribus canit Ecclesia: *Non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito, mens bene conscia, conseruat patientiam.* Qui murmurat contra potestatem seu prælatum suum, *cum omnis potestas à Deo sit, & qui potestati resistit Dei ordinationi re-*
Rom. 13. *sistit:* Rom. 13. contra Deum consequenter dicitur murmu-
Exod. 16. rare. Exod. 16. *Non est murmur vestrum contra nos, sed contra Dominum Deum.* Vitium murmuris filios Israël exclusit à
Nu. 14. terra promissionis. Numerorum 14. *Omnes qui murmurastis contra me non intrabitis in terram, &c.* Sic nunc excludit à regno cœlorum. Propter peccatum murmuris Maria so-
Num 12. ror Moysi percussa est lepra, Numer. 12. Propter hoc pec-
Num. 11. catum, ignis accensus deuorauit partem castrorum, Numer. 11. Propter hoc peccatum Dathan & Abiron absorpti
Nu. 16. sunt, Numer. 16. Propter hoc peccatum misit Deus serpen-
Num. 21. tes ignitos, qui eos subitò comedebant, Numer. 21. Vitium murmuris est perturbatiuum societatis bonorum, & contagiosum. Sicut vno porco gruniente, alij idem incipiunt: ita vnius murmuratio, facilè inducit alios ad murmurandum, & ita tota congregatio conturbatur. Sicut & præsenti Euāgelio intimatur, ex Iudæ murmure, quosdam,

vt Matth.

vt Matth. & Marcus referunt, ex discipulis ad murmurandum incitatos, quamuis longè alia intentione, quàm Iudas obmurmurauerint. Sic Numer. 14. *Exploratores reuersi murmurare fecerunt contra Moysem, omnem multitudinem detrahentes terræ quòd esset mala.* Rom. 1. *Susurrones, Detractores, Deo odibiles ac exosos pronunciat Apostolus.* Detractor comparatur serpenti, Ecclesiastes capite 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Serpens est animal venenosum & proditorium: Sic detractor linguam venenosam habet, & in silentio mordet. Philipp. 2. *Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus.* Sicut autem papilio volitans circum lucernam, gestire videtur vt eam extinguat, sed tamen sæpissimè tam crebro volatu & assiduo, alas potiùs adurit, sibique tantum nocumentum adfert, permanente semper Lucerna, ac perseuerante in sua flamma: Ad eundem modum contingit detractoribus, vt scilicet cùm conentur quantum in se est, alterius famam nomenque obruere, sibi potiùs nocumẽtum prius inferant, animæque interitum, permanente sæpe magísque florente eius nomine, quem canino suo rodunt dente, quemque penitus delere moliuntur. Vt manifestè patet in Iuda obmurmurante, *qui abiens laqueo se suspendit, suspensúsque crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* Magdalena verò ex opposito, à Christo aduersus Iudam defensa est, & immortalitatem nominis sui promeruit, Christo assertore. *Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium, dicetur memorabiturque, quod fecit præclarè in ipsius laudem.* Non est prudentis sapientisque viri murmurare Ecclesiastici 10. *Vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus* Psaltes Regius Psalmo 100. *Detrahentem*, inquit, *secreto proximo suo hunc persequebar.* Iacob. 4. *Nolite detrahere alterutrum, fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi & iudicat legem.* Laërtius libro sexto. Narrat quòd Diogenes Cynicus rogatus quænam perniciſsimè, id est, velocissimè ac celerrimè, aut certè perniciosissimè, morderet bellua. Ex feris, inquit, obtrectator: Ex cicuribus autem (Gallicè *appriuoisees*) adulator. Hæc ille. Et re vera tales bestiæ morsum habent nocentissimum. D. Hieronymus tomo primo Epistolarum ad Celantiam matronam: Nulli vnquã omnino detrahas, ait, semper Scripturæ memor esto dicentis: *Nolite diligere detrahere, ne eradiceris.* Hæc ibi, non citato tamen Scripturæ loco. D. Augustinus

Nu. 14. *Rom. 1.* *Eccles. c. 10.* *Philip. 2.* *Eccle. 10.* *Psal. 100.* *Iacob. 4.* *Laërtius* *D. Hier.* *D. Aug.*

tom. 10. Sermone 26. ad fratres in Heremo, De murmuratione & detractione ex professo differens, hæc scribit: Calcate murmurationes, & fugite eas vt mortem. Nam murmurare & detrahere hypocritarum conditio est. Murmurare enim hypocrita non satiatur, de omnibus maledicens, vt ipse solus à cunctis prædicetur beatus. Omnia iudicat, vt nemo sit, qui eum audeat iudicare. Omnia despicit, vt ipse solus sit qui ab omnibus aspiciatur. O hypocrita caue ne ad mensam meam peruenias. Quid enim primò in mea mensa descripsi? Quid primò in ea seruare præcipio, nisi quod.

Quisquis amat dictis absentum rodere famam, Vel vitam.
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi. Vel
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Quapropter, Fratres, si quis murmurare desiderat, nec ad mensam meam accedere præsumat. Hæc D. Augustinus. Cum quo finem dicendi facio hac de materia.

Quare non venit 300. denariis? Primò videtur zelare Magistri honorem. Quasi dicat: Quid tam bonum magistrum molestamus his nugis? Scimus eum non delectari huiusmodi delitiis vel luxu. Secundò honorem totius collegij. Quasi dicat: Nostro conuiuio non conuenit ista magnificentia, Paupertatem professi sumus, Christum pauperem sequēdo: Paupertas nos decet. Quòd si homines hæc resciuerint, Nónne in nobis scandalizabuntur? Tertiò, Videtur zelo ductus erga pauperes, Quasi dicat: Si decretum erat fœminæ, largiri rem adeò caram tantíque pretij, poterat donata vendi, & pretium dari pauperibus: hoc nimirum sanctius erat, ac magistro nobisque dignius. Vide, quomodo bona specie, auaritiam suam palliat. Sic Pharisæi sub specie sacrificiorum aut oblationum in templo, honori subuentionique parentum derogabant, falsò liberis suadentes, vt parentibus suis dicerent. *Manus quodcunque est ex me tibi proderit, &c.* Sic Hugnostici, Cùm de Sanctorum veneratione agitur, sed prætextu honoris Dei, Sanctis eius detrahunt, dicentes: Deum esse zelotypum seu zelotem, nec socium seu comparem habere, vel pati: Cum ipse per Prophetam dicat: *Gloriam meam alteri non*
Isai. 42. *dabo, & honorem meum sculptilibus* Isaiæ 42. Quasi verò eadem & par esset adoratio Dei & Sanctorum: Cùm vnum
Matt. 4. Deum adoremus & solum cultu latriæ Matth. 4. ex Deuteronomio repetiuit Christus: *Dominum Deum tuū adorabis, & illi*

& illi soli seruies : Græcè significantius dicitur. καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, Et ipsi soli latriæ cultum exhibebis, Sanctis autem propter Deum, honorem impendimus Duliæ, quia Δοῦλοι id est, serui sunt Christi. Honor enim est præmium virtutis. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus*, inquit Christus. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus*, ait vates diuinus. Et D. Hieronymus contra Vigilantium Hæreticum, tomo secundo Epistolarum: Quis ô insanum caput, aliquando martyres adorauit? quis hominem putauit Deum? Nónne Paulus & Barnabas Act. 14. cum à Lycaonibus Iupiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua & se homines esse dixerunt? Non quòd meliores non essent olim mortuis hominibus, Ioue atque Mercurio: sed quòd sub gentilitatis errore, honor eis Deo debitus deferretur. Quod & de Petro Act. 10. Qui Cornelium se adorare cupientem, manu subleuauit, & dixit: *Surge, nam & ego homo sum.* Hactenus D. Hieronymus. Quod sic exponendum, Quis aliquando Martyres adorauit? scilicet adoratione summa & suprema, quæ λατρεία dicitur quæ soli Deo competit, nulli præterea. Sic ex elementis Christianæ pietatis, rithmis ac numeris Gallicè conscriptis & editis dicimus: *Vn seul Dieu tu adoreras, & aymeras parfaictement.* Sicut autem Iudas proditor dicebat: *Vt quid perditio hac?* Sic Fœlix quidam nomine tenus, de quo Cassiodorus, Historiæ Tripartitæ libro sexto, capite trigesimo secundo. Præfectus regalium thesaurorum, prius quidem Christianus, vt Apostatæ Iuliano gratificaretur: Videns ornamenta quæ Constantinus & Constantius Imperatores obtulerant, Ecce, ait, in quibus vasis Mariæ filio ministratur. Sanguine toto ex venis incessanter vacuato, celeriter interiit, & morti æternæ traditur. Hæc ibi. Dicunt huiusmodi Sacrilegi & templorum expilatores: Ad quid tot aurei calices? tot vasa argentea? tam affabrè composita ornamenta Ecclesiastica? An non præstaret hæc omnia pauperibus erogari & distribui? Quasi verò non sint alia media subueniendi pauperibus, Quorsum, amabo, tot vestes sericæ, torques, catenæ aureæ, armillæ, in aures, & eius generis muliebria ornamenta? Cur non potiùs distribuitur egenis eleemosyna, quàm tantus luxus, & inutiles sumptus expendantur in vanitatibus? Quorsum, inquiunt, ista templi ornamenta, donaria, & vasa sacra?

D. Hier.

Act. 14.

Act. 10.

Cassiodorus.

ſacra? Cur non in pauperes? Adeo bonus odor vnguenti & deuotionis illis in mortem eſt: Sicut & Iudæ proditori, Odor vnguenti à pia Magdalena ſuper Chriſtum effuſi, cum vehementer offendebat. Audiant, quia & pauperes aiere, & Deum hiſce donariis ſimul honorare poſſumus. An verò pauperum cura tangantur? Minimè verò. Quis nimirum eorum, qui Eccleſiarum donariis inuiderunt, qui ea & rapuerunt, eadem pauperibus impendit? Hugnoſtici ſacras ędes expilarunt, ſacros calices rapuerunt, inſtar Donatiſtarum, de quibus conqueritur Optatus Mileuitanus quos & venundederunt, & in prophanos vſus non in pauperes impenderunt. Tantùm abeſt, quòd etiam Xenodochia ſiue hoſpitales domos, & pauperum hoſpitia diruerunt, monaſteria ſolo æquarunt, annuóſque reditus, quos piorũ Regũ ac Chriſtianorũ liberalitas ſtatuerat abſtulerũt, & impio ſacrilegio rapuerũt. Omnes vtiq; fures & latrones. Non erubeſcunt tamen pauperum curam prætexere, vt longè populi deuotionem expellant. Ea ſpecie & dolo bona ipſa Eccleſiæ expiſcari ſibi volunt. Quis enim eorum non ſacrilegiis delectatur? exiſtimantes quæſtum eſſe pietatem. Audiant quid ea de re Theophylactus in Matt. 26. cenſeat. Sic enim ille, Quando, inquit, offert quis Deo donum, ne auerſeris illum, neque confringas alacritatem eius, abducens illum, vt det pauperibus, ſed ſine implere oblationem. Quòd ſi quis conſilio tuo indiguerit, vtrum oporteat facere, pauperibus dare, vel offerre Deo, conſule illi vt det pauperibus (ſupple ſi adſit neceſſitatis articulus in paupere. Tunc enim vrgente neceſſitate pauperis, præfertur charitas & miſericordia, ſacrificio: *Miſericordiam volo potiuſquàm ſacrificium, ait per Prophetam Dominus*) at quum offert, indignum eſt auerſari illum. Decet enim, vt honorem, quem Deo debemus, præferamus ſimpliciter omnibus etiam miſericordiæ. Noli enim (quia propter miſericordiam, quaſi ſibi facta eſſet) exiſtimare, quòd oporteat contemnere Deum, & eleemoſynam tantũ curare. Quia ſic & ſacrilegiũ liceret, & ex ſacrilegiis eſſet eleemoſyna dãda. verũ nõ ſic ſe habet. Quia non eſt idẽ miſereri pauperũ, & colere ac honorare ipsũmet Chriſtũ.

Optatus. *Theoph.*

Audi, *Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem nõ ſemper.* Vides igitur quomodo aliud ſit curam impendere Chriſto, & aliud miſereri pauperibus: tametſi Chriſtus ſuſcipiat, perinde ac ſi in ſe collocetur, quod pauperibus impendi

pendítur. Hucúſque Theophylactus, Dei, vt eſt nominis iſtius ratio, obſeruantiſſimus. Idem in Marcum cap. 14. *Theoph. in Marcum.* Confundantur hoc loco, qui pauperes Chriſto præferunt. Audiui enim ego aurifabros dicentes, quod ſi ego diſſectum ſacrum vas dem pauperibus, & ego viuam nec *condamner.* Audiãt igitur quomodo Chriſtus præferat ſui curam pauperibus. Chriſti autem corpus propriè, quòd in diſco aureo, & ſanguis qui in poculo. Nota Sacramentariè, Chriſti corpus propriè, in diſco aureo, pateram vulgò dicimus, contineri, ergo *ἀληθῶς καὶ ὑπαρκτικῶς*, hoc eſt, verè & ſubſtantialiter, non typicè aut figuratiuè eſt ſub ſpeciebus ſacramentalibus, Propriè, inquam, vt interprete Oecolãpadio licet hæretico, ſcribit Theophylactus. *Oecolãp. hæretic⁹.* Si mihi nunc affuiſſet copia codicis Græci hunc conſuluiſſem, vt ſcirem quodnam aduerbium Græcum, *τὸ*, propriè, reſpondeat: Facilè ſuſpicor vel *κυρίως* vel *ἰδίως*, vel alterutrum ſupradictorum, *ἀληθῶς, ὑπαρκτικῶς.* Facta mihi copia codicis Græci, ſic in eo legi: *χριστοῦ δὲ σῶμα κυρίως, τὸ ἐν τῷ δίσκῳ τῷ χρυσῷ, καὶ αἷμα τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ.* Hoc eſt, Chriſti autem corpus propriè, quod in diſco aureo, & ſanguis qui in poculo. Sequitur in Theophylacto. Qui igitur abſtulerit diſcũ pretioſum, & cogit vt corpus Chriſti viliori ponatur, prætexens ſcilicet pauperes, ſciat cuius partis ſit. Hæc ibi. Ergo Iudæ ſimilis eſt, qui ſub ſpecie pauperis, ſacrorum eſt expilator vaſorum, & ſacrilegus. *Bonum opus operatam fuiſſe*, dicit Chriſtus: Quibus verbis notatur, quod plerúnque licet non habita ratione pauperum, ſua in cultum diuinum impendere, maximè, inquit Gagneius, In Matt. 26. *Gagneius.* ſi non premit & vrget ingens pauperum neceſſitas. Sic comprimitur Iudæ Iſchariotis murmur. Sic autem dicebatur Iudas Iſchariotes ab Iſchara oppido Iudeæ, vnde ortus erat. Quod Cognomentum addidit Euãgeliſta ad differentiam Iudæ Liebbæi, qui & ipſe ex duodenario erat numero. Hæc Gagneius D. T. ex Theophylacto in Matth. 26. idem, ſcilicet, Gagneius in Marc. 14. Solent, inquit, plurimi occaſionem accipere ſcandali ex bono opere, ex quo potiùs deberent gaudere, & factum laudare. Hinc ad Iudæ ſimilitudinem noſtræ tempeſtatis Hæretici videntes templa pretioſis ornari donariis, & accuratè parari, cùm Iuda quæruntur, & dicunt: *Vt quid perditio hæc? Nonnè melius eſſet hæc dari pauperibus?* Quaſi, quæ in Dei fiunt honorem, in communem non cedant vtilitatem, & pauperum ac di-

uitum deuotionem excitandam. Mulier ergo plus illis erga Deum affecta, dignius duxit Deo offerre, quàm vendere, & in pauperes spargere. Vnde à Deo laude digna reputata, & perpetuis laudibus efferenda ac celebranda. Effundere igitur non timuit pretiosum vnguentum, fracto alabastro super caput Domini, quod nec ægrè tulit Dominus, sed factum laudauit. Hæc ibi. Iudex propter illam vnguẽti effusionem tanquam superfluam, & ad luxum factam. Tamen rebus ad delitias conditis patet hoc exemplo, pios etiam posse vti, modò iuuandi pauperes occasionem non prætereant.

Non dubium, quum Christus tam pretioso vnguento delibutus fuit, quin multi pauperes esurierint: sed non defuit etiam Christo ratio cur passus sit ab hac muliere se isto vnguento, ad cohonestandam suam mortem perfundi. Nemo igitur quærat delitias: nemo tamen rursus eos damnet: qui delitiis non procul quæsitis, sed quæ ad manum sunt, vtuntur. Nihil enim est ab optimo Deo in vsum
1.*Tim*.4. nostrum conditum, quo non possint benè vti pij. 1. *Timot.* 4. *Omnis creatura Dei bona est*, inquit Apostolus. Ad hęc, vt in aliis denique rebus externis, ita & in vsu delitiarũ, discrimen esse Dominus voluit. Dauidem, Salomonem, & alios Sanctos Reges atque principes constat sæpè variis delitiis abundasse, quum multis aliis vix necessarius cibus adesset: neque tamen eo nomine Deo displicuisse. Tantùm adsit dilectio, quæ proximi necessitatem non prętereat: adsit studium sanctimoniæ, ne carnis concupiscẽtiis indulgeatur: adsit denique animus in omnibus Dei gloriam quærens, & nulla creatura fuerit, cuius vsus nocere possit. Sequitur in Textu.

E*t datum est egenis?* Vide prætextum pauperum. Quasi dicat Iudas: Præ cæteris commendatur misericordię opus.
Eccl. 35. Nam Sapiens Ecclesiastici trigesimo quinto. *Qui facit mi-*
Isai.1. *sericordiam offert sacrificium.* Isayas Euangelicus Propheta capit. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum.* Et sequitur: *Subuenite oppresso &c.*
Prou.21. Prouerb. 21. *Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino quàm victima*: Ergo præstitisset dare egenis. Ad hoc dicendum, Quod cùm ingruit necessitas, Durum telum, fauendum vel maximè causæ pauperum. Nam, necessitas non habet legem, vt communi fertur prouerbio, imò tunc licitè darentur ea quæ ad sacrificium pertinent

in

in alimoniam pauperum, dicente Christo: Matth. 9. *Euntes discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium*, ex Oseę c. 6. Et Matth. 12. *Si sciretis quid est, Misericordiam volo & nō sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes*. Vnde D. Gregorius Papa, libro 7. Epistolarum, Indictione secunda Epistol. 14. ex Registro, & Canonizatur duodecima quæstione secunda Can. Et sacrorum, inquit, canonum statuta, & Legalis permittit authoritas licitè res Ecclesiasticas in redē ptionem captiuorum impendi. Et Lege 21. incipit, Sancimus Cod. De sacrosanctis Ecclesiis sub finem, Pro redemptione, inquit, captiuorum, vendere sacra vasa vel vestes, liceat. Nam animæ hominum quibuscunque vasis præferuntur. Hæc Imperator. Thesauros Ecclesiæ vrgente necessitate in vsus pauperum expendere licet, duodecima quæstione secunda Can. Aurum Ecclesia habet, &c. ex D. Ambrosio libro secūdo Officiorum capite vicesimo octauo. Aurum habet Ecclesia non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Nota, in necessitatibus. Nonne dicturus est Dominus, Cur passus es tot inopes fame mori? Certè habebas aurum, vnde ministrasses alimoniam. Melius fuerat, vt vasa viuentium seruares quàm metallorum. Quid, dices? Timui ne templo Dei ornatus deesset, aurum sacrum non quærunt. Ornatus sacrorum redēptio captiuorum est. Ille verus thesaurus est Domini. Nemo potest queri, quia captiui redempti sunt. Melius est, ait D. Ambrosius, pro misericordia inuidiam perpeti, quàm prætendere inclementiam, vt nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, vt captiuos redimeremus, quod Arrianis displicere poterat, vt esset quod in nobis reprehenderent. Ita in populo, inquit ille, causam egimus, multò commodius asserētes, vt animas Domino, quàm aurum seruaremus. Aurum Ecclesia habet non vt seruet, vt supra citatum est. Calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Sic fecit sanctus Laurentius (de quo canit Ecclesia, *Et thesauros Ecclesiæ dedit pauperibus.*) Sanè si in sua aliquis deriuat emolumenta crimen est: Sin verò pauperibus erogat, captiuum redimit, misericordia est. Hucusque Ambrosius. Et D. Hieronymus tomo primo Epistolarum, ad Rusticum monachum, de viuendi forma, sub finem, scribit in hunc modum: Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus, viduę Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, &c. omnemque substantiam Christi

Matt. 9. Osee. 6. & Mat. 12.

D. Greg. Magn.

Decretum.

Lex.

D. Ambros.

D. Hier.

visceribus erogauit. Nihil illo ditiùs, qui Corpus Domini canistro vimineo, sanguinē portat in vitro. Qui auaritiam eiecit è templo. Scribunt Historię Ecclesiast Auctores, Sozomenus, li.4.c.24 Nicephorus lib.9.cap.46 & Tripartitæ Scriptor, li.5.c.37. Quomodo Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, cùm fames Palęstinam occuparet affligerétq;, & ille neq; pecunias neq; frumentum haberet, donaria tēpli, thesaurum Ecclesiæ, & sacra aulæa vendidit, & quoad potuit penuriam populi est solatus. Sic sacra vela distraxit & vasa: Ob eamq; causam iniustè Cyrillus Episcopatu abdicatur, factionē scilicet Arrianorū. Non satis conuenienter, quoniā fames & penuria venditionis huius causa fuère, ait Nicephorus, sed c.49. apud eundē, aliquo tēpore postea Cyrillus ipse, sedem suam recuperauit. Hactenus illi. Surius to.1. Vitarū ex M.S. id est Manuscripto Codice, De Sancto Remberto Archiepiscopo, 4. Februarij, & Crātzius in Metropoli, lib.2.c.10. & 11. de eodem: Ille ad redemptionem captiuorum apud infideles detentorum etiā sacri altaris vasa impendere non dubitauit, Sanctius arbitratus, pretiosas Christo animas in libertatem statuere, quàm aurum intra sacrarium congerere. Dum autem quibusdam minus intelligentibus, non rectè fecisse videretur, quasi in alios vsus conuerteret, quæ sacris essent deputata ministeriis, interrogatus cur id faceret, Respondit: Plus est apud Deum, per res Ecclesiasticas subueniri captiuis Christianis in angustia constitutis, quàm esse queat depositum eas custodiendi. Non sum arguendus impietatis si Christianū, qui filius Dei est, thesauris Ecclesiæ redimo, quia semper inuenire possumus, quod ad vsum sacri ministerij sufficiat: Irrecuperabilis verò damni est, si Christianus in captiuitatis afflictione deficiat: Ille Hamburgensis Episcopus, præcipuam curam habuit, ait cap.11. supra memoratus Grantzius, in eleemosynis pauperum, & in redēptione captiuorum. Hæc ibi. Narrat Socrates Historiæ Eccles. libro 7. capite 21. Quòd Acacius Amydæ Episcopus, Theodosio iuniore Imperante, Persarum captiuorum circiter septem millia fame morientium curauit: cōuocatísque suis clericis dixit: Deus noster neque lancibus neque poculis eget, Nā nec comedit nec bibit. Quare cùm Ecclesia multa monumenta aurea argenteáque possideat, consentaneū est hiśce rebus milites captiuos, & è custodia liberare & fame prope enectos reficere, sustentareque. Ea igitur monu

Sozomenus. Nicephorus. Cassiodorus in Tripartita.

Surius & Crātzius.

monumenta Ecclesiæ conflanda curauit, vendidit, pro captiuis redimendis dedit & nutriendis illis, eósque liberos dimisit. Hactenus memoranda historia. Quid de Regibus nostris Christianissimis hoc loco commemorem? Scribunt Aimoinus de Gestis Francorum lib.4.ca.41. & Guaguinus lib.3. Annalium Franciæ, in Clodoueo huius nominis secundo Francorum Rege, hoc pacto, Clodoueus Rex argentum quo genitor suus absidem (Est autem Absis, authore Onuphio Augustiniano, De Interpretatione vocum Ecclesiasticarum, Fornicis curuatura, & aliquando integra fornix, Gallicè, *La voulte d'vne chasse ou chapelle*, vel, quam nos Ecclesiarum tribunam vocamus alij Absidem vocant, *La lanterne d'vne Eglise, ou la voute*) super sepulchra Martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, prominentem, operuerat: auferri mãdauit, & Aigulpho loci illius Abbati tradi, vt ipse illud egenis, & necessitatem patientibus (quia fames eo tempore totam penè occupauerat Franciam, Vide extremam necessitatem, & calamitatem!) dispartiret. Hunc vocat Deo amabilem principem. Quarto eius Regni anno, tanta annonæ caritas fuit, vt fame atque inedia populus absque modo periret. Cui malo Rex occurrens, tectum quod argenteum erat, à templo Martyrum auferri, & per loci Abbatem Aigulphum, indigentibus erogari iubet. Hucusque Annales Gallici. Nunc verò Ecclesiæ bona & reditus (sunt autem bona pauperum) capit & rapit fiscus. Olim pauperibus reficiendis insumebantur: Nunc autem aulicis, imò histrionibus, lenonibus, meretricibus, & huius factionis nebulonibus indignissimè distribuuntur. O tempora, ô mores! Sed finem facio, si præmonuero, hæc omnia allata exempla probatissimorum virorum, intelligenda esse in tempore necessitatis, in fauorem pauperum. Non quod vlla ex parte fauere velim aut fauendum censeam causæ Iudæ sacrilegi, & similium, quantumuis prætexant bonum & subsidium pauperum. Sequitur in Textu.

Non quia de egenis pertinebat ad eum, sed fur erat: & quæ mittebantur portabat, &c. Non incongruè quæritur, Quare Christus talem habuit dispensatorem, quem sciebat esse furem? Respondet Theophylactus in Ioãnem 12.c. Propter istud ipsum, quòd fur erat, vt omnẽ ei occasionẽ auferret. *Theoph.* Non enim poterat dicere, quòd propter pecuniarum amorem eum prodiderit. Nam satis consolationis ex marsupio habebat, & neque marsupium gerens fidelis erat. Portabat

enim,

enim, hoc est furabatur, quæ mittebantur. Sacrilegus erat in suum vsum rapiens ea, quæ in diuinum dabantur. Audiant sacrilegi quarum partium sint. Et caput malitiæ est, quòd postea vendidit Dominum. Vides quo ferat auaritia?
1.Tim.6. Ad proditionem. Bene igitur Paulus 1. Timoth. 6. *Radicem omnium malorum hanc vocauit*, vtpote quæ prodiderit Dominũ. Hactenus Theophylactus. Iudas igitur proditorum primipilus, seu præcipuus & Antesignanus, institorum & mercatorum pessimus, sacrilegorum perditissimus, Dominum suum 30. vẽdidit denariis, pro quibus 30. maledictio-
Psal. 108 nes ex Psalmo 108. hæreditauit, interprete Apostolorum
Act.1. Coriphæo & Principe, Act. 1. *Episcopatum eius seu Apostolatum accipiat aliter*. Id Spiritussancti instinctu, à Dauide longè ante vaticinatum ac prænũciatum, in Iuda completum fuisse docet Apostolus, cùm in eius locum Mathias subro-
Petr' Comestor. gatus est. Petrus Comestor in Historia Euangelica c. 116. Prædicti psalmi alia verba accommodat ad Iudam: Quæ mittebantur portabat, ait, id est, non solùm ferebat, sed asportabat. Habebat enim vxorem & filios, sicut scriptũ est de eo: *Fiant filij eius orphani & vxor eius vidua, &c.* Vxori
D. Aug. ergo & filiis dabat quæ furabatur. Hæc ille. Et D. Augustinus Tract. in Ioannem 50. tom. 9. de eodem sic dicit: Ecce fur est Iudas, non qualiscunque fur, sed fur sacrilegus, fur loculorum, sed Dominicorum, loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro qualiscunque furti, & peculatus: Peculatus enim dicitur furtum de re publica, & non sic iudicatur furtum rei priuatæ quomodò publicæ: quantò vehementius iudicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit vndecunque tollere, hoc est, & de Ecclesia tollere? Quid aliquid de Ecclesia furatur, Iudæ perdito comparatur. Iudas quę mittebantur portabat. Portabat, an exportabat? sed ministerio portabat, furto exportabat. Hucúsque Augustinus. Bene dictum est, quòd nulla pauperum cura tangeretur. Nam quomodo pauperibus compateretur, qui ipsam pauperum misericordiam in mortem tradere non veretur? Fur erat. Modestissimè dicitur, Potuisset enim atrociori vocabulo illum notare. Erat siquidem proprio domino infidelis & Sacrilegus. Docemur autẽ hoc exemplo, quàm monstruosa bellua sit, πλεονεξία, ἢ φιλαργυρία, id est, habendi cupiditas, vehemens studium, nimiusque pecuniæ amor. Damnũ quod sibi fecisse videtur Iudas, ablata furandi materia, ad tantam eũ rabiem adigit, vt Christum
prodere

prodere non dubitet, vt perditam, quam putabat pecuniam recuperaret.

Sine illam, &c. Matthæus sic habet: *Quid molesti estis huic mulieri? Bonum opus operata est.* Prouer.3. *Noli prohibere eum qui benefacere potest: Si vales, & ipse benefac.* Non est opus perditum, vt oblatrabat Iudas, sed præclarum facinus: & quantam famam & perpetuam Maria est adepta, tantam Iudas infamiam, & perpetuam assecutus est. *Prouer.3*

Vt in diem sepulturæ meæ seruet illud, &c. Quasi dicat: Non sine causa illud permisi. Portẽdit enim meam sepulturam. Quod mortuo mihi facere non poterit, hoc nunc quamuis nescia præuenit. Nemo autem iustè reprehendat, aut perditionem existimabit, quod in sepulturæ funerisque honorem, & sumptus expensum fuerit. Quomodo illi qui culpat aliquem quid facientem dicere solemus: Sine eum quod facit, facere: aut, Sine eum vt faciat quod facit, Sic dictum est. *Sine illam seruare, vel vt serues in diem sepulturæ meæ.* Quasi dicat Dominus: Hãc vnctionem ego ab ea accipio, pro vnctione qua conabitur frustra me inungere. Tamen inquit hoc loco Iansenius, Verissimile magis est Mariam in hac vnctione nihil cogitasse de instante vel morte vel sepultura Domini, sed ipsam simpliciter præ amoris magnitudine, Dominum multis laboribus defatigatum voluisse vnguento optimo perũgere, quemadmodum & aliàs fecerat, pro more Iudæorum, qui in solemnioribus conuiuiis vocatos hospites vnguento vel oleo perfundere soliti erant: Non quòd Maria crederet Dominum huiusmodi capi delitiis, cuius nouerat frugalitatẽ, sed quòd per amoris impotentiam suo indulgeret animo. Ex amoris enim magnitudine rectè illi visum fuit vnguentum hoc, cùm vt reliqua omnia hominum in vsum à Deo datum esset, nulli magis quàm Domino impendendum: vt qui omnium esset hominum excellẽtissimus & Deo gratissimus. Sed cùm dicitur hoc fecisse ad sepeliendum: sic intellige, quòd Spiritussanctus ipsam ignorantem quid ageret mouebat ad hoc opus: significare volens, & quod instaret Domini sepultura, & quod Maria ab vnctione mortuo præstanda impediretur, quemadmodum supra Caiphas nescius dicitur prophetasse. Dicens autem ad sepulturam hoc fecisse, significat eam nõ vnxisse se vulgari modo ad voluptatem, sed causa pietatis ac religionis, & in officium sepulturæ, qua causa mortuorum corpora vngi solita erant apud Iudæos, *Iãsenius.*

dæos,& ipsa mulier postea cupida erat futura vngẽdi mortuum ipsius corpus. Hinc dicendum, Quomodo sanctis viris liceat nonnunquam quibusdam rebus vti, præter metas consuetudinis bonorum, nempe ad significationẽ alicuius mysterij: quemadmodũ Dominus pretioso hoc vnguento præter suam consuetudinem perungi permisit, ad significandum sepulturæ mysteriũ, vt Annotat. D. Augustinus libro tertio. De doctrina Christiana, cap. 18. sic scribẽs: Quisquis rebus prætereuntibus sic vtitur, vt metas consuetudinis bonorũ inter quos versatur excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non vsus rerum, sed libido vtẽtis in culpa est. Neque enim vllo modo quisquam sobrius crediderit Domini pedes ita vnguẽto pretioso à muliere perfusos, vt luxuriosorũ & nequam hominum solent, quorum talia conuiuia detestamur. Hæc ille. Discendum etiam Postremò circa hanc defensionem facti mulieris, quibus rationibus commendandum sit nonnunquam, quòd quidã in templorũ ornatu sint sumptuosi, nimirum, quia huiusmodi sumptus proficiscitur ex ardenti erga Deum & Christum deuotione, adeo vt frequenter præstet in vsus facere sumptus, quàm eosdem pauperibus impendere, vt disertè pronunciat Theophyl. supracitatus in Marcum c. 14. In quibus verbis dubium occurrit. Quomodo conueniant quæ dicit hìc, cum iis quæ idem ex D. Chrysost. super Matth. cap. 26. scripserat, dicens: Si quis te consuluerit, Pauperibus offerre iubeto. Cum ergo Chrysostomus præferat sumptum in pauperes impendi, quàm in templorum ornatum, & sacrorum vasorum constructionem, quomodo Theophylactus cõtrà, videtur præferre curam rerum sacrarum curæ pauperum? Sciendum itaque quòd absolutè quidem melius est & maius impendere aliquid Deo quàm pauperibus, eo quòd dilectio Dei præferenda sit dilectioni proximi: Verùm, cùm Deus bonorum nostrorum non egeat, & proximum propter se diligi à nobis velit, nihilque velit sibi impendi, nisi propter nostram & aliorum vtilitatem & necessitatem: hinc quo cum maiori aliorum fructu quis facultates suas ex Dei dilectione expendit, eo huiusmodi sumptus Deo est gratior: Proinde quandoque gratius illi est, si sumptus aliquis etiam magnus in vsum rerum sacrarum fiat, quàm si pauperibus impendatur, vt cùm non occurrit singularis aliqua pauperum necessitas, & ornatus rerũ sacrarum necessarius iudicatur, ob pro

D. Aug.

Theoph. explicatur.

D. Chry.

ob prouocandam quorundam in Deum fidem & deuotionem. Frequentiùs tamen illi gratior est cura pauperum, quod hæc vt in plurimum sit vtilior, & magis necessaria, id quod respexit D.Chrysostomus. Hucusque doctissimus Episcopus Iansenius. *F.Thomas De trugillo Dominicanus Theolog⁹* F.Thomas de Trugillo, qui Thesaurum concionatorum edidit, to.1. ad hunc locum, *Vt in diem sepulturæ meæ, &c.* Obseruat, quòd alta mente repostum haberet Christus sepulturæ suæ diem, Vt inde discamus mortis nostræ diem ob oculos proponere. Cùm igitur defunctum videris ad sepulturam efferri, considerare debebis, te perinde etiam mortalem esse: Ecclesiastici 38. *Eccle.38* *Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum: Mihi heri, & tibi hodie* Iubebat Dominus plumas auis quæ illi in sacrificium offerebatur, in cineris locum coniici, quo significabatur ad deponendũ omnem fastũ, ex diuitiis, opibus, honoribus, ac luxu insurgẽtem, huiusmodi alas seu plumas ambitionis coniiciendas esse in cineris locum, hoc est, in mentẽ venire debere, Nos mortales esse, ac in cinerem redigendos. Indutus quidem fuit Adam mortuorum animalium pellibus, vt mortis sententiam, in quam per peccatum inciderat, præ oculis haberet. *Puluis es, &c.* Genes.3. *Gen.3.* Et quemadmodum Daniel cineris aspersione, fraudes dolósq; Babyloniorum sacerdotum deprehendit, atque patefecit: Ita nos consideratione mortis debemus technas & Dæmonis astus detegere, ab hisque diligentissimè nobis præcauere. Hæc ibi scribitur ad hoc propositum, in Regula saluatoris, Reuelata Sanctæ Brigittæ c.27. *Sancta Brigittæ regula.* Quòd fossa quædam in monasterio instar sepulchri loco debito haberi debet, quotidiè aperta, ad quam quotidiè egrediantur sorores. Feretrum quoque ante ingressum Ecclesiæ iugiter statuatur, inquit, vbi ab ingredientibus semper videri possit, vt vidẽtes hoc, memoriam mortis in mente habeant, & legant in cordibus suis, quòd terra sunt, & in eam reuertentur. Sic Laërtius li. *Laërtius* 9. in Democrito: Ille, inquit, sæpe solitarius viuens, atque etiam sepulchra incolens. Palladius *Palladi⁹.* de Philoromo Presbytero in Galatia, quem ipse vidit, qui mũdo, tempore Iuliani Apostatæ Imp. renunciauit, in eius vita, ordine 113. scribit, Quòd se inclusit sex annos in monumento, vt sic euinceret timiditatem (quam scilicet quis de morte conciperet. Sed cùm de cinerum ceremonia ageremus, quamplurima in eam rem nos congesisse, quæ inde, si fuerit opus, petenda erunt, sufficerit, vt ad finem properemus.

Pauperes

Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper, &c. Quasi dicat, Dominus: Habetis illos, habetis & me. Illis tenemini subuenire vt confratribus & consortibus eiusdẽ naturæ: Mihi autem vt Redemptori ac Creatori vestro. Nunquam deerit occasio ministrandi proximo, mihi non semper poteritis corporale ministerium exhibere. Non semper habebitis me, sicut nunc habet hæc mulier, passibilem, mortalem, in ista visibili forma. Ioannes Hesselius Louaniensis Theologus, in Matth. 26. sic interpretatur: Me non semper habebitis, Citò carebitis præsentia mea. Non enim sic in posterùm eo vobiscum, vt hactenus fui, familiari conuictu, subiectus communi hominum necessitati, quò huiusmodi corporalibus officiis de me possitis bene mereri. Sic Hieronymus similiter & Augustin⁹ illud Ioannis: Iam ampliùs nõ videbitis me, scilicet mortalem. Sic & illud Lucæ intelligendum est. cap. 24. *Cùm adhuc essem vobiscum*, perinde ac si tunc cum illis non esset, quia non erat ampliùs mortalis, & miser, sicut Apostoli. Porro secundum diuinitatem semper nobiscum est, *vsque ad consummationem sæculi*, Matth. vltim. Secundum autem humanam naturam adest nobis in altari, modo prorsus inexplicabili, longè tamen verissimo. Sic etiam D. Augustinus to. 9. Tract. 50. in Ioãnem exponit hæc verba: Habes, inquit, Christum & in præsenti & in futuro: In præsenti per fidem, in præsenti per signum Christi, in præsenti per baptismatis Sacramentum, in præsenti per altaris cibum & potum. (Notanter dicitur in pręsenti per altaris Sacramentum, propter realem Christi in hoc Sacramento præsentiã. Habes Christũ in præsenti, sed habebis semper: quia cùm hinc exieris, ad illum venies qui dixit Latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso*. Loquebatur igitur de præsentia corporis (sub. visibili) Hæc Augustinus. Subiungit statim: Habuit illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt. F. Thomas *Beaux amys*. D. T. Hæc verba dilucidè, & ad literam consequenter explicat dicens: Me non semper habebitis, qui scilicet vngi possim & contrectari. Nec enim, vt impiè torquent Sacramentarij, hìc negat suam omnino præsentiam Christus, sed eam qualis tum erat, vt tangi posset & vngi. Hæc ille: Alioqui enim verùm est istud: *Hoc est corpus meũ & Caro mea verè est cibus*. Et Ephes. 5. *Vt simus membra corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius*, vt simus per Sacrosãctã dignámque

Ioã. Hessel.

D. Hierony. & D. Aug.

Mat. vl.

Aug. tomo. 9.

Ephe. 5.

dignámque συνάξιν & communionem συσσώμοι, ϰ̀ σὺναιμοι, id eſt concorporei & conſanguinei. Quæ rectè impleri nequeunt niſi nobiſcum maneat Chriſtus reipſa, & ſubſtantialiter nobis præſens, & inuiſibiliter & rectè, ſub ſpeciebus nimirum panis & vini. Faxit Deus Optimus Maximus, & nos in eius fide & mandatorum obſeruantia ac dilectione ſuper omnia maneamus: Quatenus ad patriam peruenire valeamus. Amen.



DECAS QVINTA ET VLTIMA.

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM.

De ingreſſu Domini ſolemni in Hieruſalem, ex 4. Euangeliſtis.

Cùm appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis & veniſſet Betphage, ad montem Oliueti, miſit duos de diſcipulis ſuis, dicens: Ite in caſtellum quòd contra vos eſt. Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. & Ioan. 12. &c.



PERIENDA eſt ratio cur Dominus hunc triumphum alias inſolitum, ſuſceperit: Ipſe humillimus, vt ſedem ſemper aſinam in tanto apparatu, ac pompa, Hieruſalem cùm populi acclamatione ingrederetur? Myſterium propter quòd ita voluit ingredi, fuit, vt tanquam princeps Prophetarum illorum ſtylum ſeruaret, qui res futuras non verbis ſolùm ſed operibus etiam ac cæremoniis prophetabant. Cùm enim volebant aliquid in auditorum cordibus magnoperè imprimere, non ſolùm verbis id dicebant, ſed aliquibus ſignis exterioribus illud ſignificabant: Atque hoc faciebant non ad libitũ ſuum, ſed quia ita Deus illis pręcipiebat: Ita Prophetauit Samuël, quòd Regnũ à Saule in Dauid trãsferendum

1.Reg.15. erat, quando Pallium Saulis abſcidit per medium. 1. Reg. 15.dicens: *Scidit Dominus Regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Prophetauit etiam Ahias ad Hieroboam diuidens pallium in duodecim partes,& dans illi decem, quòd daturus eſſet ei Dominus decem tribus filiorum Iſraël, dicens: *Ego ſcindam regnum de manu Salo-*
3.Reg.11. *monis, & dabo tibi decem tribus* 3. Re. 11. Atque etiam Pro-
4. Reg. 13. phetauit Eliſeus,quòd Ioas Rex Iſraël 4.Reg.13.Deuictu- rus ſuperaturúſque erat ter regnum Syriæ, præcipiens ei
Iſaias ca. 20. vt ſagittas ad oriẽtem coniiceret. Sanctus Propheta Iſaias cap.20. exuit ſe,vadens nudus & diſcalceatus, vt prædicaret quòd nudati & ſpoliati remanſuri eſſent illi,de quibus
Hier.19. vaticinabatur,propter ſcelera eorum.S.Hieremias cap.19. confregit laguncularn figuli teſteam coram populo, vt ſignificaret, quòd tanquam vas figuli confringendi eſſent Hebræi, ita vt non poſſent vltra inſtaurari: & cap. 27. dictum eſt eidem: Fac tibi catenas & pones eas in collo tuo. Quatenus ſignificaret,& Iudæos,& qui illis auxiliari vellent,finitimos Reges,in ſeruitutem & captiuitatis iugum, ſub Nabuchodonoſore Rege Babylonis fore alligandos.
Ezech.c. 12. Et Ezechieli Prophetæ cap. 12. præcepit Deus dicens: *Fac tib vaſa tranſmigrationis, & tranſmigrabis coram eis per diem: Accipe peram tuam in humeris tuis quaſi viator: & incipe vaſa & ſupellectilem tuam auferre, & perfode murum ciuitatis, & fac in eo foramen, atque omnia vtenſilia & vaſa tua per illud foras efferre ſatage.* Vt ſignificaret illos vinctos eſſe ducendos in tranſmigrationem, & magnam perpeſſuros calamitatem. Ita Chriſtus Prophetarum Dominus & caput, voluit hoc facto principalem aduentus ſui effectum ſignificare,qui fuit vt à vinculis peccati, gentilem & Iudaicum populum,in vtróque iumento deſignatum(aſina nimirum & pullo eius)ſolueret, & ad ſuam obedientiam reduceret. Et ob hanc cauſam duo illa animalia, adduci iuſſit ad ſe, & modo in vno, & modò in altero ſedens, glorioſo illo triumpho cohoneſtatus eſt. Extat enim de eo, Patriarchæ
Gen.49. Iacob vaticiniũ, Gen.49.conuerſo ad Iudam ſermone, De
Hebr.8. qua Tribu ortus eſt Chriſtus, Heb. 7. *Manifeſtum eſt quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter*, ſic prophetauit: Iuda ligans ad vineam pullum, & ad vitem aſinam ſuam, Significans, vtrúmque populum ipſi Chriſto, qui eſt vitis vera,
Ioan.15. Ioan.15.fore incorporandum, quòd in Euãgelio ipſe Chriſtus, non obſcuris verbis futurum etiam prædixit. Sed cur

Chriſtus

Christus appropinquat Hierosolymis? Respondeo: Non modò ne festo deesse videretur, quin potius vt vtrúmque sacrificium perficeret Cruentum in cruce, & incruentum in Eucharistiæ oblatione,& quæ præcipua essent ad Euangelij fundamentum statueret.

Misit duos de discipulis suis &c. Vt nobis commendetur fraterna charitas. Duo etiam missi sunt, Moyses & Aaron ad educendos Hæbreos ex seruitute illa Ægyptiaca. Duo reseruati sunt ad terram promissionis ingrediendam, Iosue scilicet & Cales. *Discipuli bini item mittebantur à Christo in omnem locum, quò erat ipse venturus.* Luc.10. Per duo generalia mandata, omne genus hominum de peccato absoluitur. Qualia? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Et proximum tuum sicut teipsum.* In his duobus mandatis omne peccatum expellitur, & omnis iustitia consummatur. Aut certè alia duo: *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.* Iterum, *Quod vultis vt faciant vobis homines, facite & vos similiter.* Duæ item sunt claues Ecclesiæ nempe scientiæ, & iurisdictionis. Duo populi ad Christum adducendi, Iudaïcus & Gentilis. Duo sunt Testamenta. Duæ sunt tabulæ Moysi. Duæ denique potestates, vt in Authenticis Collatione prima Constitutione sexta. Quomodo oporteat Episcopos & reliquos Clericos ad ordinationem adduci, In præfatione loquitur Imperator. Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei, à superna collata clementia, Sacerdotium & Imperium & illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens, ex vno eodémque principio vtráque procedentia humanam exornant vitam. Hæc ibi. Atque ita Binarius hic numerus sacer est & mysticus.

Luc.10.

Lex.

Ite in castellum quòd contra vos, siue è regione est. Gallicè *vis à vis de vous.* Intelligunt communiter interpretes, de Hierusalem id dictum esse. Quomodo verò castellum vocat regiam ciuitatem? Respondeo. Quæ alta videntur apud homines, abominationes sunt apud Deum. Luc. 16. Ideò castellum diminutiuè dixit, ex abiectione: non autem ciuitatem nominauit. Adde quòd cùm ciuitas sit Ciuium vnitas, In Hierusalem autem tunc dissidia vigerent & rixæ seu discordiæ ciuiles, nomen ciuitatis non merebatúr, de qua illud Psalmographi intelligitur: *Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate* Verùm Iansenius, in Concordia Euangel. versans hunc locum sic scribit: Pro Castello

Luc. 16.

Iansen⁹.

ſtello Græcè habetur, κωμὴν, quòd nomen vicum & pagum ſignificat, ineptè autem de Hieruſalem diceretur. Veriſſimile igitur Dominum vicum Bethphage demonſtraſſe, qui in eorum conſpectu, ſiue ante eos ſitus erat. Perperam diceretur, Quòd eſt vobis contrarium.

Statim inuenietis aſinam alligatam &c. Præſcium ſe futurorum Chriſtus oſtendit. Sic Samuel Propheta indicauit
1. Reg 9. Sauli vbi eſſent aſinæ Cis patris ſui. 1. Reg. 9.

Soluite & adducite mihi, &c. Hic adumbratur Eccleſiaſtica poteſtas diſcernendi videlicet & iudicandi, de qua ex-
Matt. 18. preſſius Matth. 18. *Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Apoſtolis vt ſoluerent Lazarum ligatum
D. Aug. ſupra, inuinctum fuiſſe teſtatur D. Auguſt. Ioan. 11. *Soluite illum,* ait Chriſtus, *& ſinite abire.* Sic in perſona Apoſtolorum Sacerdotibus dicitur Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Ergo habent poteſtatem à Chriſto delegatam ſoluendi peccatores, poſtquam audierint eorum confeſſiones. Nam ſicut habet ius ciuile. l. 2. D. de iuriſdi-
Lex. ctione, Cui iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus iuriſdictio explicari non potuit. Igitur vt abſoluere iuridicè poſſint, opus eſt præcedente notitia
Prou. 12. & informatione. Prouerb. 12. *Qui quòd nouit loquitur, index*
D. Hier. *iuſtitiæ eſt.* Hinc D. Hieronymus tom. 7. in Eccleſiaſtem ca. 10. Si erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quòd
Prou. 28. ignorat, medicina non curat. Prouerb. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur: Qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit*
Eſai. 48. *ea miſericordiam cõſequetur.* Iſai. 43. ex 70. λέγε σὺ τὰς ἀνομίας σοῦ πρῶτος ἵνα δικαιωθῇς, id eſt, *Dic tu iniquitates tuas primus, vt iuſtificeris.* Si tu dicis Deus obliuiſcitur. Iſaiæ 43. *Ego ſum Deus, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum*
Pſal. 31. *non recordabor.* Et Pſal. 31. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*
Sozomenus & Socrates Hiſtoria. Nouatiani, vt ait Sozomenus, lib. 1. cap. 21. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ non in ſacerdotum, ſed in Dei ſolius ſitum eſſe poteſtate ignoſcere, dicebant, Et Socrates lib. 1. cap. 7. Aceſius Epiſcopus Nouatianorum dixit: Non à ſacerdotibus, ſed à Deo, qui & poteſt, & authoritatem habet peccata remittendi expectandam eſſe remiſſionis ſpem. Negabant ergo
Cõcilium Tridentinum. per ſacerdotes peccata remitti miniſterio clauium. Sunt ergo Nouatiani Hæretici moderni. Concilium Tridentinum Seſſione 14. cap. 1. Sacramentum pœnitentiæ Chriſtus
Ioan. 20. inſtituit, cùm dixit: *Accipe Spiritum ſanctum* Ioan. 20. &

Poteſtatem

Potestatem remittendi peccata contulit, post baptismum lapsis, & Nouatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, tãquam Hæreticos Ecclesia condemnauit. D.Chrysostomus tom.5.lib.3.de Sacerdotio: Corporis Lepram, ait, curare; seu verius dicam, purgatos probare; Iudæorum sacerdotibus solis licebat: At verò nostris sacerdotibus, non corporis Lepram, verùm animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Hactenus de Confessionis mysterio, quæ etiam Apostolorum temporibus, vt Acta eorum referunt cap.19 inualuit, fuitque in vsu. Nam multi eorum qui crediderant, confitebantur actus suos. Verùm hac de re commodior erit, *Dominica Quasimodò* differendi fusius opportunitas & locus. *D.Chry.*

Soluite & adducite. Vtrúmque posuit. Hæretici quidem soluunt; sed non adducunt ad Christum. Illi enim dicunt Psalm.2. *Dirumpamus vincula eorum*, hoc est, interprete doctissimo Genebrardo, μιμητικῶς, vincula quæ ipsi in nos volunt iniicere; *& proiiciamus à nobis iugum ipsorum*; hoc est, cui nos cupiunt subiicere. Quasi dicant: Excutiamus iugum & imperium Dei & Christi eius, de quibus disertis verbis initio psalmi dictum est: *Conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius Nolumus hunc regnare super nos*, dicunt illi: Luc.19. Verè filij Belial, id est, sine iugo. Hierem.2. *à sæculo confregisti iugum meum; Rupisti vincula mea & dixisti: Non seruiam.* Prædicant Hæretici libertatem carnis, soluunt omnem disciplinam Ecclesiasticam, soluunt omnem eius neruum, Excommunicationes non curantes & flocci facientes. Epicuri de grege porci, nihil nisi dissolutionem, carnísque voluptatem docent. *Psalm.2. Genebrard. Luc.19. Hiere. 2.*

Si quis aliquid vobis dixerit, Dicite: Quia Dominus his opus habet. Nota Christum prædicere Apostolis, quòd ipsi habituri sint contradictores, sicut rei euentus probauit, & Paulo à Iudæis qui Romæ morabantur, dictum est Act.28. seu vltimo: *De secta hac* (sic Christianam professionem per contemptum vocabant) *notum est nobis, quia vbique ei contradicitur* Lucas cap.19. dicit, Dominos iumentorum interrogasse cur soluerent illa? Ex quo patet, quòd non erant animalia in quorumlibet vsus communia. *Act.28. Luc.19.*

Dicite, inquit, *quia Dominus &c.* Regiæ potestatis & magnificentiæ iudicium, quòd ad solum iussum Domini, possessores iumentorum cesserint ei vsum illorum. Nouit enim corda possessorum, vt simulátque audirent:

Dominus his opus habet, illa vtenda dimitterent libera. Idem contigit cùm petiit hospitam ad celebrandum conuiuium vltimæ cœnæ. Nm cùm cœnaculi Dominus audiret, *Magister dicit: Apud te facio Pascha*, statim omni remoto obstaculo cœnaculum tribuit Matth. 26. Hoc etiam cõtigit cùm iussit Deus populum Israël exire de Ægypto, præcepitque vt vasa aurea & argentea exigerent: Vbi me Hebræi diffiderent, addidit dicens: *Dabit Dominus gratiam populo suo coram Aegyptiis*. Exod. 11.

Mat. 26.

Exod. 11.

Dominus absolutè & sine additamento, Non ait, Dominus Nazareth, aut alicuius loci, sed simpliciter *Dominus* ἀυτονομαστικῶς, de quo in Apocalypsi: *Rex Regum & Dominus dominantium*. Item Psalm.

Domini est terra & plenitudo, &c. Dicite, Non ait, Concutite, rapite, sed *Dicite*: Mahamed suam impiam sectam gladio & ense plantauit: Hæretici similiter sua conati sunt stabilire armis dogmata & somnia: Sed Christus *potens est in opere & sermone*, Luc. 24. Siquidem miraculis, exemplari vita & verbo Dei, gladio nimirum spirituali, non autem armis corporalibus plantata est, & adoleuit Ecclesia. Ephes. 6. *Et gladium Spiritus quòd est verbum Dei.* Heb. 4. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Dicit Apostolica Ecclesia 2. Cor. 10. *Arma militiæ nostræ, non carnalia sunt*, ait Apostolus: Concutit autem & mactat Pistolica Hugnosticorum Synagoga. Obserua quòd hic Matthæus & asinam & pullum eius commemorat, vt quia in duobus hominibus vterque fuerat sexus expulsus è paradiso seu deliciarum horto, in duobus animalibus sexus vterque reuocetur. Adde quòd, vt suprà attigimus, Duo populi significabantur Christo vniendi.

Luc. 24.

Ephes. 6.

Hebr. 4.

2. Cor. 10

Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicens. Dicite filiæ Syon, Ecce Rex, &c. Non e at Dominus equitationi asuetus, sed pedes non eques iter conficiebat. Vnde Theophylactus in Lucam, cap. 19. Nunquam alias rogauit Christus vt pro itinere iumentum sibi daretur. Qui per omnem Galilæam pedestri itinere venerat, quemodò à Bethania, quæ tantum ab Hierusalem stadiis quindecim Ioan. 11. id est, duobus plus minus miliaribus, vel, more Gallico, Leuca vna, vel paulò plus, distabat, ad Hierusalem profecturus, rogaret vt pullus sibi daretur? Proinde mystica sunt hæc. Euthymius in Matth. 21. Tu interroga Iudæum quis Rex venerit Hierusalem,

Theoph.

Ioan. 11.

Euthy.

ſalem, aſino & pullo vectus, nullum enim alium dicere
poterit præter Chriſtum. Zacharias Propheta ca.9. duo de- *Zach. 9.*
dit ſigna aduentus Meſſyæ: Alterum, quòd aſcenderet ſu-
per aſinam: Alterum fuit populi exultantis iubilus, & ap-
plauſus. Quæ duo hodie completa ſunt. *Exulta filia Syon,*
Ecce vnum, de quo etiam Dauid dixerat, *Filiæ Syon*, inquit,
exultent in Rege. Sedens ſuper aſinam & pullum, &c.

Ecce alterum, Ecce Rex tuus, &c. Deuter. 17. *Eum con-
ſtituet Regem quem Dominus elegerit de numero fratrum tuo-
rum. Non poteris alterius gẽtis hominem Regem facere, qui non
ſit frater tuus.* Chriſtus eſt Rex natus. Matth. 2. *Vbi eſt qui* *Matt. 2.*
natus eſt Rex Iudæorum? Herodes alienigena erat, & Rex
extraneus. Scribit Plutarchus tom. 1. Opuſculorum libro *Plutar-*
priore, De fortuna Alexandri, Si quando Homeri carminũ *chus.*
perpẽſio fieret, alio aliud, vt fit, præponẽte: hoc Alexander
vt omnium præſtantiſſimum probat, quòd Iliad. γ. habetur. *Homer**

Ἀμφότερον βασιλεὺς τ᾽ ἀγαθὸς κρατερός τ᾽ αἰχμητής. Hoc eſt, *in Iliad.*
Regnatórque bonus ſimul atque acerrimus haſta. *3.*

De Agamemnone dictum. Nota ἀγαθὸς, id eſt, bonus,
Nota κρατερός, id eſt, fortis, Nota αἰχμητής, id eſt, bellator,
haſta ſeu iaculo prælians. Quæ optimè Chriſto quadrant.
Ipſe βασιλεὺς, quaſi, βάσις λαοῦ, hoc eſt fulchrum & ſuſten-
taculum populi Sapient. 6. Rex Sapiens, ſtabilimentum *Sap.6.*
populi ἀγαθὸς. *Nemo bonus*, ait ille, *niſi ſolus Deus*, ſcilicet per
eſſentiam: Alij boni dicuntur, tãtùm per participationem.
κρατερός. *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio,* *1.Reg.15.*
Vates regius. Ipſe αἰχμητὴς, 1. Reg. 8. *Regem habere volu-
mus, vt egrediatur ante nos & pugnet bella noſtra pro nobis.*
Sic Chriſtus pugnat pro nobis. Et ſicut prudens Abigail, 1.
Reg. 25. Regi Dauidi, qui Chriſti typum geſſit, dixit: *Fa-
ciet tibi Dominus domum fidelem, quia prælia Domini, Domine
mi, tu præliaris.* Sic Chiſtus pro ſua Eccleſia prælia Domini
præliatus eſt, triumphúmque reportauit: Vnde pręſenti hi-
ſtoria ἐπινίκιον ſeu carmen pro victoria canitur. *Benedictus
qui venit &c.* Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus im-
perat. Scribit Nicephorus libro 8. c. 32. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. *Nicepho.*
Quòd Conſtantinus tres immenſæ magnitudinis cruces
fabrefieri fecit, ad exemplum earum quas ter in cœlo
viderat. Primùm Romæ contra Maxentium depugnans:
Secundò, cùm commiſſo bello cùm Bizantiis trophæum
de eis ſtatuit. Tertiò autem, cùm Iſtro Ponte iuncto
Scythas vltra id flumen ſubegit. Ad imitationem igitur

triplicis istius visionis tres ex ære fieri curauit cruces, eísque sacra hæc imposuit nomina, *Ιησοῦς χριστὸς νικᾷ*, Hoc est, Iesus Christus vincit. Hæc Nicephorus.

Venit tibi mansuetus, &c. Mansuetus ad improperia: *quia cùm malediceretur, non maledicebat:* Mansuetus ad tormē-

Esa.53. ta Esaiæ 53. *Verè langores nostros ipse tulit: Sicut ouis ad occisionem ductus est. Faciem meam*, inquit, *non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. Vsque ad mortem, mortem au-*

Philip.2. *tem crucis* Philip. 2. Denique tanta Regis huius mansuetudo extitit, vt cùm Apostolus vellet obnixè ab hominibus aliquid petere, eos per mansuetudinem Christi adiu-

2.Cor.10 raret. 2. Corinth. 10. *Obsecro, inquit, vos per mansuetudinem & modestiam Christi.* Non enim credendum erat huic virtuti aliquid negaturos eos, qui eius merito, seruati & redempti erant. Ecquis non facilem sibi esse putet accessum ad eum regem qui mansuetus est, & tam humili vehitur iumento? Quis adeò timidus qui non ad mansuetum accedere confidenter audeat? Præsertim cùm is sit, cui nihil aliud magis, quàm humilium & mansuetorum pla-

Iud.9. ceat deprecatio? Iudith. capit. 9. Nota ex Plutarcho tomo. 1.

Plutarc. Opusculorum, In Apophtegmatibus Regum, Quomodo Artaxerxes Mnemon, id est, memor cognomine, non tantùm compellantibus liberalissimè vacabat, sed & vxorem suam iubebat Pilenti aulæa dimouere, vt posset ab iis, qui vellent, compellari in via. Obiter hic aduerte, Pilentum esse vehiculi genus, quo matronæ vehebantur, Gallicè *vn coche ou vne carosse.* Sed longe facilior patet ad Christum aditus.

Ille neminem excludit: Gremium clementiæ eius nemini clausum est: Non vehitur feroci equo, & ad bellum instructo paratóque, non curru triumphali, non stipatur militum caterua: *Super asinam sedet*, humili nunc vehitur

Gen. 22. asello, Instar Abrahami Genes. 22. qui immolaturus asinū sterni iussit. Sic Christus, paulò ante quàm in monte Caluariæ immolaret victimam corporis sui tanquam arietem cornibus hęrentem, asinum conscendit: vt inanem hominum fastum & superbiam exemplo suo deiiceret. Refert Ludouicus Granatensis, huius Dominicæ concione secun-

Lud. Granatensis. da. Quòd interrogatus quidam, quis potissimum cōmeatus nauigaturis in lōginquas oras necessarius esset? Aquā, respondit. Rursúmque interrogatus, Quid secundo loco necessarium esset? Aquam iterum respondit. Tertiò, quoq;

idem

idem rogatus, eodem modo, reſpondit. Qua loquendi figura, quàm eſſet huius elementi copia, nauigaturis neceſſaria declarauit. Sic de humilitate ſentiendum prorſus, vt etiam Diuus Auguſtinus ſe reſpõſurum ſignificat in quadam ſupra citata Epiſtola. *D. Aug.* Quòd de actione ſeu pronunciatione Demoſthenem Oratorem ſimiliter reſpondiſſe, Scriptores prophani ſupra citati referunt. Manſuetus eſt Chriſtus. *Rex regum, & Dominus Dominantium.* Apoc. 17. & 19. *Sine*, ait, *paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos.* Matth. 19. *Eum qui venit ad me non eiiciam foras.* Ioan. 6. *Matt. 19* Imò omnes ad ſe vocat. Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et, Diſcite à me, quia mitis ſum*, ſeu manſuetus *& humilis corde.* *Ioan. 16.* *Matt. 11.* Manſuetus eſt Rex: Siquidem Prouerb. 20. *Roboratur clementia thronus Regis*, *Prou. 20.* Eſther cap 13. Rex Maximus Artaxerxes ſcribebat ad hunc modum: Nolui potentiæ abuti magnitudine, ſed clementia & lenitate ſubiectos gubernare. *Eſther. 13.* Scribit etiam Iuſtinianus. l. Imperialis. C. de nuptiis. *Lex.* Credimus Dei beneuolentiam & circa genus humanum nimiam clementiam (quantùm noſtræ naturæ poſſibile eſt) imitari. Cyrus, vt refert Xenophon de Pædia Cyri, libr. 8. dicebat: Similia eſſe opera boni paſtoris & boni Regis. *Xenophon.* Hinc Homer⁹ Ιλιαδ. κ. & ρ Ὀδυσσ. γ. ποίμενα λαῶν. Agamemnonem vocat, hoc eſt paſtorem populorum. *Homer⁹ in Ilia. & Ody.*

Quia ſicut paſtor debet curare vt ſaluæ ſint oues, & habeant vnde viuant: Sic Rex populum ſuum curare debet: Ne dicatur, ſicut in eodem ſcribitur Poëta, ἰλιαδ α. δημοβόρος βασιλεὺς, id eſt, populi deuorator. Xiphilinus, ex Dione, in Tyberio, recitat illum dicere ſolitum: Tonderi oues meas volo non deglubi. *Xiphilinus ex Dione & Suetonius.* Et Suetonius de eodem capit. 32. Bona paſtoris, inquiebat ille, eſt tondere pecus non deglubere. Ideò non eſſe onerandas tributis prouincias. Ac in eum ferè ſenſum reſpondit Alexander, vt refert Maximus Monachus Sermone 13. *Maximus.* Cùm quidam ex numero amicorum, qui ſummè beneuoli videbantur, illi diceret: Ciuitates ſubiectas maiora poſſe pendere tributa, dicens: Olitorem odi qui radicitus euellit olera. Græcè ita: κηπωρὸν μισῶ τὸν ἐκριζῶν ἐκτεμνόντα τὰ λάχανα. *Plutarchus.* Sic Darius Xerxis pater, authore Plutarcho, tomo. 1. Opuſcul. in Apophteg. Regum & Imperatorum, quum tributa imponeret ſubditis, proceres prouinciarum euocatos interrogabat. An ea eſſent grauia: quúmque reſponderent eſſe

mediocria, dimidium eius quòd proposuerat singulos pẽdere iubebat. Ita bonos Reges, tanquam patriæ populorúmque patres, agere conuenit, non tributis & exactionibus seu vectigalibus subditos opprimẽtes & veluti obruẽtes, sed ex mansuetudine ac clementia planè regia (Nullũ si quidem ex omnibus, vt ait Seneca lib.1.de Clementia c.

Seneca & Claudianus. 3. magis quàm Regem aut Principem decet: Et Claudianus Panegyri 7.de 4.Honorij consulatu, Theodosius Honorio filio dicebat.

-----*Sola Deos æquat Clementia nobis.*

Subditos tractare oportet. Non sic impij, non sic. Roboam enim Rex, vt Sacra Regum narrat Historia, li.3.non contentus impositis à patre Salomone vectigalibus, noua & grauia addidit & augit tributa duodecim tribubus, ex consilio nimirum iuniorum: Vnde factum est, vt decem tribus ab eo ad Hieroboanum continuò defecerint. Impius Achab à Nabothe Sancto viro, vineam suam, vitam denique ipsam, falsis contra eum testibus subornatis, abstulit: vt in præfata continetur historia. Rectè autem de Christo Rege nunc dicitur: *Venit tibi*, hoc est, in tuam vtilitatem. Nam *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*, canit Ecclesia in Symbolo. Si itaque tota hæc de Christo Prophetia explicetur. *Dicite filia Syon: Ecce Rex*, non Tyrannus, populi, non suam quærens commoditatem. Psalmo 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Syon montem sanctum eius, &c. Tuus*, nõ alienigena, vt Herodes, sed naturalis. *Venit tibi*, Si eum benignè recipias, sed væ tibi si reiicias. *Venit tibi*, non contra te, vt regnum cœleste conferat. Luc. 12. *Complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Vt det animam suam in redemptionem pro multis Matth. 20. Bonis pastoris instar animam suam ponit pro ouibus suis. Ioan. 10. *Sedens super asinum & pullum, &c.* Notandum hoc loco, Ethnicos scriptores aduersus Christianos cauillari & crimina comminisci, vt Christianismum reddant exosum. Scribit enim Tertulianus in Apologetico contra gentes: Somniastis caput asininum esse Deum nostrum. Ideo asinarij vocabantur Christiani à maleuolis. Quidam picturã proposuit cum eiusmodi inscriptione, Deus Christianorũ Ononychites, id est, verbum verbo redditum, asinumgularius. Is erat auribus asininis, altero pede vngulatus, librum gestans, & togatus. Tale monstrum in Christi Dei nostri despe

Psal.2. *Luc 12.* *Mat.20.* *Ioan.10.* *Tertul.*

despectum erat, Et quasi stolidos deridebāt Ethnici Christianos. Vel ideò Asinarios vocabant eos, vt lib.2. contra Appionem Alexandrinum, scribit Iosephus Iudaicæ historiæ auctor, præsumpsit dicere Appion, in sacrario seu templo, Iudæos asini caput collocasse, & eum colere: Sed ipse potius, inquit Iosephus, cor asini & impudētiam canis habuit. Hæc ibi. Nota, quòd mera erat impostura. Nos, inquit ille, asinis honorem non damus. Quod de Christianis meritò etiam intelligatur. Non enim asinis honorem tribuimus: Sed Christum asello vectum colimus, & tanquam Deum *sicut hic est verus Deus: & vita æterna.* 1. Ioan. 5. *Qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.* Rom. 9. *adoramus.* Quòd enim sternebant vestimenta in via, non propter asinum id faciebant, sed propter Christum asino insidentem. Cornelius Tacitus Annalium lib. 21. sic de Iudæis comminiscitur: Effigiem asini, inquit, quo monstrante sitim depulerunt, penetrali sacrauêre. Hæc ibi. Sed sequenti pagina sibi ipsi contradicit, scribens ita: Nulla simulachra vrbibus suis nedum templis sunt. Mendacem esse memorem oportet. Iosephus supra citatus testatur quòd neque Pompeius neque Titus, qui templum iure victorię sunt ingressi inuenerunt quid simile. Commētitia sunt hæc à Cornelio Tacito, & aliis huius farinæ scriptoribus conficta. Ideóque Tacitus, mendaciorum loquacissimus, à Tertulliano iure appellatus. Hūc sequutus est Plutarchus, Ethnicus nempe ethnicum & cæcus cæcum: Non to. 2. Opusculorum Symposiακῶν lib. 4. q. 5. Asino, inquit, suus est apud Iudæos honor, qui fontem aquæ eis demōstrauit. Ita suem reuerentur vt sationis & arationis magistram. Hæc ille. Sed hæc est Ethnicorum impostura, quasi Asinariam superstitionem admitterent Christiani, vel etiam Iudæi, *ex quibus salus.* Ioan. 4. Existimo itaque Ethnicos Asinarios vocasse Christianos, non quòd Asinos agerent (quæ est vera huius vocis significatio, veluti Mulio dicitur, qui mulos agit) sed quòd quasi stolidos deriderēt hoc cauillo & conuitio. Siquidem Ouidius ob stoliditatem Midam, quia rusticam Panos cantilenam, diuinæ Apollinis modulationi præferendam duxerat, ea pœna à Deo mulctatum finxit, vt quæ iudicio peccauerant humanæ aures in asini auriculas demutarentur. Auriculas asininas Rex habet Midas. Irrisionis etiam indicium est asinus, quia dentibus deformiter denudatis, irridere videatur: aliquē deludētes appressa

Iosephus *1. Ioan. 5.* *Rom. 9.* *Cor. Tacitus.* *Plutarc.* *Ioan. 4.* *Ouidius.*

ad aures

ad aures manu, asininas auriculas imitantur. Sic illud Persij *Auriculas asini quis non habet?* In derisionem dicitur. Obserua quòd asinus est etiam ignauiæ symbolum. Est enim
Persius. tardus ad gressum. Labor item seruilis ac indefessus per asinum significatur. Oneri enim gestando destinatus est. Et asini cutis post obitum, ne quid eius vnquam requiescat, foraminibus dilacerata, assiduæ cribrorum inseruit
Pierius. agitationi, vt fusius apud Pierium lib. 12. Hieroglificῶν, hęc pertractantur.

Sed in bonam quoque partem asinus accipi potest, laudisque habere significationem. Quandoquidem ex animalibus brutis Asina Balaam humana verba, non sine ingenti prodigio ac miraculo protulit, & Angelum prior vidit. Sampson in maxilla asini percussit mille Philistæos, ac ex eius molari egressæ sunt aquæ, quibus refocillatæ sunt vires eius. Vnde colligitur humile hoc animal, vtile fuisse populo Israël, viuum & mortuum. De viuo patet ex histo-
Numer. 22. ria. Sacra Numer. 22. *Cum Balaam ad maledicendum populo Israël proficisceretur, Asina percipiens Angelum stantem in via euaginato gladio, loquuta est, sicque Balaam benedixit populo.*
Iud. 15. De mortuo, extat in sacris exemplum. Iud. 15. in Sampsone. Vt supra retulimus. In natiuitate Christi Asinus adfuit. Et
Isai. 1. iuxta Isaię capite primo vaticinium: *asinus agnouit tunc possessorem suum,* imò, vt apertius dicam, adorauit creatorem omnium, non sine speciali miraculo & singulari portento. Hinc Prudentius Poëta Christianus, libro Cathimerinῶν, hymno de Natiuitate Domini cecinit:

O Sancta præsepis tua
Æternæ Rex cunabula
Mutis & ipsis credita,
Adorat hæc brutum pecus. &c.

Simplicitatis symbolum & asinus, quippe qui nullum inter carduos & lactucam discrimen habeat, nec vllum sit onus quod detrectet: (si sit opus) pro boue terram proscindat, plaustrum trahat, & quid non commodi in quotidiano vsu adferat? Neque verecundatus Cleanthes appellatione eiusmodi, confidentissimè respondit: Asinus quidem sum, sed qui portare possum sarcinam Zenonis, vt
Laërtius refert Laërtius de eo, libro septimo. Cùm audiret, Asinus, non abnuebat, dicens solum se ferre posse Zenonis sarcinam. Hæc ille. Nempe, quòd non magnam haberet Zeno suppellectilem. Postremò, comparatur homo Deo obediens

diens iumento: dicente Psalmista: *Vt iumentum apud te ego.* Et D. Augustinus in libris Hypognostiκῶν: Deus, inquit, tenet habenas & regit tanquam sessor. Liberum autem hominis arbitrium simile est iumento cui insidet Dominus. Et sequitur motum gratiæ. Est etiã asinus peccatoris symbolum. Quandoquidem peccator instar Asinæ, piger est ad ambulandum in Dei mandatis. Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri*, ad confitendum, ad bene operãdum. Durus contra stimulum: Nisi enim vsque ad sanguinem pungatur, non accelerabit gressum. Debilis est in parte anteriori, sed fortis in posteriori. Ita peccatores nisi aduersis non facilè emendãtur. Psalm. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* Potentes sunt ad mala, sed benefacere nesciunt. In terrenis planè fortes, in cœlestibus quærendis debiles. *Asina erat alligata,* sed ab Apostolis soluenda: *Sic funibus peccatorum suorum impius constringitur,* ait Sapiens, Prouerb. 5. Deo autem gratias, cui in gratiarum actionem canere debemus? Psalm. 115. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Asinus animal est stolidum & rude admodum. Hinc Asini per opprobrium dicuntur hebeti ingenio & rudi. Asinus longas habet aures, duram ceruicem, & cor stolidum: Peccator habet amplas aures ad verba vanitatis & detractionis, duram ceruicem ad retinendum bona verba, & salutaria documenta, Cor denique stolidum: Vana enim & inutilia tantùm cogitat, Sicut etiam ex vulgato versu.

D. Aug.

Psal. 118.

Prouer. 5

Psal. 118.

Asinus ad tribulos semper sua somnia vertit.

Bonam hanc conditionem habet, quia agnoscit præsepe domini sui. O homo ne sis ingratus. Crucem in anteriori parte gerit. Et tu à cruce Domini ne abhorreas. Isachar, Genes. capite 49. dicitur, Asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quòd esset bona, & supposuit humerum suum ad portandum. Fortes nempe ad sustinendum laborem corporis esse debemus. Portauit Christum asinus: Simus & nos θεόφοροι, id est, Christum portantes. 1. Corinth. 6. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Cæterùm pullus quẽ conscendit Christus, erat idoneus equitationi. *Super quem nullus sedit*, ait Euangelista. Ita conueniebat Regiæ dignitati, & Christi maiestati. Scribit enim Plinius libro octauo capite 42. Bucephalus equus Alexandri, neminem alium quàm Alexandrum recepit sessorem, alios passim eiiciens.

Gen. 49.

1. Cor. 6.

Plinius.

Nec

Nec Cæſaris Dictatoris, quemquam alium recepiſſe dorſo equus traditus, idéque humanis ſimiles pedes priores habuiſſe. Idem referunt Suetonius in Iulio Cæſare, & Plutarchus in Alexandro, ac etiam Solinus Polyhiſtor. capite 47. de vtriuſque Alexandri & Cæſaris equis, ſimul ſcribens. Suetonius in Iulio Cæſare §. 61. Vtebatur equo inſigni pedibus propè humanis, & in modum digitorum vngulis fiſſis: quem cùm Aruſpices Imperium orbis terræ ſignificare Domino, pronunciaſſent, magna cura aluit, nec patientem ſeſſoris alterius, primus aſcendit. Ita Chriſtus primus ſuper illum ſedit aſinæ pullum, antequam alius aſcendiſſet, vt ſe totius orbis deſignaret Monarcham. Ita enim à Prophetis prædictum fuerat.

Suetoni⁹ *Plutarc.*

Nec abſimile, De Alexandri equo ſcribit Plutarchus, in eius vita tomo tertio Bucephalus neminem ex his, qui circa Philippum verſabantur, tergo ſeſſorem admittens, cunctos paſſim reiiciebat, ſed Alexander conſcendit. Pater præ gaudio illachrymaſſe traditur, deſcendentiſque caput oſculans, dixit: Aliud tibi par iam regnum quære, nec enim te Macedonia capit. Q. Curtius libro ſexto, rerum ab Alexandro geſtarum, de Bucephalo, ſic ſcribit: Ille nec in dorſo inſidere ſuo patiebatur alium, quàm Alexandrum, & Regem, cùm vellet aſcendere, ſponte ſua genua ſubmittens excipiebat, credebaturque ſentire quem veheret. Hactenus ibi. Conſidera, inquit Euthymius, in Matth. 21. Quomodò in tali plauſu populíque acclamatione, tantóque clamore, pullus quanquam omnino indomitus, manſuetiſſimè tamen incedebat, præfigurans gentium obedientiam, & ad diſciplinam immutationem. Hæc ille. Quæro nunc, An non arcano quodam impulſu, ſentiret quem veheret pullus, ſicut, imò longè mirabilius quàm Bucephalus? Et quemadmodum totius orbis dominum fore ſignificabat & portendebat, quemcumque ille ſeſſorem paſſus fuiſſet, ex Delphico Oraculo, vt in ſupplemento libri primi Q. Curtij indicatur: Ita longè ſublimius Chriſti Monarchia ex diuinis oraculis portendebatur, ex eo quòd Dominus ſuper pullum illum placidè ſedit. Luc. 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.* Iſaiæ capite 11. *Regnabit Rex & ſapiens erit.* Cuius regni teſſeram exhibuit Chriſtus antequam pateretur. Reges enim, vt regnum ſibi deberi conteſtentur, nobiliſſimam omnium ciuitatem magno apparatu, acclamantibus

Q. Curtius. *Euthymius.* *Luc. 1.* *Eſai. 11.*

mantibus vndique turbis, ingrediuntur: Ita Christus totius Iudeæ Metropolim, omnibus eum Regem, filium Dauid, Messyam acclamantibus, ingressus est. Sicut in coronatione regis Salomonis acclamatum est, Viuat Rex 3. Reg. 1 & 1. Reg. 10. In coronatione Saülis, similiter: Ita in hoc Christi solemni ingressu populi acclamauerunt: *Osanna, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Scribit Q. Curtius, libro quinto, quòd ingrediente Alexandro Magno in Babyloniam, totum iter floribus, coronisque Bagisthanes arcis & pecuniæ regiæ custos, constrauerat, argenteis altaribus ab vtroque latere dispositis, quæ non thure modò, sed omnibus odoribus cumulauerat. Magi suo more patrïum carmen canentes, Artifices cum fidibus sui generis ibant, laudes ij Regum canere soliti. Equites deinde Babylonij vltimi ibant: Alexander cum curru vrbem introiuit. Hæc Curtius. At longè celebriori pompa, attamen mystica, & magis spiritum quàm carnem redolente, Christus nunc Hierusalem ingressus est. Comparet enim Christus præter morem suum in asino sedēs, associatus, & quodam veluti triumpho cohonestatus, ab omnibus salutatus, & eum plausu exceptus. Sed à Spiritu sancto monētur Hebræorum pueri, iuxta Dauidis Prophetiam: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Nemo igitur dubitauerit, hanc Zachariæ prophetiam euidens (si licet ita loqui) signum aduentus Christi demonstrasse, his verbis, quæ iterum versanda sunt nobis: adeò tota Euãgelij huius medulla, vt ita dicam, in hoc vno vaticinio resideat & tegatur. *Dicite,* inquit Propheta *filiæ Syon.* Syon nomen montis est in Hierusalem, in quo arx erat quam cœpit Dauid. Ponitur autem aliquando pro tota ciuitate Hierusalem, vt hic, ait Hesselius in Matthæum, c. 21. Cuius sunt & sequentia. *Rex huius,* id est, tibi variis modis promissus, à te semper expectatus, pro quo toties ex intimis cordis affectibus suspirarunt patres: *Vtinam cœlum disrumperes ac descenderes.* Venit tibi, ad salutem tuam, Non vt instar crudelis Tyranni te perdat, sed vt tibi inseruiat, & ab hostibus te liberet. *Mansuetus,* non crudelis, sed tanquam agnus pro salute tua immolandus: *Asino insidet,* non ad pugnam idoneo, vt ne dubites ad tam humilem regem accedere. Sed tempus est vt ad textum regrediamur.

3. Reg. 1. et 1. Reg. 10.

Q. Curt.

Hesselius in Matt.

Eum desuper sedere fecerunt, &c Cæsar quidem Romam ingressus est cum maximo triumpho: Cuius triumphalis

currus,

Suetoni⁹. currus, à 40. elephantis ducebatur, teste Suetonio, in I. Cæsare §. 37. Ascendit, inquit agens de triumphis Cæsaris, capitolium ad lumina 40. elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus. Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, veni, vidi, vici, non acta belli significantem, sicut cæteri, sed celeriter confecti notam. Hæc ibi. Quod ad præsens nullo negotio accommodabitur institutum. Christus namque celerrimè, non obstantibus hostium conatibus, euicit, ad sui præsentiam confecitque quod intendebat, *Vrget præsentia Turni.* ait Poëta : Mirum! Per medios hostes Christus eximia caterua procedit intrepidè cum pompa & acclamatione: Aduersus quem promulgatum erat mandatum, *vt si quis cognouerit vbi sit, indicet vt apprehendent eum* Ecce illum! ô Caipha Ecce illum! ô Pharisæi: Non opus est, vt quis indicet vbi sit, adest super asinam sedens, innumerabili turba circundatus, cum palmarum ramis susceptus, vocibus ad cœlum vsque sonantibus. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Accedite, capite, palam adest. Non licuit autem illis violentas in eum manus iniicere, *quia nondum venerat hora eius.* Mirum etiam! Quòd Imperatoribus post victoriam exhibetur triumphus, ac victoris præconia acclamantur : Sed Christo ante prælium & mortem triumphus exhibetur & acclamatur: *Benedictus qui venit, &c.* Significante Spiritu sancto victoriam in manibus Christi semper fuisse, & quotiescunque vellet posse illam de inimicis consequi. Victoria namque à voluntate eius pendebat non sic in aliis. Meritissimè igitur potuit dicere, veni, vidi, vici. Non quòd, vt Græcè quidem dicitur, ἀκονιτὶ, id est, χωρὶς κόνεως, hoc est, sine puluere & sudore etiã sanguineo, Luc. 23. *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrã,* aut ἀμαχητὶ, sine pugna, quomodo Thucidides li. 4. loquitur, ex Dictionario, seu Lexico Græcolatino Crispini, victoria sit potitus, sed quia principem mundi huius, tanquam fortior eo facilè deuicit moriendo, & destruxit eum qui habebat mortis imperiũ, id est Diabolum, ait D. Paulus. M. Antonij currum Leones Aureliani, cerui vehebant & de posteriore quidem Flauius Vopiscus Syracusius in eius vita, post media scribit hoc modo : Fuit currus 4. ceruis iunctus, quo, vt multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus inuectus est, vt illic cæderet ceruos, quos cũ eodẽ curru captos vouisse Ioui Optimo Maximo ferebatur.

Virgilius. *Luce 23.* *Thucidides.*

ferebatur. Hæc ibi. De priore verò Plinius lib.8.ca.16.sic: *Plinius.*
de Leonibus scribens, Iugo subdidit eos primúsque Romæ ad currum iunxit M. Antonius,& quidem ciuili bello, cùm dimicatum esset in Pharsalicis campis. Idem libro supra citato cap. 2. de elephantibus sic inquit: Romæ iuncti primum subiere currum Pompeij Magni Africano triumpho, quod prius India victa triumphāte Libero Patre memoratur. Hæc ille. Cæterùm hæc omnia nullius sunt momēti præ triumpho singulari Redēptoris nostri, cum Hierosolymā ingrederetur, nō curru triūphali, vt præsenti Imperatores victores, ab elephātis leonibusq; aut ceruis tracto, sed miti & abiecto asello insidentis. Sequitur in textu.

Plurima turba strauerunt vestimenta sua in via, alij autem casos etiam de arboribus ramos sternebant in via, strauerunt etiam vestimenta sua in via, & clamabāt dicentes: Osanna, &c. Aduerte, quatuor honores Christo exhibitos fuisse: *Super asinam eum sedere fecerunt: Strauerunt vestimenta sua per viam: Ramos de arboribus excisos praferebant: & pueri clamabant Osanna:* Sed consequenti feria sexta, loco primi super crucem extenderunt eum, non sine ingenti cruciatu: Loco secundi, propria vestimenta illi detraxerunt: Loco tertij, coronam spineam eius capiti imposuerunt: loco postremi, clamauerunt omnes dicentes: *Crucifigatur, qui destruit templum Dei.* Obseruatione non indignum fuerit, quòd cùm hic Christi solemnis introitus, inter Imperatorum & Regum triumphos principatum teneat, tamen ipsius capiti superpositum non fuerit pallium aliquod, siue vmbella, conopeum, & velamen illud honorificum, quod apponi solet ingredientibus regibus in vrbes cum maiestate (Gallicè dicimus *vn ciel*) Verùm fortè id factum fuit, ob id, quòd cum Christus Rex sit totius mundi, nedum terræ sed etiam cœli, Matth. vlt. *Data est mihi potestas in cœlo & in terra:* Idcirco velamen nullum habuerit supra se, quo cœlum ipsum ab eius conspectu arceretur. Cùm autem terreni Reges Imperium nullum habeant in cœlestia, sed solùm in hæc mundana, ideò terrestria quidem illis manifestantur, at vero supra caput aliquod velamen habent, quo cœli ipsius prospectus liber prohibetur, atque illis cœlum occultatur, solum autem seu terra illis est in conspectu. Hæc annotauit F. Thomas de Trugillo in Thesauro concionatorum ad hunc locum. Atque F. Hector Pintus Hieronymianus Lusitanus, secunda parte Dialogorum

Mat. vlt.

F. Thom. de Trugillo. F. Hector Pintus.

G vulgariter

vulgariter impressorum, dialogo. 1. (Vertam autem ex Hispanico in Latinum sermonem, vt qui Hispanicè non norunt, non sint sine fructu) Titulo de Tranquillitate vitæ cap. 10. sic eleganter scribens: Mirum! quòd turbæ strauerunt viam ramis & vestibus suis, per quam Christus eques sedens super pullum transiturus erat: Quem honorem nusquam me legisse memini exhibitum fuisse cuiquam ex principibus huius mundi, & Dominis sæcularibus (vt postea prosequemur latius.) Regibus quidem superponitur conopeum, sed non sternitur iter quod calcatur pallio seu vestimento subditorum: Aulæa quidem parietibus apponuntur, sed non sternitur palliis pauimentum, quod pedibus omnium etiam equorum conculcatur: Sed Christo ex opposito sternuntur viæ: at non superponitur velamen siue vmbraculum: Quia Regibus tanquam Dominis terræ & non cœli, detegitur solum, & obuelatur cœlum, Christo verò Regi, ac Domino cœli & terrę, quamuis non modo terreno, & mundanorum Regum instar (eodem dicente Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*) cooperta est & tecta ramis & vestimentis prostratis terra: sed detectum est ac discoopertum cœlum. Alterum ibidem obseruat præfatus scriptor non omittendum, quòd Dominus duo discipulos missos ad adducenda animalia, si quis aliquid eis diceret, vel obiiceret, Cur soluerent illa? iussit respondere & dicere, *Quia Dominus his opus habet*, Eo ipsi puncto & temporis momento, quo se Dominum vocat statim se his opus habere ac indigere dicit. Quid alia probatione opus est, vt videamus dominia secum trahere haberéque annexas necessitates multas? Hoc elegantissimè tractatur apud A. Gellium, Noct. Attic. lib. 9. cap. 8. Verum est profectò quod obseruato rerum vsu sapientes viri dixêre: Multis egere qui multa habeat: Magnámque indigentiam nasci non ex inopia magna, sed ex magna copia: Multa enim desiderari ad multa quæ habeas tuenda: Ergo minus habendum est, vt minus desit. Hanc sententiam memini à Phauorino inter ingentes hominum clamores detonatá, inclusámque his paucissimis verbis: Græcè habentur ibi *τὸν γὰρ μορίων καὶ πεντακισχιλίων χλαμύδων δεόμενον, οὐκ ἔστι μὴ πλειόνων δεῖσθαι. οἷς γὰρ ἔχω προσδεόμενος, ἀφελῶν ὧν ἔχω, ἀρκοῦμαι οἷς ἔχω*. Hoc est, Enimuero qui decem millibus & quindecim millibus vestimentorum egeat, in quo minus indigeat fieri non potest. Quum enim plus

Ioan. 18.
Pintus.
A. Gellius.

quàm

quàm habeam egeo, detrahens ex iis quæ habeo, acquiesco. Potest etiam accommodari illud Poëtæ. *Ouidius in Meta.*

Inopem me copia fecit.

Scribunt Platina & Onuphrius de Vitis Pontificum, in Alexandro, quinto Papa, ordine Minorum, Archiepiscopo priùs Mediolanensi, & Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum presbytero Cardinali, & tum demum Pontifice Romano, cùm esset Septuagenario maior, creato: quòd ita in omnes munificus fuit, vt nihil sibi reliquerit. Quare per iocum dicere interdum solebat, se diuitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Papam, ob profusas & immodicas largitiones. Meritò Alexandri nomen consecutus, cum & liberalitate & magnitudine animi, cum quouis optimo Principe conferri posset: Adeò enim munificus erat in pauperes, & viros sua benignitate dignos, vt breui nihil sibi reliquerit. In eo defuit illa habendi cupiditas, quæ vnà cum re accrescit. Sed hoc vitium cadere in viros bonos, & rerum humanarum contemptores non potest: qui quò magis consenescunt, eò minùs viatici indigere se cognoscunt, & ob hanc rem cupiditates sedant, refrænantque auaritiam. Hæc Platina. *Platina & Onuphrius.*

Auaritiam, ait Cato, in libro qui inscriptus est, Carmen de moribus, referente A. Gellio, lib. 11. c. 2. omnia vitia habere putabant, sumptuosus, elegans is laudabatur, Elegans autem dicebatur antiquitus, non ab ingenij elegantia, sed qui nimis læto amœnóque cultu victúque esset. Hæc ibi. *A. Gellius.*

Nunc vt promissis pollicitisque stemus, de eo qui Imperatoribus olim à militibus & subditis exhibitus & impensus est, honore tempus est vt dicamus. Plutarchus, in vita Catonis Minoris siue Vticensis, tomo tertio Vitarum: Catoni, inquit, illi, substernentes in via qua pergebat vestes, manúsque eius deosculantes, Quæ vix paucis Imperatoribus præstabant illius temporis Romani milites. Hæc ibi (sub.) exhibuerunt honorem, aut quid simile. Idem tomo secundo Vitarum, in Pompeio scribit: Pompeio obuiam Neapolitani & alij Itali procedentes, multi coronati cum facibus excipiebant eum, atque in deducẽdo floribus conspergebant, ac fuit illa deductio spectaculum pulcherrimum. Hactenus ille: Ex quo euincitur, vestes quoque in signum ac testimonium honoris substratas fuisse flores cõspersos, manus denique deosculatas Sed quid hæc ad præsentem historiam? Nedum enim Christo sternebant, per ea *Plutarchus.*

loca, quibus ipse pedibus iturus erat, quod non ita mirum videri debuisset, Cùm etiam magnis viris hic quandóque exhibeatur honos, Sed totum iter quod ab asina pullóque, quibus vicissim & alternatiuè ad Prophetiæ adimplendum mysterium, Christus cùm voluit, insidebat, calcari oportuit, illud vestibus suis ramis ac floribus strauerunt, & exornarunt: Quem nulli alij à Christo legimus exhibitum: Modò de Palmarum ramis agamus: Iudicum ca.9. *Abimelech dux Israël, ascendit in montem Selmon, cum omni populo suo, & præcidit arboris ramum impositúmque ferens humero suo, dixit ad socios suos: Quod me videritis facere, citò facite: Subinde certatim ramos præcidentes sequebantur ducem.* Sic (vt ad propositum accommodemus) Dux noster Christus, ramum humero suo impositum, hoc est, crucem baiulans, exiuit in montem Caluariæ, vt & nos ducem nostrum sequamur, & nostram post ipsum crucem deferamus. Cuius erat mysterium. Ramorum publica ista gestatio. Sed contemplare, Quanta fuerit dissimilitudo in acclamatione: *Benedictus qui venit, &c.* Et, *Tolle: tolle crucifige eum.* Rex Israël, Et, *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Item, *Non hunc sed Barrabam,* latronem famosum, illi præferentes. Rami virentes, & Crux pungens. Flores amœni, & spinæ caput eius lacerantes. Sternere vestes per viam, & auferre ab eo vestimenta, flagellísque cædere. Cui priùs sternebantur vestimenta aliena, suis postea exuitur, & sors mittitur super ea. Vide quod Christus ramos virentes conculcauit: Vepres autem spinasque capiti impositas æquo sustinuit animo, docens non esse in mundanis honoribus fidendum & lætandum. Mirum etiam! ait D. Bernardus Sermone tertio Dominicæ in Palmis, Cùm Christus quæreretur ad Regnum, fugit: Nunc nō quæsitus adfuit, vt tanquam Rex Israël susciperetur & prædicaretur ab eis. In asino veniens non in curribus aut equis. Et interim post solemnem magnificamque processionem, in Missę sacrificio legitur Passionis historia, vt discamus in nulla lætitia mundi collocare fiduciam firmam. Vnde D. Bernardus Sermone 1. Dominicæ in Palmis: Hodie, inquit, Ecclesia processionem addidit passioni: Nam processio plausum habet, Passio planctum. Cur hæc coniunctio? *Quia extrema gaudij luctus occupat.* Prouerb. 14. c. Palmas præferētes, posteà crucem vt illum suspenderent, apparantes ibique configentes. Non putaui, hoc loco prętermittendum Belisarij Ducis maximi exemplum,

De Ramis.

D. Bernard.

Prou. 14.

exemplum, de quo Petrus Crinitus, de Honesta disciplina, &c. lib. 9. cap. 6. sic retulit: Fuit ille sæpius victor ac triumphator, qui Iustiniani Augusti Imperium suis auspiciis firmauit. Tandem verò post multas victorias ac peractos triumphos, cæcatus ab Imperatore fuit, eidémque oculi crudeliter exempti. Neque ob aliam causam quàm propter liuoris improbitatem, qui velut ignis alta semper & ardua petit. Qui tuguriolum sibi prope viam constitui fecit, in quo nummulos ad vitam quæritás, vitæ reliquum transigeret, dictitans hoc subinde prætereuntibus: Viator concede obolum Belisario, quem liuor, non error cęcauit: adeò nihil in humanis melius, quàm nihil boni sperare. Nec enim prudentis viri fuerit in humanis confidere. Hucusque ibi. De eodem etiam Volaterranus Antropologiæ, lib. 23. Belisarius, inquit, Persas in oriente vicit, Vandalos verò in Africa, ducto in triumphum Gilasmere Gothorum in Italia Gentem, capto Victige Rege superauit: Ad extremum exitum habuit, magnis plærúmque viris de Republica meritis communem: Iustiniani iussu, siue odio, siue veteris belli suspicione, effosis oculis mendicabat: Hæc ille. Sicut autem Belisarium nō culpa sed inuidia ita malè tractauit: Sic & Christus, per inuidiam, absque vlla sua culpa (absit) traditus fuit in mortem, quod nec ignorauit Pilatus, vt D. Theologus Ioannes significat his verbis: *Sciebat enim Pilatus, quia per inuidiam tradidissent eum.* *Crinitus.* *Volater.*

Si quis autem roget, Cur palmarum ramos Christo prætulerint? Responsio in promptu est, vt triumphatori nimirum ramos huiusmodi adferunt. Solent enim victores, palma victrice coronari, ait Cyrillus Alex. in hūc Ioannis locum. Sic in Apocalypsi cap. 7. Martyres, qui in hoc mundo contra multifortes hostes certauerunt palmas (in victoriæ certè signum) manibus tenere describuntur. Psalm. 91. *Iustus vt palma florebit.* Palma semper virens, pressaque valentior est. Nec deferendarum palmarum recens erat institutio. Nimirum Leuit. 23. Vt de Scenopegiæ festo suprà diximus, spatulas palmarum Iudæi deferebant: Vocabatúrque, Festum palmarum, & Oliuæ rami etiam tunc in Tabernaculorum festo deferebantur, vt ex superabundanti 2. Esdræ 8. c. habetur. *Egredimini in montem & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrthi, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, vt fiant tabernacula sicut scriptum est in lege, pro die solemni mensis septimi.* Sed & 1. *Cyrillus.* *Psal. 91.* *Leuit 23.* *Esdræ 8.*

1. Mach. 13. Mach.13. Mundata arce in Hierusalem, à Symone summo sacerdote, ac Iudæorum Duce, intrauerunt in eam cũ laude & ramis palmarum, cum hymnis & canticis, quia contritus erat inimicus magnus ex Israël: Quãto magis Christus Pontifex longè maior Symone templum Dei repurgaturus, & potestates tenebrarum breui deuicturus, cũ palmis & populi acclamationibus Hierosolymã ingredi debuit? Sic 2. Mach. 10. Sub Iuda Machabæo, in purificatione templi palmas præferebant. Quantò magis ei qui sanctificaturus erat per sanguinem, populum suum, & emundaturus ab omni delicto, obuiam cum palmis occurrere turba debuit? Quoniam igitur palma apud Romanos & Græcos in victoriæ signum præferri & dari soleat, & apud Hebræos peculiare esset in solemnibus gaudiis, palmarum ramos manibus gestare, vt supra monstratum est: ita nunc quoque Iudæi pro more præferebant quidem palmarum ramos, sed Spiritussanctus qui eorum corda mouebat, significauit per eos victoriam Christi, quam de Diabolo & morte mox erat reportaturus.

2. Mach. 10.

Oliuarum rami ad manum & imprompti erant. Inde enim & Oliueti montem dictum, ab olearum copia ibi existentium, communis est ferè omnium sententia. Qui pacẽ nunciabant, oliuæ ramos ferebant, ex Genesi cap. 8. Columba viridantis ramum oliuæ reuersa ad arcam detulit, quo significabatur indicio, aquas cessasse diluuij, Deúmq; hominibus iam reconciliatum. Hinc Prudentius, in Enchiridio Noui, & veteris instrumenti.

Gene 8.

Nuncia diluuij iam decrescentis ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis oliuæ:
Illa data reuehit noua gaudia pacis.

Hęc Prudentius: Vnde factum, vt reconciliationis, & pacis oliuæ ramus sit hieroglificum: Vnde Poëta Æneidos lib. 8. de Ænea dixit:

Virgilius & Statius.

Paciferæque manu ramum prætendit oliuæ.

Et Statius Thebaidos lib. 12. conformiter cecinit:

Et supplicis arbor oliuæ. Idem lib. 2.

Ramúmque precantis oliuæ. Et vulgatus versus:

Adiuuat in bello paccata ramus oliuæ.

Guaguinus. Hinc Guaguinus, lib. 2 in Chilperico Rege: Gondoaldus, inquit, ad Gontrannum legatos mittit, quibus oliuæ ramos in manu gestare iubet, quo signo quasi pacis nuntij, tuti ad Regem peruenirent. Hæc ille.

Qui præibant & qui sequebantur clamabant, dicẽtes Osanna. Scribit to.3.Epist.D.Hieron.ad Damasum Papã, de O- D.Hieronymus.
sanna: Matthęus qui Euangeliũ Hebræo sermone conscripsit, ita posuit: תושיעת באבלשת Osãna beramia, id est, Osanna in excelsis. Quod Saluatore nascẽte, salus in cœlum vsq;, id est, etiã ad excelsa peruenerit, pace facta nõ solùm in terra, sed & in cœlo. Osanna, quod nos corruptè propter ignorantiam, dicimus : Osianna. Hosiah ergo saluifica interpretatur, Anna interiectio deprecantis est. Si ex duobus his velis compositum verbum facere, dices hosianna, siue (vt nos loquimur) Osanna, media vocali litera elisa: sicuti facere solemus in versibus Virgilij, quando pro

Mene incœpto desistere victam: Scandimus : Men incepto. Ex centesimo decimo septimo psalmo sumptum: vbi nos legimus Hebraicè *Anna Iehona hosianna , &c.* בא אבא יהןה הושיעת ô Domine saluũ fac obsecro &c. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hæc ille. Circa hãc dictionẽ Osanna, Iensenius in Concordia, &, Scholia quædam ad *Iẽsenius & Scholia.*
Euthymium, Matth.21.c. addita: dicunt in Imperatiuo non tantùm dici תושיעת Sed, תושע id est, saluũ fac. Psalm. 86. Hebraicè dicitur : תושע עאברד à radice, ישע saluauit, Ex *Psal. 86.*
Hebraicis Bibliis Complutensibus, Nosah afdeca, hoc est, Saluum fac seruum tuũ. Igitur tam rectè dicitur. Osanna, quàm Osianna. *Osanna in excelsis filio Dauid:* Vbi Filio , pro Filium ponitur , casus pro casu. Sciendum quod Osanna Hebræis est familiaris acclamatio, quæ in festo Tabernaculorum, quotidie canitur ab eis, frondes & ramos gerẽtibus, vt supra de Scenopegia transcripsimus ex Osiandro, & concinentibus similiter litaniis nostris , Omnia reboãt Hosanna sicut apud Græcos. Io Pean , & apud Italos *Io triumpho.* Simile quidpiam apud nos in ingressu Regis, viuat Rex. Hac acclamatione , Osanna , omnem prosperitatem Christo precantur. Rex in æternum viue: in sacris, eodem hæc recidunt. Hactenus ibi. Vel, vt Hesselius in Matt. 21. scribit : Osanna, id est, salus sit, filio Dauid. Osanna in *Hesseli⁹.*
excelsis, id est, sit salus Deo habitanti in excelsis. Optare Deo salutem, nihil aliud est, quàm gloriam eius quærere. In Apocalypsi : *Salus Deo nostro qui sedet super thronum & agno.* Et in Hymno Ecclesiastico: *Sit salus illi , decus atq; virtus, qui supra cæli residens cacumen , totius mundi machinã gubernat, Trinus & vnus.* Amen. Et in Hymno de Sanctissimo Sacramento , per B. Thomam : *Genitori genitoque laus &* D.Tho.

 iubi

iubilatio. Salus, honor, virtus quoque sit & benedictio, Procedentiab vtroque compar sit laudatio. Amen. Vel sic denique, Osanna in excelsis, id est, Salua Regem nostrum, & per illũ nos, non tantùm in terris, sed etiam in excelsis, vt salus quã precamur, ad cœlos vsque pertingat. Non quærimus salutem in terra, qualem nobis præstiterunt, Ioseph, Moses, Iosue, & aliqui dicti Saluatores : Sed in cœlo, quę nos ibi reponat, & beatitudinis participes efficiat, reddatque. Non quærimus terram fluentem lac & mel : Non eripi à terrenis hostibus, sed ab insidiis inimicorum eximi spiritualiũ, vt triumphemus in eexcelsis. Amen.



DE PEDVM ABLVTIONE.

Ioan. 13.

Ante diem festum Pascha sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad patrem, Cùm dilexisset suos qui erant in mundo vsque ad finem dilexit eos.



Vemadmodum Apostolorum pedes priùs mundati sunt & loti, quàm cœlestes epulas sumerent, & corpore ac sanguine Domini reficeerentur : Ita & nos vt mundemur sollicitos esse oportet, quò tandem purgata cõscientia, dignè diuinorum mysteriorũ participes esse possimus. Probabilior certè, ea coniectura mihi videtur, quæ Dominum saltem ante Pascha nouũ, suorum pedes lauisse contendit. Nec desunt antiqui & classici authores, qui huic faueant sententiæ. Sedulius presbyter, Christianus Poëta libr. 5. Carminum circa principia priùs lotionem pedum metricè describit, consequenter verò, consecrationem panis & vini : vnde significat apertè, lotion em præcessisse. Sic igitur ille cecinit:

Seduli⁹.

Assurgit famulisque libens famulatur, & omnem
Linteolo accinctus, tantum inclinauit honorem,
Discipulis, vt sponte lauans vestigia cunctis,
Nec Iudam exciperet, quem proditionis iniqua
Nouerat auctorem.

Con

Consentit Nicephorus lib.1.Historiæ Ecclesiast. cap.28. his verbis: Opinio sanè obtinet irrationalem tùm agnum primùm, ita vt par erat. Christum cum discipulis omnino edisse: Deinde quum ad mysticam arcanámque illam cœnam consedisset, parua interposita mora, consurrexisse, vestimenta (vtpote quæ eum fortasse grauarent, & in ministerio obeundo impedirent) statim deposuisse, linteum sibi circumcinxisse, atque ita promptè & alacriter discipulorum pedes lauisse, vt per symbolum atq; signum ipsis propriè competere mentis corporísque expiationem, & purgationem declararet. Quum verò rursum discubuisset, mysticum tradidisse sacrificium horrendorum simul & viuificorum nostrorum mysteriorũ. Hæc ille, ex Chrysostomo præcipuè se hausisse commemorat. Et quidem facit istud ad mysterium, vt intelligamus neminem ad diuinam istã mensam illotis pedib. accedere debere: Lotionẽ enim pedum interpretamur, prioris huiúsque impuræ & immũdæ conuersationis expiationem, 1.Corint.11. *Probet seipsum homo, sicque de pane illo edat, &c.* Ne si quis manducauerit indignè, reus fiat corporis Domini. Huius mysterij duæ insignes præcesserunt figuræ, Genes. 18.& Exod.30. Abraham sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei, apparuerunt ei tres viri, quos cùm vidisset cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui: *Domine ne transeas seruum tuum sed afferam pauxillum aquæ*, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore: Ponámque buccellam panis & confortetur cor vestrum, posteà transibitis. Fecitque sub cinericios panes. Abraham Christum designat: Veluti in ostio tabernaculi erat, quando vicinus erat morti, & cùm cœnam Dominicam celebrauit: Filioli, dicebat, *adhuc modicum vobiscum sum, Vado ad eum qui me misit.* In feruore diei Saluator erat. Quanto, quæso, amore flagrabat, qui à cœna surgens cœpit lauare pedes discipulorum? Dum ardor Solis premit, vestimenta deponere solemus: Et ipse vestimenta posuit dimisitque. Nobis dicitur: Quiescite sub arbore, In vmbra fidei requiescamus. Hoc est mysterium fidei, quòd fide non sensibus percipitur, Ioan. 4. *Mulier crede mihi*, dicebat Christus Samaritanæ. Pedes lauandi, priusquàm buccellam panis Eucharistici sumamus, id est, prius mundandi sunt affectus, ita, vt nihil odij retineatur: Buccella verò panis dicitur, quoniam sub parua hostia totus continetur Christus.

Nicepho.
1.Cor.11.
Gen. 18.
Exo. 30.
Ioan.4.

stus. Hactenus de priore figura. Nunc secundam, seu posteriorem attingamus. Exo. 30. *Missa aqua lauabunt in ea Aaron & filij eius, manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerāt in ea thymiama Domino, ne forte moriātur.* Si pro offerendo incenso, ne morerentur, Leuitici Sacerdotes debuerunt habere manus & pedes mundos: Quantò magis Euangelici Sacerdotes, vt non indignè Corpus Domini proprium verúmque offerant, mundas debent habere manus? Hinc inter sacrificandum, missam celebrando, prius manus abluunt, quàm ad consecrandum se accingant, & communicandum, vt hac cæremonia idē denotetur quòd per pedum ablutionem Mundam scilicet habere consciētiam, repurgatósque affectus, eum habere debere, qui ad Sacrosanctam accedit communionem, ne pereat & iudicium sibi manducet. Nam per manus opera, per pedes verò affectus designantur. Adde quòd Genes. 43. Introductis domum fratribus Ioseph, dispensator attulit aquam, & lauerunt pedes suos, & cùm Ioseph epulati sunt: Christus autem seruorum pedes Discipulorum manibus propriis lauit. Nunc ad textum.

Exo. 30.

Gen. 43.

Antè diem festum Paschæ, &c. Quòd æquiualet, & perinde est ac si dixisset: Pridie quàm pateretur. Pesah enim Hebraïcè, Transitus Domini exponitur Latinè, quòd ὁ θεόλογος D. Ioan. c. 13. hoc loco palam insinuat hac περίφρασι, subiūgens: *Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mūdo ad patrem.* Non ait, vt moreretur, sed vt transeat ad patrem. Definitio mortis Christianorū est ex hoc loco: Trāsitus scilicet de hoc mundo, & hac lachrymarum valle ad patrem cœlestem, ad vitam beatam. Platonici dicūt: Mortem esse transitum ad vitam. Differentia inter obitum boni & mali hæc est, quia obitus boni viri dicitur transitus ex hoc mundo ad patrem. Sic dixit Dauid Psalm. 41. *Transibo ad locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.* Sic Dixit Christus Ioan. 5. *Qui credit in me transibit à morte in vitam.* Vita huius sæculi, mors est potius dicenda quàm vita. Sed per antonomasiam, beatitudo vita à Domino nūcupatur. Mors autem malorum non ad patrem quidem, sed ad æterna tormenta est transitus: Non ad patrem sed ad seuerum inexorabilémque iudicem, iustissimúmque scelerum omnium vindicem Deum erit trāsitus. *Mors peccatorum pessima.* Transierunt filij Israël mare rubrum,

Platonici.

Psal. 41.

Ioan. 5.

vt manna suauissimo vescerentur: Trãsierunt autem ipsum Ægyptij, vt in eodem mergerentur, deinde in infernum detruderentur. O quantùm inter vtrumque transitum interest! Vide quàm sit dispar exitus! Benè mortem suã transitum appellat, quia vix triduum in morte mansit, alluditq; ad Pesah siue Pascha Iudæorum quòd transitum significat.

Venit hora eius, &c. Multas vitæ suæ horas habuit in hoc mundo Christus, quas meritò suas appellare potuisset. Horam habuit in qua facta est facies eius sicut Sol, in transfiguratione sua Matth.17. in qua cœlestis pater diuinitatis suæ testimonium dedit dicens. *Hic est filius meus dilectus, &c.* Horam habuit in qua homines eum sibi Regem creare voluerunt Ioan.6. & verum esse Prophetam cõfessi sunt, Ibidem, Quem Deus mundo promiserat: & tamen istarum horarum nullam appellauit suam, sed hanc tantùm in qua erat pro hominibus passurus, in qua suum amorem & charitatem ostensurus erat, hanc, inquam appellat suam. Hæc Philippus Diez nostri ordinis. tom.1. quarta parte. Illam horam delegit Christus, vt illo die pateretur, quo olim in Ægypto liberati fuerunt Hebræi, per agni sanguinem, à tyrannide Pharaonis. Eo die quo fermentum illis prohibitum fuit: quia per Christi mortem & passionem à fermento peccati veteris nequitiæ ac malitiæ expurgati sumus: Vt expurgato veteri fermento, *epulemur in azimis sinceritatis, & veritatis.* Cùm autem dicit Euangelista. *Vt transeat ex hoc mundo ad patrem.* Obseruabis multiplicem esse transitum.

Matt.17.

Ioan.6.

F. Philip. Diez.

Transierunt enim filij Israël ex Ægypto ad mare rubrũ, Inde ad desertum, Inde trans Iordanem, tum demum in terram promissionis. Sic analogia quadam & proportione: Primus transitus est à culpa ad Dei gratiam: Secundus à gratia prima in prouectiorem gratiam: vt qui iustus est, iustificetur adhuc, & vt dicit Psalmographus: *fiat progressus de virtute in virtutem.* Tertius à gratia ad gloriam ac patriam cœlestem, de qua idem Vates: *Portio mea Domine, in terra viuentium.* Primus transitus ab Ægypto in desertum, à miseria & captiuitate in libertatem transitus est: Secundus ad Iordanem, ad maiorem gratiam atque prouectiorem trãsitus est: Tertius in terram promissionis, ad vitam æternã transitus meritò appellatur. Christi verò transitus, cuius hìc meminit D. Ioannes, non qualis primus aut secundus fuit: Nã pœnitere non potuit qui totius est expers peccati.

Maiorem

Maiorem in gratia profectum aut progressum facere non potuit, qui non accepit ad mēsuram spiritum, Imò *de cuius*
Ioan.11. *plenitudine nos omnes accepimus gratiam pro gratia.* Ioan.1. Sed fuit transitus à morte ad vitam, id est ad gloriam corporis.

Ludoui. Grana. *Quia venit hora eius, &c.* Ludouicus Granatensis pulcherrimè hoc explicat, cuius transcribere placuit in hunc locum commentarium: Quid est quòd horam mortis, horam Domini appellauit Euangelista: Ego quidem eo sensu horam hanc Domini appellatam esse credo, quo idem Do-
Ioan.8. minus diem mortis suæ, diem suum appellauit: Ioann.8. *Abraham exultauit vt videret diem meum.* Cur quæso, diem mortis, diem tuum, & horam mortis, horam tuã appellas?
Luc.22. An non magis hæc hora hostium tuorum (sicut ipse Luc. 22. dixisti: *Hac est hora vestra, & potestas tenebrarum*) appellanda fuit? In qua filij noctis & tenebrarũ furorē suum suppliciis tuis exsatiarunt? An potius hæc hora nostra est, qui per eam morte tuà à morte excitati, & sanguine tuo empti sumus? Verè hæc hora nostra, in qua non modò ipse ad patrem transisti, sed nobis etiam transitum ad eundem aperuisti. Verè hæc hora nostra, hora salutis, hora redemptionis. Tres igitur horas hic aduertere licet. Est enim hæc hora Iudæorum, hora nostra, hora iterum Christi: Multò tamen magis Christi Domini, quàm aliorum est, quia multò magis illius est, qui mortē ex amore appetit, quàm qui mortem ex odio & furore infert: multóque etiam magis illius qui beneficium ex immensa bonitate moriendo confert, quàm illius qui necessitate constrictus, mortis beneficium recipit: Multò enim bonitas & charitas ad donandum quàm necessitas & cupiditas ad recipiendum propensior est: Ideò ergo Saluator mortis horam suam appellat: quia nulla magis hora illius appellanda est, quàm quæ necessitatibus nostris consulit, quæ mala nostra depellit, quæ nos bonis omnibus ornat: Sui enim quodammodò oblitus, totus in salutis nostræ cura positus est. Hoc enim perfectæ charitatis est, vt sui negligens, non quæ sua sunt, sed quæ dilecti sunt quærat. Hucúsque Granatensis.

Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, &c. Omnes quidem creaturæ sunt eius quoad creationem, etiam mali.
Ioan.1. Ioan.1. *Sui eum non receperunt.* Hic intelligit eos quos ab
Ioan.17. æterno elegit, vt sui essent? Ioan. 17. *Tui erant, & mihi eos dedisti.* Addit.

Qui

Qui erant in mundo, Ne quis putaret Angelos intelligi.

Vsque in finem dilexit eos. In finem, id est perseueranter ac perfectè, vel vltima die ostendit eis signa dilationis. Vel ad finem, id est, ad beatitudinem consequendam dilexit eos. Sic exponitur, Diliges proximum tuum sicut teipsum, id est, ad id ad quòd ordinata charitate te ipsum diligere debes, ad fruendum Deo, & possidendam vitam æternam, eámque beatam, ad quam cõditi sumus & ordinati à Deo. Ludouicus Granatensis in hũc locum sic meditatur: Quid est in finem dilexit? Nunquid Christi charitas maior in fine vitæ quàm initiò fuit? Minimè quidem. Ignis enim semper ignis est, atque eodem modo semper ardet: quòd maximè charitati Christi congruit, quæ in eo (sicut & gratia) summa extitit. In finem diligere, est tota vita ad finem vsque dilectioni erga homines sic militasse, vt omnia quæ Dominus in carne gessit, quæ dixit, quæ pertulit, quæ docuit, ad hominum salutẽ retulerit. Neque enim in morte solùm, sed initio medio & fine, cæterísque vitæ partibus, in hoc humano salutis opere desudauit: *Nobis natus, nobis datus.* Vel dicitur in finem dilexisse, quòd eo tempore charitatis flamma, quæ in illo sacro pectore latebat, clarius emicare & radios suos longius effundere cœpit: dum tanta alacritate pro salute nostra mitissimus agnus vltro se ad mortem obtulit. Ab ipsius namque vitæ exordio ad extremum vsque eius spiritum ita suorum saluti studuit, vt nullis laboribus fatigatus hoc officium intermiserit, aut remiserit: sed magis in fine vitæ auxit & cumulauit: quandoquidem maiora in nos beneficia hoc tempore contulit. Hæc ibi. *Ludoui. Grana.*

Vsque in finem dilexit eos: Potest non incommodè sic exponi, hoc est, adeò dilexit, vt eius amor vlterius procedere non potuerit, sed eò peruenit, quoúsque peruenire poterat, id est ad finem. Isaiæ 5. *Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci?* Et quamuis in tota vita sic eos amare ostenderat, tamen in morte maiora dedit eis amoris indicia, subtiliores addens lineas, & veluti manum extremam adiiciens operi, quòd dici solet Gallicè. *Il monstra vn traict plus hardy & plus subtil.* Eximio pictori similis, qui discessum parans ex aliqua ciuitate plurimis in illa tabellis depictis, vt præclarum aliquod sui monumentum relinquat, omnes intendit vires, vt quid præstantissimum secundum artem accuratissimè depingat: Ita etiã cœlestis *Isaia 5.*

hic amo

hic amoris pictor & artifex Christus in tota vita plurima edidit amoris opera: Natus in stabulo, plorans & in cunis vagiens: In circuncisione, suum sanguinem fundens: In Ægyptum velut exul fugiens, & translatus in terram alienigenarum: Ieiunans in deserto, orans in monte, imò verò pernoctans in orationibus, assiduè prædicans, fatigatus ex itinere, esuriens atque sitiens, conuitia, contumelias & opprobria perpessus.

Quæ quidem præclara sunt amoris opera. Verùm in suo ab hac vita discessu præstantiorem quandam amoris viuam effigiem, & tabellam artificiosissimè depictam, (Gallicè, *Vn tres-excellent tableau tiré au vif.*) reliquit, & quidquid amoris præstare poterat, præstitit. Hoc illud significat, *In finem dilexit eos.* Sed paulò fusius explicanda est illa pictoris egregij comparatio seu similitudo, Ex Plinio lib. 35. cap. 10. Narrat ille de Protogene pictore immensi laboris, ac curæ supra modum anxiæ, qui manum de tabula nesciret tollere, & Apelle, in pictura adeò prouecto, vt plura solus propè, quàm cæteri omnes, contulerit: De vtroque inquam sic Plinius: Protogenes Rhodi viuebat, quò cùm Apelles adnauigasset, auidus cognoscendi opera eius, fama tantùm sibi cogniti, continuò officinam petiit. Aberat ipse, sed tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ, anus vna custodiebat.

Plin. lib. 35. c. 10.

Hæc Protogenem foris esse respondit, interrogauitque à quo quæsitum diceret. Ab hoc, inquit Apelles: arreptôque penicillo, lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam. Reuerso Protogeni, quæ gesta erant, anus indicauit. Ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem, dixisse. Apellem venisse: Non enim cadere in alium tam absolutum opus: Ipsumque alio colore tenuiorem lineam in illa ipsa duxisse, præcepisséque abeuntem, si redisset ille, ostenderet, adiiceretque: hunc esse quem quæreret, atque ita euenit. Reuertitur enim Apelles, sed vinci erubescens tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum.

At Protogenes victum se confessus, in portum deuolauit, hospitem quærens: Placuítque sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem, sed artificum præcipuo miraculo. Hactenus Plinius. Vnde deducitur: Quòd sicut Apelles tam subtiles depinxit lineas, vt visum fermè effugerent, sicque omnes alios quantumuis artis peritos facilè superaue

superauerit, longóque post se interuallo reliquerit: Ita Christus, cœlestis amoris singularis magister, in amando, omnes excedit, *In finem dilexit:* Amorem vsque in finem perduxit: Non solùm in finem vitæ, sed vsque in finem etiam amoris: atque hic amor magis in fine manifestatus est. Nota quòd tres sunt gradus amoris: Primus est cùm amicus pro amico diuitias ponit: Secundus, cùm honorem in periculum adducit: Tertius est, cùm vitam in discrimen pro amico offert.

Vnde Christus Ioan.15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Christus omnes suas diuitias nobis dedit: corpus suum ad vescendum, Angelos quoque ad ministerium nostrum. Posuit etiam honorem suum in manibus inimicorum suorum, pro nobis, tot patiens ignominias? Tertiò tandem vitam obtulit, & non pro amicis solùm, sed etiam pro inimicis, vt exaggerat Paulus Rom. 5. *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quando cùm adhuc peccatores essemus. Christus pro nobis mortuus est.* Ioan.15. Rom.5.

Naturalis motus quãtò magis accedit ad terminum eò velocior est, vt lapidis, qui deorsum fertur: violentus verò in fine remissior est, vt cùm lapis ascendit. Redemptoris nostri amor voluntarius erat, ex ingenita & natiua sua bonitate, non violentus: Et ita in finem maiora suæ virtutis & impetus argumenta dedit. Præterea illud, *In finem dilexit eos*, significat amare constantissimè, quasi nunquam amoris filum fregerit: sed cum eo & propter eum mortuus est. O quàm leues & incõstantes hodie in amore sumus! Cùm enim Christum in finẽ vsque reciprocè amare deberemus: nos vice versa ab amando Deo statim desistimus. Sunt etenim qui ad tempus diligunt, & posteà recedunt. Christus autem in finem diligit: quippe qui ad bona æterna diligit. *In finem dilexit eos*, id est, adeò dilexit, & tot in eos contulit beneficia, vt finem, ad quem nati sunt, consequerentur.

Hæc enim vox, *In finem*, perfectionem & consummationem operis significat. Hoc enim sensu, de obstinatis Iudæorum animis Apostolus 1. Thessallon. 2. Vt impleant, inquit, peccata sua semper: Peruenit enim ira Dei super illos vsque in finem. Hoc est, non cõquiescet ira Dei, donec plenum de illis supplicium sumat, & veluti de hostibus suis triumphum agat.

Cœna facta, &c. id est, parata, non omnino finita & absoluta.

absoluta. Siquidem omnes ferè sentiunt lotos pedes ante Eucharistiam, vt initio huius diximus cōcionis. Quemadmodum in sacris literis dicitur dies factus, cùm exortus est sol, non cùm peractus est dies: Nam post legitur accubuisse, & bucellam tradidisse Iudæ. Ergo cœna facta, non quasi iam sumpta, sed quòd iam omnino parata fuerit. Iam enim cœnare cœperant: & postea surrexit, & inter cœnandum pedes Discipulorum lauit: Tandem etiam suorum lotis pedibus, recubuit, & bucellam Iudæ tradidit, licet alij (Vt Cyprianus maximè Sermone de Cœna Domini) aliter sentiant.

D. Cypr.

Cum Diabolus iam misisset in cor. O rem stupendam? quàm terribilis commutatio! Nunc nunc dixerat de Christo Euangelista, quòd vsque in finem in amore perseuerauit, & statim subiungit de Discipulo quòd non perseuerauit vsque in finem: Vt hinc æstimemus magnitudinem charitatis Christi, qui traditori ea ostendit, quæ alius vix amicis intimis ostenderet. O Nimiam profectò charitatem Saluatoris! Si quæris quid missum sit in cor Iudæ? Hoc vtiq;, vt traderet eum. Missio ista spiritualis suggestio est, ait D. Augustinus in Ioannem, hoc loco, tomo nono. Non fit per aurem sed per cogitationem. Nota, suggestiones malæ sūt à Dæmone. Act. 5. *Cur tētauit Sathanas cor tuum?* Bona sunt à Spiritu sancto.

Aug. in Ioan.

Act. 5.

Sciens quia omnia dedit ei pater in manus, &c. Potentiæ meminit, vt mirabilius fiat opus humilitatis. Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, &c.*

Philip. 2.

A Deo exiuit: Non per creationem, sed per æternam generationem: Hoc est sciens se filiū naturalem. Et ad Deum vadit, hoc est, certus erat de sua gloria. Sciebat se consessurum ad patris dexterā: Interim Dominus gloriæ & maiestatis reuerendæ, amicis & inimicis se subdidit.

Surgit à cœna, &c. Nempe communi, vt tandem cœnam mysticam seu nouum Pascha, traderet. Triplicem enim cœnam Christum in ipsa vespera obseruasse legimus: Mosaycam seu legalem, Communem & quotidianam; atque nouam & Euangelicam. Mosaycam quidem sumpsit, agnum manducans cum suis, stans, & præcinctis renibus, baculum tenens iuxta sancita legalia. Communem tandem, cùm dēmum accubuit, & Iudas intinxit cum eo. Habent enim omnes Euangelistæ Christum recumbentibus suis, & manducantibus panem & calicem accepisse.

accepisse. Successit quippe communi cœnæ Magnum illud & diuinum noui testamenti mysterium. Christus itaque præmissa Mosayca obseruatione, inter communes epulas surrexit, quasi ex more Palæstinorum, hospitali munere perfuncturus, atque interim officij prætextu, mentes eorum ad altiora eleuaturus. Solebant enim Palæstini suis hospitibus non caput modò, sed & pedes abluere, vt alibi notauimus. Hæc Beauxamis in præsens Euangelium. ***Beauxamis.***

Surgit à cœna, &c. Spectaculum à sæculo nusquam visum. Primò, Non consueuerunt Domini priùs surgere à mensa quàm serui: Secundò, Nō venit Christus ministrari sed ministrare: Tertiò, Ministrat quàm humillimè procūbens ad genua: Quarto, Lauat nō manus (quod honestum est) sed pedes quod abiectissimū est & vilissimum. Quinto, Solus aquā mittit, solus lauat, & pedes, linteo quo erat præcinctus extergit: Cogita. Quis, Quibus. Nequaquā illud silentio prætereundum est, quòd Dominus non modò aliorum discipulorum, sed proditoris etiam Iudæ pedes lauare non exhorruit. Contemplare, inquit prænominatus Granatensis, quomodò innocentissimus agnus ante sacrilegos eius pedes prosterni, & sacratissimis manibus non aqua solùm, sed (vt arbitror) profusis etiam lachrymis abluere non est dedignatus. Amantem redamare, beneficia beneficiis pensare, familiare & vsitatum apud homines est: At prosterni ante proditorem, & pedes eius abluere, quem scias eo ipso temporis articulo te hostibus lacerandum, & in crucem agendum, vilissimo pretio tradidisse: Hoc nemo nisi solus charitatis & virtutum omnium princeps, facere debuit. ***Granatensis.***

Ponit vestimenta sua, &c. Legitur 2. Reg. 6. Quòd, *cum Michol vidit Dauidem cōiugem & virum suum Regem Israël, qui ante arcam Domini saltabat, irridens dixit: Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israël discoperiens se, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris:* Plus verus hic noster Dauid, præstat hodie, qui non ante arcam Domini, sed ante pauperum piscatorum pedes ponit vestimenta sua, humiliterque procumbit. Obserua, Dominum Redēptorum nostrum, quater deposuisse vestimenta sua, terque ea re sumpsisse. Hîc deposuit vestimenta sua & resumpsit: Secundò cùm flagris verberatur, quia nudus verberatur, & deinde depositas resumpsit vestes: Tertiò cùm à militibus illuderetur, propria fuit exut⁹ veste, purpura veteri indutus, sed posteà

suis iterum vestibus amictus est: Quartò, quando cruci suffigitur, nudatur vestibus posteà non reinduendus.

Misit aquam in peluim, &c. Et cœpit lauare pedes Discipulorum. Horrendum vtique spectaculum & inauditum. Magister discipulorum pedibus aduoluitur, quasi vile mancipium.
Abacuch 3. 70. Interpr. Abacuch capite tertio. *Cogitaui opera tua & expaui,* ex versione 70. Κύριε κατενόησα, consideraui, τὰ ἔργα σου, καὶ ἐξέστην, & obstupui, ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, *In medio duorum animalium cognosceris.* Ita illi transtulerunt.
Homer°. Scribit Homerus, Ὀδυσσ. Τ. id est, lib. 19. quomodo Vlysses ignotus ad domum propriam, suamque Penelopem veniens recipitur, & obsequio hospitij, benignè ab ea tractatur, quæ dum iuberet vt ipsum famulæ lauarent, Respondit Vlysses: Neque mihi peluis pedum amabilis in animo est: neque mulier pedem tanget nostrum, Harum quæ tibi domi ministræ sunt, Nisi aliqua vetula est antiqua prudentia sciens, Quę tolerauit tot mente quot ego, Huic non inuidero pedes tangere meos: Et anus prudens Euryclea nutrix Vlyssis, illi pedes lauit: Vetula lebetem accepit splendidum quo pedes lauabat: Aquam autem infudit multam frigidam, postea autem calidam, statimque cognouit illa cicatricem, quam aliquando aper infixerat albo dente. Hactenus Poëta Græcis quidem versibus hæc descripsit, quibus Græcè recitandis & huc transcribendis, breuitatis ergo supersedeo. Sed vide: Vlyssi lauantur pedes, at Christus ipse seruis lauat pedes & abstergit. Non sustinet ancillarum ministerium Vlysses in lauandis pedibus: hic autem seruitium exhibet abiectissimum suis Discipulis Christus: Recusabat quidem Vlysses lauari, præ singulari modestia, tamen ab Euryclea nutrice tum demum lotus est, Et Petrus initio refugiebat lauari à Christo sed tandem consensit. Sicque non absurdè hæc inter se conferuntur.

Cœpit lauare pedes Discipulorum, Nota vsitatam esse Euangelistis narrandi methodum, vt primùm quid factum sit, demùm quomodo & quo ordine factum sit explicent. Factum igitur est, quòd lauerit & terserit discipulorum pedes. Ordo facti, quòd venerit ad Symonem Petrum, vt idem prosequitur Euangelista.

Venit ergo ad Symonem, &c. Qui primus in Apostolorum
D. Aug. Catalogo ponitur. Augustinus opinatur neminem ante Petrum lotum fuisse, sed ab eo Christum fuisse exorsum. Ille tom. 9. tract. 56. circa principia sic scribit: Non ita intelligendum

ligendum est, quòd post aliquos ad Petrum venerit, sed quòd ab illo cœperit: Quando ergo pedes discipulorum lauare cœpit, venit ad eum à quo cœpit, id est, ad Petrum. Quis enim nesciat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Et tunc Petrus, quod etiam quilibet eorum expauisset, expauit atque ait.

Domine tu mihi lauas pedes. Hæc ibi. Ibidem subiungit, Quod ait Dominus: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Totus vtique præter pedes, vel nisi pedes, quos habet opus lauare. Sed quid sibi vult quòd opus habeat pedes lauare etiã ille qui lotus est? nisi quia homo in sancto quidẽ baptismo totus abluitur, nõ præter pedes, sed totus omninò. Veruntamen cùm in rebus humanis posteà viuitur, vtique terra calcatur: Ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate nõ viuitur, quasi pedes sunt, vbi ex humanis rebus afficimur, & sic afficimur, *Vt si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus.* 1. Ioan. 1. Hucusque D. Augustinus. At D. Chrysostomus tomo tertio, Homil. 69. in Ioannem aliter sentit. Iurè, inquit, quispiam quæreret, quomodò nullus aliorũ lauari recusauit, præter Petrum? quod non parui amoris fuit, & reuerentiæ argumẽtum. Quænam est causa? Arbitror ante omnes, proditoris pedes lauasse, inde venisse ad Petrum, à quo & cæteri admoniti sunt quid esset faciendum. Quòd enim alium quempiam ante lauerit, constat cùm dicit: Venit ad Petrum: id verbum, Cœpit, alium ante lauasse significat. Quod & si Petrus primus erat, credibile tamen est, proditorem impudenter ante Apostolorum principem discubuisse. Nam & aliundè impudentia eius ostenditur, cùm intingeret cum magistro, & cùm reprehẽsus minimè compunctus esset: Iudam enim nihil pudebat, In recusando vehemens Petrus, & in permittendo vehementior: Vtrumque ex amore. Hęc ille. Idem Homilia septima. Exemplum dedit vt ita faceremus, secundum possibilitatem. Etenim Magistri pueris quàm pulcherrimas literas scribunt, vt vel in deterius imitentur. Sic & nos pro modulo nostro sequamur eius vestigia. Hæc D. Chrysostomus. Cum D. Augustino tenendum, Christum à Petro sumpsisse lauandi exordium. Non grauabor hoc in loco clarissima aliquot Principum & Sanctorum virorum exempla, qui officium hoc lauandi pedes inferioribus deuotissimè præstiterunt, commemorare. De Placilla Theodosij maioris Imperatoris

1. Ioan. 1.

D. Chrysostomus.

D. Chrysostomus.

vxore, in Tripartita, libro nono, capite trigesimo primo, ita narratur apud Cassiodorum: Non regni fastigiis eleuata est, sed potiùs diuino amore succensa. Repentè vt venit ad purpuram, claudorum atque debilium maximam habebat curam, non seruis non aliis ministris vtens, sed per seipsam agens, & ad eorum habitacula veniens, & vnicuíque quod opus haberet præbens. Sic etiam per Ecclesiarum Xenodochia discurrens, suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, ius gustans, offerens coclearia, panem frangens, cibosque ministrans, calices abluens, & alia cuncta faciens, quæ seruis & ancillis mos est solemniter operari. Illis autem qui ei tales res nitebantur prohibere dicebat: Aurum distribuere opus Imperij est, Ego autem pro ipso Imperio hoc opus offero, bona mihi omnia conferenti. Hactenus de Sancta illa Augusta seu Imperatrice. Addam huic non admodum dissimile alterius Reginæ exemplum, quæ Maximo Imperatori nupta erat: Apud Seuerum Sulpitium, de vita Beati Martini, Dialogo secundo ante media: Maximus Imperator Rempublicam gubernabat, qui Martinum receptum intra palatium venerabiliter honorabat, totus illi cum eo seruo de futuris, de fidelium gloria, de æternitate Sanctorum, cum interim diebus ac noctibus de ore Martini Regina pendebat. Martinus, quem nulla vnquam fœmina contigisset, istius assiduitatem, imò potiùs seruitutem non poterat euadere. Non illa opes regni, non Imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat, diuelli à Martini pedibus solo strata non poterat: Postremò à viro suo poposcit, deinde Martinum vterque compellunt, vt ei remotis omnibus ministris, præberet sola conuiuium, nec potuit vir beatus, obstinatius reluctari. Componitur castis Reginæ manibus apparatus, sellulam ipsa consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat, cibum quem ipsa coxerat, apponit: Ipsa, illo sedente, eminùs secundùm famulantium disciplinam, solo fixa consistit immobilis, per omnia ministrantis modestiam, & humilitatem exhibens seruientis, miscuit ipsa bibituro & ipsa porrexit. Finita cœnula, fragmenta panis absumpti, micásque collegit, satis fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens. Hactenus Seuerus Sulpitius. Et ne à Beato Martino recedam, idem Sulpitius libro primo de vita eiusdem circa principia, Scribit illum cùm esset anno-

Cassiodorus.

Sulpitius de Beato Martino.

Sulpitius.

rum

rum qūindecim, sacramētis militaribus implicatum fuisse, vno tantùm seruo comite contentum: Cui tamen versa vice Dominus seruiebat, adeò vt plerunque ei & calceamenta ipse detraheret, & ipsa detergeret, cibum vnà caperent, hic tamen sæpius ministraret. Hęc ille. Sed ad Diuum Ludouicum Christianissimum Regem nostrum, accedat oratio & narratio. Scribit de illo Guaguinus libro septimo. Per omnem vitam singulari charitate pauperes curauit: Ita vt quoque die centum & viginti inopes quotidiano alimento reficeret, præter alios, quibus Christi exēplo pedes ipse abluebat. Nec horrori sibi erat exulceratos fœtenti sanie leprosos osculari, & eos ad colloquium admittere. Hæc ille. Granatensis in præsenti Euangelio Fer. 5. in Cœna Domini, Concione tertia parte priore, secundo tomo. Non semel in anno, inquit, sed singulis sabbatorum diebus in loco secretissimo, pauperum pedes abluebat, & lotos deuotissimè osculabatur: Idemque obsequium eorundem manibus præstabat, certam pecunię summam vnicuique tribuens. Quin certis etiam diebus ducentis pauperibus antequam ipse pranderet, manu propria fercula ministrabat. De Helena piētissima Magni Cōstantini matre, sanctissima fœmina, superiore quadam cōcione memini me ex historia Ecclesiastica similia retulisse ac transcripsisse. Nunc ad textum explicandum regrediamur. *Guaguinus.*

Domine tu mihi lauas pedes? Flecteris domine ante me, *cui flectitur omne genu cœlestium terrestrium & infernorum.* Phil. ca. 2. Lauas tu pedes mihi Domine, qui te cognosco, nō sicut alij homines, qui te humanitùs cognoscūt, prout, caro & sanguis eis declarauit, sed te cognosco secundā in diuina Trinitate personam, prout Pater tuus mihi reuelauit? Matth. 16. Mihi Domine qui in monte Thabor te trāsfiguratum vidi, cum ex vultus tui claritate vestimenta tua candidiora facta sunt niue? quique vidi reuerētiam & honorem, quem tibi exhibebant Moyses & Helias principes Synagogæ? Mihi Domine, qui de cœlo vocem dicentem audiui: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite*: Nunquid meos pedes his diuinis manibus attinges quæ mortuos, quos tangunt, resuscitant? & quibus coram me panes multiplicasti? Mihi Domine qui harum rerum omnium sum testis, & optimè dignitatem tuam, & humilitatem ac vilitatem meam noui? Rem tam indecen- *Philip. 2.* *Mat. 16.*

tem nequaquam patiar. Et surgebat his dictis, vt verissimile est, recusans à Christo lauari. Vbi, Petre, obedientia? Est magistri iubere, At verò tuum est iussa capescere, non autem pertinacius obluctari: Tace & sustine. Expauit Petrus ad tantam Christi dignationem: Tu Dominus maiestatis, mihi vilissimæ creaturæ, imò misero peccatori pedes lauas? *Nos adorare debemus in loco vbi stant pedes tui*: iuxta Psaltem Regium, *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius:* Imò iuxta eundem, *Adorate scabellum pedum eius.* Et Psalm. 2. ex Hebraica translatione. Adorate filium, vbi septuaginta verterunt, apprehendite disciplinam, vt alibi fusiùs hac de re diximus. Sic enim legitur in contextu Hebraico. Nascubar, Adorate, vel osculamini, adorando & venerando, filium, purè illum colite, summúmque exhibete honorem. Quomodò tu qui sedes super Cherubin, cui millia millium ministrant Angelorum, cui astra cœli famulantur, ante pedes meos procumbere, eósque famulorum more lauare velis: Ego tuos, Domine, pedes lauare debeo, cui Magdalena lachrymis suis pedes lauit: Ego impressa humi vestigia tua exosculari, hoc meum munus, imò mea maxima gloria est. Ioannes Baptista, Matt. 3. Christo dicebat: *Ego debeo abs te baptizari, & tu venis ad me?* Clamabat Centurio, Matth. 8. *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Rursus Ioannes de Christo dicebat: *Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti*, Et ego peccator, patiar te magistrum meum, Dominum meum, & verum Dei viui, quem confessus sum palàm, filium charissimum, mihi lauare pedes? Quid est tu, inquit Diuus Augustinus loco præcitato, in Ioannem, Quid est mihi? Cogitanda potiùs sunt quàm loquenda (sicut de Carthagine scribit Salustius, dicens satius esse silere quàm de ea pauca dicere) Ne fortè quod ex his verbis aliquatenus quidem dignè concepit anima, non explicet lingua. Hæc D. Aug. ibi. Tu creator, tu vita mortuorum: Quem ipsi etiam Dæmones filium esse Dei confessi sunt, quem Ioannes Baptista agnum Dei qui peccata mundi tollat, liberè professus est: Mihi cineri & vermi, his manibus quibus oculos cæcorum aperuisti, leprosos mũdasti, mortuos suscitasti, lauas non manus aliamve partem corporis honestiorem, sed pedes, qui vt extremæ omnium, sic & maximè sordidæ, & ignominiosæ partes habentur, quos non nisi petita venia nominare ciuilitas exigit: Id quomodò feram? Memento

Matt. 3.

Mat. 8.

Salusti.

quæ

quæſo, quid mihi tecum acciderit, cùm laxare retia præcepiſti: Luc.5. Cùm enim maxima ad verbum tuum piſciū multitudine capta (qui tota nocte fruſtra laboraueram) tātus me de maieſtate tua ſtupor inuaſit, vt protinus clamarem: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Si ergo hoc vno ſigno conſpecto, præſentiæ tuæ maieſtatem ferre non potui, quomodo qui tā multa & miranda poſtmodùm vidi, ferre potero te meos lauare pedes: Cui Dominus. *Luc.5.*

Quod ego facio, &c. Quaſi dicat quod Ioanni Baptiſtæ Reſpondit: *Sine modo, ſic nos decet implere omnem iuſtitiam,* hoc eſt, profundiſſimam oſtendere humilitatem. Sed id nō intelligis, nunc quidem ignorans hoc myſterium, *ſcies autem posteà.* Cur obſiſtis cùm neſcias quo fine hoc faciam? Putabat Petrus ad corporis recreationem hoc à Domino fuiſſe incœptum. Nondum plenè nouerat quòd in ſchola Chriſti maior eſt, qui humilior, & quòd qui à Chriſto lauari non vult, nihil aliud prætendit quàm quòd iuſtus ſit, & gratia Dei non opus habeat. Hoc profectò Petrus non conſiderabat, alioquin non repugnaſſet.

Quod ego facio tu neſcis modo, &c. Sic docet factum iſtud, & exemplum eſſe & myſterium. De exemplo infra dicitur,

Exemplum dedi vobis, &c. De myſterio autem incarnationis habita ratione, ſic: Tunc Chriſtus poſuit veſtimenta ſua, non amittens quod erat, ſed aſſumens quod non erat, *habitu inuentus vt homo, ſemetipſum exinaniens,* & quaſi maieſtatem illam celans humilitate. Iſaiæ 45. *Verè tu es Deus abſcōditus.* Ionæ tertio. *Surrexit Rex Niniuæ de ſolio ſuo & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere* præfigurabatur, quòd Rex cœli de maieſtatis ſuæ ſolio per carnis aſſumptionem deſcenderet, non quidem ſuam gloriam deſerens, ſed ab ea maximè ſe humilians, & ſacco noſtræ mortalitatis indueretur, & valdè humiliaretur. Vnde Pſalm. *Conſcidiſti ſaccum meum, & circundediſti me lætitia.* In hoc humanitatis aſſumptæ ſacco deliteſcunt copioſiſſimi theſauri: in eo reconditæ ſunt opes immenſę: in quo etiam plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter, vt D. Apoſtolus ſcribit: Seditq; in cinere, id eſt, pro nobis pœnitentibus ſuſcepit partes, vt ſua rigoroſa pœnitentia, ieiunio, & aliis pœnalitatibus pro nobis voluntariè aſſumptis, exactè ſatisfaceret mortem ſubiens ignominioſiſſimam. *Lintheo ſe præcinxit,* vt accinctus operi promptius miniſtraret, Philip. 2. Formam ſerui accipiens. *Iſai 45. Ionæ 3. Phil. 2.*

Misit aquam in peluim, vt suo lauachro & regenerationis Sacramento nostras sordes ablueret. Sicq; *cœpit lauare pedes*, id est, affectiones prauas, vt puris nedum operibus, sed etiam desideriis & cogitationibus ad eius mensam sedeamus, prorsus loti. Sacramentum hoc magnum est.

Non lauabis mihi pedes in æternum, &c. De quibusdã scribit Apostolus, Ro. 10. *Zelum habent & æmulationem, sed non secundum scientiam.* Efficitur hic zelus Petri indiscretus in duobus. Primò, Recusat quod sibi vtile & necessariũ erat, vt in sequentibus Christus ostendit, dicens: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Secundò, Deinde irreuerẽter in Christum agit Petrus, vt qui eius consilium emendare velle videatur.

Rom. 10.

Christus autem illum repressit. *Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dominus pars hæreditatis meæ*, inquit Regius vates. Cum Domino portionem non habet nisi qui mundo corde est: Mat. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbũt.* Heb. 12. *Sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Apoc. 21. *Non intrabit in eam* (Hierusalem cœlestem) *aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium.* Et Psalmographus: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingreditur sine macula. Igitur si nõ lauero te:* Nõ nisi pedibus mũdis ac lotis, nedũ manib. nõ habebis partem mecũ: quia cum peccatis etiam leuibus & venialibus nemo conscendit in cœlum, nec nisi purgatis prius leuibus maculis igne purgatorio, partem poterit habere cum Christo. Pedes sunt affectus, purgatione indigens. Mat. 6. *Dimitte nobis debita nostra.* Obserua: Parui quidem momenti esse videbatur pedum lotio, & quasi simplex ceremonia, sed homini animali & carnali, qui demum spiritualis redditus, ex ea magna intellexit mysteria, Reiiciebat lotionẽ, quòd quid ea sibi vellet, nõ intelligeret. Et ea ipsa ratione se tutos aliqui putabunt, quod ignoratione quæ fiũt ab Ecclesia reiecerunt? At qui moniti fuerunt, & intelligere debuerunt.

Matt. 5.
Heb. 12.
Apo. 21.
Matt. 6.

Quod sicut non excusatus est Petrus ab obsequio eius rei quam non intelligebat, ita neque illi. Tãtùm enim abest vt excusetur, quòd Christus addit: *Si non lauero te nõ habebis partem mecum.* Et hoc quidem cùm eum quasi pertinaciter insistere videret: Hæc Beauxamis in præsentem locũ Euangelicũ. *Si non lauero te, non habebis partem mecũ.* Ergo cum impiis participatis. Necesse est vt à me laueris,

Beauxamis.

san

sanguine meo abluaris Apoc.1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Heb.1. *Purgationẽ peccatorũ faciens.* Verùm quęri potest, Quomodò fuerit hæc lotio sic ad salutem necessaria, vt ea non accepta, non fuerit Petrus, cum Christo partem habiturus? Respondeo: Aut lotio illa ad factum refertur aut ad significatum. *Apoc. 1.* *Hebr. 1.*

Siquidem ad factum, quamuis lotio ex se minus quidem esset necessaria & tanquam quid *αδιάφορον*, hoc est, indifferens: tamen quia à Christi institutione & mandato proficiscebatur, non nisi cum salutis dispendio Petrus eam reiicere poterat. 1. Reg. 15. *1. Reg. 15.*

Melior est obedientia quàm victima: Porrò si lotionis significationem attendas, tum id quod dicitur manifestum erit.

Quis enim hæreditatis æternæ particeps fieri potest, nisi per Christum mundetur? vt supra satis comprobatum est. Ex his verbis discimus baptismatis Sacramentum omnibus esse ad salutem necessarium, Dicente Domino, Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c.*

Domine non tantùm pedes, &c. Quasi dicat: Si sic res habet, fiat voluntas tua. Nihil obsto, tantùm à te non separer. *Domine ad quem ibimus?* Dicebat idem Petrus, Ioannis sexto. *Verba vitæ æternæ habes.* Offero manus, caput, totum corpus: Laua vt voles, non recuso: Prius non intellexi, veniam peto. Sic Dauid 2. Regum 15. *Si dixerit, non places, præsto sum, faciat quod bonum videtur in oculis suis.* Idem in Psalmis. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* *Ioan. 6.* *2. Reg. 15*

Qui lotus est non indiget. Quasi dicat: Non opus est, vt caput & manus tibi lauem, in his satis lotus es: Pedes non possunt satis lauari, statim iterum inquinantur. Duplici lotione indigemus: Vna qua totum corpus per baptismum abluitur, id est, perfectè plenéque homo mundatur. Tit. 3. *Lauachrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti*, vocat Apostolus: Altera in quotidiana pœnitentia, abluimus pedum sordes. Threnorum 1. *Sordes eius in pedibus eius.* *Tit. 3.* *Thren. 1.*

Non indiget, scilicet hoc modo denuò lauari in baptismo. Satis est semel baptizari, nec reiteratur baptisma, Ex Symbolo fidei in Missa decantato: *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.* Notanter dicitur vnum non

duo, quia Ephes.4. *Vnus Dominus, una fides, unum baptisma.* Argumentum inde sumitur quòd erāt baptizati Apostoli.

D. Aug. D. Augustin.to.2. ad Seleucianam religiosissimam Dei famulam, de baptismo scribens, Epistola centesima octaua. Miratus sum, inquit, quomodo dicat Nouatianus iste, Petrum baptizatum non fuisse. Nunquid possumus de Apostolis dicere, quòd non fuerunt baptizati, qui vsque adeò largum tempus habuerunt quo baptizarentur, vt alios baptizarent? Sed non omnia quæ facta sunt etiam scripta inueniuntur, veruntamen facta esse ex cæteris documentis probantur. Scriptum est quando baptizatus sit Apostolus Paulus, & scriptum non est quando baptizati sint Apostoli, Veruntamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus.

Ioan.3.4 Vtrumque de Domino scriptum est Ioan. c. 3. & 4. & quia baptizabat plures quàm Ioannes, & quia ipse non baptizabat, sed discipuli eius: vt intelligeremus & ipsum quidem baptizasse præsentia maiestatis, non tamen ipsum baptizasse manibus suis. Ipsius enim erat baptismi Sacramētum, ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat.

Ioan.3. Ioan.3. *Venit Iesus in Iudæam terram & illic morabatur cum discipulis suis, & baptizabat*, deinde, c.4. audierunt Pharisæi, *quòd Iesus plures discipulos facit & baptizat quàm Ioannes* (quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) *tunc reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galileam.* Ergo tunc quando ab Hierosolymis exiit cum discipulis suis in Iudæam terram, Baptizabat non per seipsum, sed per discipulos suos quos intelligimus iam fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur, siue quod magis credibile est, baptismo Christi. Deinde citato verbo

Ioan. 13. Domini Ioan.13. *Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Vbi, inquit, intelligitur quòd iam Petrus Baptizatus fuerat. Rectè quidē dici potest, quia cùm Petrus negauit Dominum, nondum fuerant Apostoli baptizati, non tamen aqua sed Spiritu sancto. Hoc enim eis

Act.1. dixit postquam resurrexit, Act.1. *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, quem & accepturi estis non post multos hos dies.* Hactenus ille Seleucianæ. Quod autem de Baptismo Spiritussancti, ex Actis ponitur, non repugnat huic positioni: Quòd Apostoli prius fuerint baptizati etiam baptismo Christi, quod longè verissimillimum est, & ex verbis Christi, *Sed est mundus totus,* satis colligitur. Nam hæc est differentia inter baptismum Ioannis, & baptis

& baptiſmum Chriſti, quòd ille non contulerit remiſſionis & ſanctificationis gratiam, ſed ad eam præparauerit, hîc autem gratiam & ſanctificationem tribuat. Sic enim Tertullianus libro de Baptiſmo circa media de Ioãnis Baptiſmo: Nihil, inquit, cœleſte præſtabat, ſed cœleſtibus præminiſtrabat, pœnitentiæ ſcilicet præpoſitus. Deinde, agebatur baptiſmus pœnitentiæ, quaſi candidatus remiſſionis & ſanctificationis in Chriſto ſubſecuturæ. Nam quod prædicabat, baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem delictorum, in futuram remiſſionem enunciatum eſt. Siquidem pœnitentia antecedit, Remiſſio ſubſequitur, & hoc eſt viam præparare. Qui autem præparat non idem ipſe perficit, ſed alij perficiendum procurat. Poſteà producto illo loco Ioan. 13. Qui ſemel lauit non habet neceſſe rurſum. Quod vtique non tincto nõ omninò dixiſſet. Et hæc eſt probatio ex certa aduerſus illos qui adimuit Apoſtolis etiam Ioãnis baptiſmum, vt deſtruant aquæ Sacramentum. An credibile videri poteſt in his perſonis viam tunc Domini non præparatam, id eſt, baptiſmum Ioannis, qui ad viam Domini per totum orbem aperiẽdam deſtinabatur? Ipſe Dominus nullius pœnitentiæ debitor tinctus eſt, peccatoribus non fuit neceſſe? Hæc Tertullianus ibi. Nedum autem cum Tertulliano ſentiendum Apoſtolos baptiſmo Ioannis baptizatos fuiſſe, ſed, quod amplius eſt, cũ D. Auguſtino, optimo antiquitatis interprete, baptiſmo etiam ipſius Chriſti baptizatos eos fuiſſe credere par eſt. Ergo, inquit Lyranus, quod Actor. 1. dicitur: *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto*, intelligendum eſt de receptione Spiritus ſancti, in ſigno viſibili, de qua habetur c. 2. in die Pẽtecoſtes, quæ dicitur baptiſmus metaphoricè, eò quòd gratia Spiritus ſancti vnctio dicitur, 1. Ioan. 2. *Vnctio eius docet vos de omnibus*. Vnctio autem de liquidis eſt, vt aqua. Hæc Lyranus. Nicephorus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 3. Diuinus, ait Euodius, qui & ipſe Apoſtolorum ſucceſſor fuit, in Epiſtola quam φῶς, hoc eſt, lumen inſcripſit, hæc quoque poſuit: Chriſtus, inquiens, manibus ipſe ſuis Petrum tantùmodò baptizauit, Petrus porrò Andræam, & filios Zebedæi: Hi deinceps reliquos Apoſtolos: Septuaginta autem illos Petrus & Ioannes, Theologus dictus, baptizarunt. Hæc ibi.

Tertull. *Ioan. 13.* *Lyranus.* *Act. 2.* *1. Ioan. 2* *Nicephorus ex Euodio.*

Eſt mundus totus. ſubaudi (vt ſupra ex D. Auguſtino obſeruatur) niſi pedes, vel præter pedes. Quomodò cùm non ſit ſine peccato? Reſpõdeo quia ſanctificatus per baptiſmũ,

& Chri

& Christo per fidem viuã incorporatus:& licet habeat venialia,non separant tamen eum à charitate & gratia Dei.

Et vos mundi estis. Hoc iucundum:Sed non omnes, hoc terribile. Nedum Iudam pertulit, sed malos etiam Christianos. Iudas externè lotos habebat pedes, sed non conscientiam.*Sciebat quis traderet eum.* Colligitur ex hoc Christum Iudæ proditoris lauisse pedes.

Scitis quid fecerim vobis? Iam explicat (vt pollicitus erat Petro) huius lotionis rationem & mysterium. Non ignorabant Apostoli pedes sibi lotos, sed ad quid & quorsum nondum capiebant. *Vos vocatis me* (his magnificis titulis & nominibus) *Magister & Domine, Bene dicitis.* Verè quidem hæc mihi competunt & iurè:*Dominus vniuersorum ipse est*, & magister *qui docet hominem scientiam, Rex Regum & Dominus dominãtium:*in Apocalypsi. *Si ego laui pedes vestros, &c.*Quasi dicat: Dedecus est discipulo non imitari magistrum:Ruborem illis incutit, si renuant magistri sequi vestigia.Si hominẽ,quantò magis Deum humiliatũ?Matt.11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde:* Ephes.5. *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Fuisset seruorum lauare pedes Dominorum, Ordinem hunc inuerti, humilitatem & charitatem docere volui,& exemplo meo vos persuasos reddere. *Magis enim* (quod vulgò dicitur) *mouent exempla quàm verba.*Vnde Poëta.

Matt.11. *Ephes.5.* *Horati⁹.*

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus,&c.

Exemplũ dedi vobis,&c. Nimirum humilitatis:*Vt quemadmodum ego feci,ita & vos.* Nota Christũ nobis imprimis commendare humilitatem de qua variis in locis fusiùs tractauimus. Ipse archetypus & exẽplar, quod nobis imitandum proponitur. Exemplum scriptoris,vt eius manũ quãtum fieri poterit commodè imitentur,qui literas depingere addiscunt,supra protulimus ex D.Chrysostomo. Moysis Exod.25. quod D.Paulus ad Hebræos c.8. repetet, dictum est:*Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Scribit Seneca lib.1.Epistolarum Epistola vndecima.Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus,vt sic tanquam illo spectãte viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus:Elige autẽ eum, cuius tibi placuit & vita & oratio,& illũ semper tibi ostende exemplum. Opus est aliquo ad quem mores nostri se ipsi erigant,nisi ad regulam praua non corriges, Hæc ibi.

Exod.25 *Seneca.*

Quis

Quis melius nobis proponetur totius virtutis exemplum & idea perfectionis quam Christus redemptor noster, qui prædicat se Exemplum omnibus ad imitãdum propositum esse, dicens hoc loco: *Exemplum dedi vobis, &c.* D. Hieronymus ad Paulinum, de institutione Monachi, to.1. Epistolarum. Habet vnum quodque propositum principes suos: Romani duces imitentur. Camillos, Fabritios, Regulos, Scipiones: Philosophi proponant sibi, Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem: Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentiũ: Historici Thucydidem, Salustium, Herodotum, Liuium: Oratores Lysiam, Gracchos, Demosthenem, Tullium: Et vt ad nostra veniamus, Episcopi & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Nos habeamus propositi nostri Principes: Paulos, & Antonios, Iulianos, Hilarionẽ, Macarios. Noster princeps Helyas, noster Eliseus, nostri duces filij Prophetarum, & filij Rechab. Hucúsque D. Hieronymus. Ex quo patet excellẽtes in vnaquaque arte viros in exemplum meritò cæteris proponi: Quantò magis Christus pro exemplo debet esse nobis? Cicero Tusculanarum Quæstionum li.4. initiò: Grauissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, vt deinceps qui accumberent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. Vnde Plutarchus tom. 1. Opusculorum, de Institutis Laconicis: Carminibus & cantilenis. inquit, studium impendebãt: Cõpositio nihil aliud continebat, quàm Laudes eorũ qui strenuè in vita se gessissent, & pro Sparta occubuissent, ideóque beati prædicarentur eorum vicissim vituperationes, qui timidi & ignaui fuissent, tanquam infelicem degentium vitam: & tres chori erant, sicut tres ætates eorum, qui in solemnitatibus cõueniebãt. Chorus senum primus canebat: Iuuenes eramus olim Marte strenui. Eorum qui ætate florebãt chorus. Tales sumus nos. Experire si libet. Tertius, qui puerorũ erat: At nos futuri strenui magis sumus. Hæc ibi. Quorsum, amabo, ista canerent secundum varios ætatum gradus, nisi ad æmulationem prouocandam? Hinc Valerius lib.2. ca.1. Maiores natu, ait, in conuiuiis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quoad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderẽt. Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabritij, Marcelli, Fabij. Hæc ille.

D. Hier. *Cicero ex Catone.* *Plutarc.* *Valerius.*

Quanto

Quanto magis omnium magistri,& Domini nostri exemplum nos mouere debet,alacrésque efficere ad currendam viam quam ipse prior monstrauit ? Sicut enim vt cecinit Poëta.

Claudianus.

-----Componitur orbis
Regis ad exemplum:

Sic Discipulus studet præceptorem ac magistrum, quo ad potest imitari, & vt ait Christus. Sufficit Discipulo si sit sicut Magister eius.Iob.23. *Vestigia eius secutus est pes meus.* 1.Petri 2. *Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum,vt sequamini vestigia eius.* Refert Plinius lib.15.cap.9. Quòd Zeuxis pictor Agrigentinus (in Sicilia) facturus tabulam quàm in tēplo Iunonis Laciniæ publicè dicarēt, inspexit virgines eorum nudas,& quinque elegit, vt quod in quaque Laudatissimum esset pictura redderet. Hæc ibi. Vt Zeuxis picturus Iunonem Agrigētinis siue Siculus virginibus inspectis,quinq; præcipuas elegit, ex quibus præcipuum imitaretur: Ita è plurimis optimi nobis ad exemplum proponendi sunt.D.Ioannes,in tertia Epistola, Charissime,*noli imitari malum, sed quod bonum est.* Bonus autem *κατ᾽ ἐξοχὴν*, vel potius summum bonum. Deus Optimus Maximus, per essentiam, non secundum accidens bonus, iuxta illud:*Nemo bonus nisi solus Deus.* Christus Redemptor noster,Dominus ac Magister,speculū sine macula: in quo omnis elucet perfectio,exemplum proponitur imitādum: vt quemadmodum ille fecit,ita & nos,pro modulo nostro, faciamus: Ne tanquam degeneres filij, à patris probitate longiùs recedamus,sed, iuxta vulgatum prouerbium, *Patrem sequitur sua proles*, vt in nobis illud impleatur promissum Christi, Ioan.8. *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, nempe æternæ ac beatæ. Quàm nobis concedere dignetur post hanc miseriæ vallem, Optimus ac benignissimus Christus. Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Iob.23. *1. Pet. 2.* *Plinius.* *Ioan.8.*

✱

DE




DE SACRAMENTI EVCHARISTIÆ INSTITVTIONE.

Homilia prima.

Ex Matth.26. Mar.14. Luc.22. & 1.Cor.11.

Cœnantibus illis, Accepit Iesus panem, Benedixit, & fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, quòd pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationẽ. Similiter & calicem postquã cœnauit &c.



SOlẽt qui sunt aliò discessuri, & qui peregrè proficiscuntur, cùm eis quos ex animo diligunt, tum demum & finaliter in charitate non ficta conuiuium celebrare, inibiq; quæ sunt eximiæ familiaritatis & amicitiæ loqui & agere, deindéque discedentes eisdẽ quos verè sinceréque amant, munus aliquod quod charissimum habent, donare, vt ipsum sit mutui ac veri amoris tam testificatio, quàm frequens memoria, & quòd dicunt Græci, μνημόσυνον, Sic seruus ille Abrahami, Genes.24. discessurus post habitum conuiuium, fratribus & matri Rebeccæ, ipsiq; puellæ, dona obtulisse, deindeq; domum perrexisse traditur: Nimirum suæ in illos charitatis atque memoriæ testimonium & signum. Ita sanè Christus Dominus discessurus, mortémque perpessurus, vt veri amici faciũt, nocte qua tradebatur. 1. Cor. 11. Cùm duodecim Apostolis agnum Paschalem Iudaïco more comedit: & post pedum lotionem, de qua supra, hoc quòd charissimum habuit, scilicet corpus suum Sanctissimum, illis pro cibo & viatico tradidit illis manducandum: *Accipite & manducate, Hoc est corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem.* Demonstrans sanè his verbis, hoc ipsum suum corpus, quòd se antea daturum promiserat, Ioan.6. *Panis quem*

1.Cor.11.

ego da

ego dabo caro mea est pro mundi vita &c. In signum sui erga suos amoris, & in suæ passionis memoriam tradere 1.
1.Cor.11. Cor.11. *Quotiescunque manducabitis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Tantus est veri sponsi in coniugem suam affectus, vt si ab ea sit discessurus, xenium quoddam meditans, si fieri posset, seipsum in ipso xenio relinqueret. Nam & principes qui curant imagines efficacissimè sui repræsentatrices depingi, vel donandas vel mittendas amicis, eadem facilitate, si præstari per eos posset, seipsos donarent sub imaginibus illis. Animus certè præstandi istud non deest, tametsi potentia & arte careant quominus illud valeant exequi. Cæterùm, quia Christus suæ dilectæ sponsæ Ecclesiæ tam charus & beneuolus est sponsus, vt pro ea sanguinem suum fundere non dubitarit, cur alienum ab huius amoris immensitate putari debet, vt nobis corpus ipsum & sanguinem tribuat in memoriam sui? Maximè quòd illi potentia non defuerit, qui & imperio suo cuncta
Genes. 1. fecit ex nihilo: Genes.1. *& qui verbo virtutis suæ omnia por-*
Hebr.1. *tat*: Heb.1. *Cuius etiam verbo aptata sunt sæcula, vt ex inuisi-*
Heb.11. *bilibus visibilia fierent.* Heb.11. Neque illi demum defuit sapientia, qua tam commodè præstet hoc ipsum, vt & citra quamuis iniuriam sui corporis, & citra horrorem edentium suam nobis carnem edendam proponat. Nimirum sub specie panis, ita vt nec ipse vllam pateretur iniuriam, neque nos horrorem aliquem ex ipsius esu caperemus. Consentaneum igitur fuit tam ardenti, tam potenti, tam sapienti amatori, & sponso, vt cum per corporalem, eámque visibilem præsentiam esset à charissima sua sponsa, scilicet Ecclesia, discessurus, seipsum in monumento quodam relinqueret in cibum spiritualiter verè interim nutrientem & integrè manentem. Pauperculum sanè munusculum fuisset, & prorsus indignum tanto principe & sponso pro monumento sui frustulum dedisse panis, vel figuram quandam, & nudam repræsentationem sui donasse. Si verba Christi attendis.

Hoc est corpus meum, Accipite & manducate, Nullus relinquitur dubitandi locus. Nec est nisi planè impius qui neget verùm Christi corpus post tam efficax poténsque Christi verbum sub specie panis contineri. Ante consecrationem quidem panis est communis: sed vbi verbo Christi
1.Cor.11. consecratur mysterio fit & dicitur Corpus Christi. 1. Cor. 11. Sic enim Apostolus. *Non diiudicãs corpus Domini,* Verum,
non

non typicum, non mysticum, non figuratè. Hactenus Fridericus Nauseas Centuria 1. Concionum suarum Homil. 35. In feriis cœnæ Dominicæ, vir sanè pius ac doctus & orthodoxus. Violenti amoris indicia fecit Artemisia Regina Cariæ, inquit Gellius lib. 10. cap. 18. & Valerius lib. 4. titulo. 6. De amore coniugali: Virum suum Mausolum adeò adamauit, vt ei sepulchrum insigne erigeret, viríque cineres variis odoribus admixtos in cibum suum, potúmque conuertit. Ipsa viuum ac spirans eius sepulchrum fieri voluit, ait, Valerius, eorum testimonio, qui illã extincti ossa potione aspersa bibisse tradunt. Hæc ibi, de Arthemisia. Amor est animorum vnio, & cùm fieri potest honestè, etiam corporum. Nihil verè amãtis magis proprium, quàm vnum cum illo fieri quem ardenter amat. Ergo Dominus noster, qui nos summo prosecutus est amore, & plusquàm Artemisia coniugem suum vnquam dilexerit, cùm pro nobis ille mortem dirissimam subierit ac pertulerit, vt nos sibi incorporaret & vniret, atque adeò membra corporis eius efficeret, *de carne eius & de ossibus eius.* Ephes. 5. vt intra nos maneret, & in nobs realiter habitaret, cibus noster fieri voluit, Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Qui manducat meam carnem, &c. In me manet & ego in eo.* D. Augustinus to. 1. lib. 7. Confessionem c. 10. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuę, sed tu mutaberis in me. Hæc D. Augustinus. Si Artemisia luctu atque desiderio mariti flagrans, ossa cinerémque eius mista odoribus contusaque in pulueris faciem aut speciem, aquæ indidit, ebibítque, conseruandæ mariti memoriæ causa, & violenti amoris impetu impulsa, vt scribit A. Gellius vbi supra: Quid de domino nostro Redemptore sentiendum erit? qui vt ingeniosissimus amoris magister, vt nos sibi cõiungeret, hanc excogitauit rationem, vt carnem eius ederemus, ita aptatam esui, vt interim nullus horreret, sub quotidiani panis specie contentam, illam in Sacramento sumere. Sic æterna illa *Sapientia, disponens omnia suauiter,* Seipsum nobis sumendum donauit: *Accipite,* inquit, *& comedite, Hoc est corpus meum &c.*

Frideric. Nauf. *A. Gelli⁹.* *Valerius.* *Ephes. 5.* *Ioan. 6.* *August.*

Cœnantibus eis. Voluit Dominus veritatem figuræ succedere cibum carnis suæ, cibo agni. Leuit. 26. Vetera nouis superuenientibus proiicietis. *Recedant vetera, noua sint omnia,* canit Sancta mater Ecclesia, 2. Cor. 5. *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua,* Apocalyph. 21. *Ecce noua facio*

Leui. 26. *2. Cori. 5.* *Apoc. 21.*

Isai.43. omnia, Isai.43. *Ne memineritis priorũ, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea.*
Zach.9. *Accepit Iesus panem, Similiter & calicem.* Quia ex Zachariæ vaticinio c.9. *Quid est bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Iterum, quia *Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech,*
Psal.109. Psalm.109. quidem, vt Genes.14. legitur, panem & vinum
Gen. 14. proferens, scilicet ad sacrificium (*Erat enim sacerdos Dei al-*
Osea.14. *tissimi*) illo ritu sacrificare solitus erat. Iterum Oseæ cap.14. seu postremo, *Conuertentur sedentes in vmbra eius: Viuent tritico & germinabunt quasi vinea, memoriale eius sicut vinum*
R. Dauid Kunchi. *Libani.* Non differam testimonium à Rabbi Dauid Kunchi allatum super hunc Oseæ versiculum, subiungere hoc lo-
Guid. Fabricius. co, prout Guido Fabricius Boderianus ad D. Seueri Alexandrini quondam Patriarchæ, de ritibus Baptismi & Sacræ Sinaxis librum, Epistola dedicatoria retulit, prolatis etiam characteribus Hebraïcis, hoc modo: Sunt, inquit R. Dauid, qui exponunt hęc verba (viuent frumento) Quoniam futura est mutatio naturæ per frumentum, cùm venerit Redemptor. Et paulò post subdit: Et meminerunt præceptores nostri, quorum fausta fœlixque sit recordatio, Mutationis naturæ, quæ futura est per triticum. Cui
Zach.9. quidem interpretationi adstipulatur & illud Zachariæ, ca. 9. Quanta enim est bonitas eius, & quanta pulchritudo eius? Frumentum iuuenes, & mustum germinabit virgines. Hactenus ibi. Subditur statim: Attentè considerent, à cultu nostro Catholico abhorrentes, quàm pulchrè verum vero consonet: nec magnoperè refert, à quonam testimonium veritatis mutuemur. Nam veritas à quocunque dicatur à Spiritu sancto est. Et quæ à Iudæis afferuntur, pro fidei nostræ confirmatione, minùs suspecta esse debent. Solet enim testimonium aduersarij maioris esse momenti in re controuersa, ac dissensionis plena. Hæc Fabricius. Notandum autem sedulò hoc capitalis Christianorum hostis & aduersarij R. Dauidis verum testimonium. De mutatione naturæ quæ futura prædicitur à Prophetis per frumentum (siue quòd idem est, in panis triticei natura seu substantia, quàm accommodatissimo vocabulo, Ecclesia Catholica Transubstantiationem appellat) cùm venerit
D. Dionysius. Messias Redemptor. Dionysius Franciæ Apostolus, Magnus ille Areopagita, libro de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 3. τελετῶν τελετη. Hoc est Sacramentorum Sacramentum,

tum, appellat Diuinam Eucharistiam: Sicut per Excessum dicitur Canticum Canticorum, Cœlum Cœlorum, pro Cœlo empyreo, & similia. Cibum & potum Dominus suis præbuit. Homerus, ιλιαδ.1.in fine De cibo, inquit, & potu (τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή) id est, Hoc enim est robur & virtus. Aureum illud eloquentiæ flumen D. Chrysostomus, in Ioannem, tom.3. homil.45. Vt non solùm, inquit, per dilectionem sed reipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis Christus largitus est. Cùm enim suum in nos amorem indicare vellet per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit vt corpus cùm capite vniretur. Hoc enim amantium maximè est. Hoc Iob significat de seruis, cap.31 à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant: Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur? Quòd Christus fecit, vt maiori nos charitate astringeret, & vt suum ostenderet in nos desiderium: Non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi & manducari, & dentes carni suæ infigi, subaudi sub speciebus, siue sub mysterio, & desiderio sui omnes impleri. Quàm in nos præ se tulit charitatem intelligamus. Parentes sæpenumero liberos suos aliis alendos dederunt: Ego autem mea carne alo, me his exhibeo. Eadem ferè Idem Chrysostomus tom. 5. homil. 60. ad populum Antiochenum. Iterum homil. 83. in Matthæum tomo, si benè memini secundo. Non longè ab eodem proposito distat D. Augustinus tom. 8. in Psalm. 30. concione 1. Christus, inquiens, vsus est materna misericordia: Sicut enim mater lactans eandem escam, cui sumendæ idoneus infans non est, per carnem traiicit & lac infundit: hoc enim accipit paruulus, quòd accepturus erat ad mensam, sed quòd per carnem traiicitur cõgruit paruulo: Sic Dominus sapientiam suam, vt lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos. Idem eandem similitudinem proponit in Psalmum 33. Concione prima. Sic cùm panem Angelorum manducet homo, patet quòd nos quidem sub Sacramento, per modum lactis: Angeli autem sine velamine, facie ad faciem Deum videntes, illo perfruuntur, per modum solidi cibi. Sicque verificatur illud: *Panem Angelorum manducauit homo*. Iterum.

Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, in Prosa seu sequentia de Sacramento, ait D. Thomas. Theophylactus in cap. 6. Ioannis, ad verba: Panis quem ego dabo caro

Homer. *D. Chrysosto.* *Iob. 31.* *Chrysos.* *D. Aug.* *D. Thomas Aquinas.* *Theophila.*

mea est &c. Non dixit figura est carnis, sed caro mea est: Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem & accessionem Sancti Spiritus, in carnem Domini. Et quomodò non apparet caro sed panis? Vt non abhorreamus ab ejus esu. Nam si quædam caro apparuisset, insuauiter affecti essemus erga communionem. Nunc autem condescendente Domino, nostræ infirmitati talis apparet nobis mysticus cibus, qualib' alioqui assueti sumus. Hæc ille.

Damascenus.

D. Ioannes Damascenus, lib. 4. cap. 14. de Sanctorum mysteriis. Panis, inquit, vinum & Aqua in Sacramento per inuocationem & aduentum Spiritus sancti *ὑπερφυῶς μεταποιοῦνται*, id est, supernaturaliter transmutantur in Corpus & sanguinem Christi. Et in sequentibus ibidem dicit: *τοῦτο μοῦ ἐστι, οὐ τύπως τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ σῶμα, καὶ οὐ τύπος τοῦ αἵματος, ἀλλὰ τὸ αἷμα.* Hoc est, si verbum verbo reddideris, Hoc meum est, non figura corporis, sed corpus, & non figura sanguinis, sed sanguis, dicit Dominus. Hæc ibi.

D. Cyprian.

Diuus iterum Cyprianus Sermone de cœna Domini, conformiter scribit: Panis iste quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: Ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia: vt esset religioni circa Sacramenta deuotio. Hucúsque Martyr Cyprianus.

Conciliũ & Decretalis.

Et Concilium œcumenicum Lateranense, sub Innocentio tertio congregatum, Cui Græci & Latini concordes adfuerunt, & habetur extra, De Summa Trinitate, & Fide Catholica, Canone Firmiter credimus. §. Vna est vniuersalis Ecclesia, in qua Christus sacerdos & sacrificium, cuius corpus in Sacramento, sub speciebus veraciter continetur: Transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina. Hæc Concilium generalissimum. Ex quibus facilè patet, Transsubstantiationem, siue naturæ mutationem, siue supernaturalem transmutationem, seu etiam arcanis verbis transformationem, in hoc mysterio ex Christi verbis agnitam fuisse, Veteribus illis Scriptoribus, probatísque Auctoribus, imò etiam Iudæis hostibus Christianismi? Ideóque necessariò admittendam esse & credendam, ex qua rursus facilè conficitur, Verùm Christi Corpus esse in hoc Sacramento, cùm nulla remaneat panis substantia, & disertis verbis Christus dicat: *Hoc est corpus meum.* Non ait hîc, vt Luthero faueat

negarti

neganti Transſubſtantiationem, ſed Hoc, quòd vobis exhibeo, eſt, non dicit, ſignificat: Eſt ſubſtantialiter, non metonymicè, vt Caluinus & Beza. Corpus, non dicit figuram corporis, ne Sacramentariis Cinglianis & Caluiniſtis fauere vllo modo videretur.

De Tranſſubſtantiatione, ſic Iudæorum Rabbini, referente Petro Galatino, libro decimo. De Arcanis Catholicæ veritatis cap. ſexto, ſcripſerunt. R. Moſes Hadarſan, in Pſalmum 136. Qui dat panem vel cibum omni carni, Hoc eſt, inquit, quòd dictum eſt Pſalm. trigeſimo quarto. *Guſtate & videte, quoniam bonus eſt Deus*, quia panis, quem dat omnibus; ipſe eſt caro eius, & dum guſtatur panis, conuertitur in carnem. Et erit hoc mirabile magnum. Hæc ibi. Et R. Cahana, qui longè ante Chriſti Natiuitatem fuit, ſuper illud: Geneſ 49. *Rubriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores*, Hoc eſt, inquit, in ſacrificio quòd fiet ex pane, non obſtante quòd album ſit velut lac, conuertetur ſubſtantia, in ſubſtantiam corporis Meſſiæ, eritque in ipſo ſacrificio ſubſtantia ſanguinis Meſſiæ rubra vt vinum.

Pet. Galat.

Rabbini.

Erunt iterum in ſacrificio vini Sanguis, & Caro Meſſiæ, & eadem erunt in pane: Quoniam corpus Meſſiæ non poteſt diuidi, ſicut ſcriptum eſt Exod. duodecimo, & ſubſtantia non confringetur in eo. Præterea, caro ſine ſanguine, & è conuerſo ſunt res mortuæ: corpus verò Meſſiæ poſt reſurrectionem quia glorificatum erit, ſemper viuet. Et hinc eſt dictum illud, *Dauid Rex Iſraël in ſæculum viuit*, Oculi autem & dentes, ideò dixit vt venuſtior fiat oratio, & ſenſus occultetur.

Hæc ad verbum, Rabbi ille, qui nedum expreſſis verbis tranſubſtantiationem, ſiue conuerſionem ſubſtantiæ agnoſcit, imò etiam concomitantiam, quia etiam ſupra dixerat, quòd ſacrificium quod fiet ex vino, non ſolùm transmutabitur in ſubſtantiam ſanguinis Meſſiæ, ſed etiam conuertetur in ſubſtantiam corporis eius, ſubaudi, per eſſentiam neceſſariamque concomitantiam, quàm vocant Theologi. R. item Iohai, qui multis annis Chriſtum anteceſſit, ſuper textum, Numeri. 28. *Oblationem meam panis mei; offerte per tempora ſua*, id eſt, ait ille, in tempore Meſſiæ: Erit autem hic panis duarum facierum, de quo ſcriptum eſt, Exod. 25. לחם פנים, id eſt, *Panis facierum coram me ſemper*. Quare

Quare autem dicatur Panis facierum, ratio est, quia, vt ait R. Iudas transmutabitur ex substantia panis, cum sacrificabitur in substantiam corporis Messiæ, qui descendet de cœlis, & ipse idem erit sacrificium. Et magistri aiunt, eam ob rem dictum esse panem facierum, quia in ipso sacrificio, erunt duæ substantiæ, diuinitas & humanitas. Hæc ille. Supra retulimus R. Dauidis Kimchi testimonium de mutatione naturæ per frumentum. Hactenus de transsubstantiatione.

Prou. 9. Prouerb. 9. Sapientia loquitur, *Venite comedite panem*
D. Tho. *meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Et Diuus Thomas, in Hymno de Sacramento: *Quibus sub bina specie Carnem dedit & sanguinem, vt duplicis substantiæ totum cibaret hominem.* Nota ex Hebraico sine punctis, D Matthæi Euangelio, per Munsterum edito, ita legi Matth. 26. שתוא ברפי קתן יאבלי רת Kehu veicluze, schu Guphi. Quod sic ad verbum exponitur: Accipite & mãducate hoc quòd est corpus meum. Vbi hoc, pronomen demonstratiuũ substantiæ, corpus demonstrat, non autem alterã substantiã, vel panem, sicut Hæretici negantes transsubstantiationẽ, confugiunt. Nunc de reali præsentia corporis Christi sub panis speciebus siue accidentibus aduersus Sacramentarios accuratius tractandum.

Atque vt optima methodo procedamus, Quatuor quędam *ἀξιώματα*, seu, vt Mathematici vocant, Postulata, producemus. Primum: *Captiuandus est intellectus humanus in*
2.Co.10. *obsequium fidei,* 2. Corint. 10. Vnde D. Augustinus, tom. 10.
D. Aug. de Tempore, Sermone 131. Super Credo &c. Dominus noster, inquit, non nos iubet discutere diuina, sed credere, Nec rationem requirere, sed fidem simpliciter & immobiliter exhibere. Non nobis veniat in cogitationem, quomodò hoc aut illud potuit fieri? qui omnipotentem præcipimur confiteri. Hinc desumpsisse & hausisse videtur
Innoc. 3. Innocentius Tertius libro 4. cap. 8. Mysteriorum missæ, dicens: Credere iubemur, discutere prohibemur. Isaiæ 7.
Isa.7. *Nisi credideritis, non intelligetis,* ex versione 70. *πιστεύσατε*, Crede. Secundum: Deus est omnipotens. Luc. 1. Matth. 19. Vt
Luc.1. fusiùs supra tractauimus, Sermone de Annunciatione. Vn-
Mat. 19. de D. Augustinus, tomo. 2. Epist. 3. ad Volusianum: Demus
Aug. Deum aliquid posse quòd nos fateamur inuestigare non posse: In talibus rebus tota ratio facti est potẽtia facientis. Tertiũ: Deus plura potest, quã intelligamus, Ephes. 3. *Potest*

supra

ſupra id quod intelligimus, ait Apoſtolus. Quartum: Chriſtus eſt veritas: Ioan. 14. *Mentiri non poteſt*, Hebr. 6. *Cuius ſermo efficax*, cap. 4. Ex quibus apertè concluditur, Quòd cùm dixerit Christus, ipſa veritas, quique non mentitur Deus, Tit. 1. Cui nihil aut difficile vel impoſſibile in rebus quæ ſunt, inueniri poteſt. Exod. 15. *Omnipotens nomen eius*, Et qui plura poteſt quàm intellectus creatus capere poſſit, clarè dixerit: *Hoc eſt corpus meum*: Captiuandus eſt intellectus noſter in fidei obſequium. *Præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui*, ait hoc diuiniſſimo auguſtiſſimóque Sacramento Diuus Gregorius Nazianzenus ὁ θεόλογος ab Antiquis poſt Diuum Ioannem cognominatus, Oratione prima in Iulianum Apoſtatam: Quod, inquit Pytagoreis fuit, αὐτὸς ἔφα Nobis Chriſtianis eſt πιςεύειν. Hoc Sacramentum, Myſterium fidei vocatur: Ergo ſola fide apprehenditur. Neque caro neque ſanguis reuelat hoc arcanum. Potuit Chriſtus Omnipotens: Voluit, hoc faciendum præcipiens ac iubens, Luc. 22. *Hoc facite, &c.* Ergo fecit, Sicut non concludebat fides illius leproſi, Matth. 8. quem Chriſtus mundauit: *Domine*, inquiebat ille, *Si vis potes me mundare.* Ergo, vt Beatus Hilarius, libro octauo de Trinitate ſcribit: De naturali in nobis Chriſti veritate (id eſt, de reali in vera ſubſtantia, ſub myſterio, Chriſti corporis præſentia) Ipſe Dominus ait: *Caro mea verè eſt eſca.* De veritate itaque carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, *verè caro eſt, & verè ſanguis eſt*, & hæc accepta atque hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit, Anne hoc veritas non eſt? Contingat planè his verum non eſſe, qui Chriſtum Ieſum verum eſſe Deum negant. Et paulò ſupra. Aut fortè qui verbum eſt, ſignificationem verbi ignorauit: & qui veritas eſt, loqui vera neſciuit? & qui Sapientia eſt, in ſtultiloquio errauit? & qui virtus eſt, in ea fuit infirmitate, ne poſſet eloqui quæ vellet intelligi? Cùm autem ibi D. Hilarius dicit: Naturaliter in nobis manere Chriſtum, exponendus eſt, ſicut & ipſe exponit, quia Naturam carnis ſuæ adepti, in Saramento illi coniungimur. Nullus publicè dogmatizauit aut dubitauit ab initio, ad Berengarium vſque ante quingentos circiter annos, de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia. Vnde Leo Magnus Papa, Epiſtola vigeſima tertia. In Eccleſia Dei, ait, in omnium

Epheſ. 3. *Ioan. 14.* *Tit. 1.* *Nazianzen.* *Luc. 12.* *Matt. 8.* *Hilari⁹.* *D. Leo.*

ore tam consonum est, vt nec ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter communis fidei Sacramenta taceatur. Quinimò, ne Hæretici quidem ante Berengarium de hoc Sacramento olim dubitauerunt. Refert

Eusebi⁹. enim Eusebius, Historia Ecclesiast. libro sexto, capite trigesimo quinto ex Christorphosoni Angli versione, Ruffino autem interprete capite trigesimo tertio de Nouato, quòd Sacramenta diuidens populis accipientium manus tenebat, nec priùs permittebat sumere, quàm sibi per ea quæ vnusquisque tenebat in manibus iuraret, quòd nunquam se relicto ad Cornelium remearet. Si miseros homines iusiurandum dare coëgit: Iura mihi, inquiens, per Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, te nunquam nec me deserturum, nec ad Cornelium reuersum. Miser homo non antè degustauit, quàm ita illi se deuouisset, & pro Amen, hoc dixit: Non deinceps ad Cornelium reuertar. Hæc ibi. Exinde patet quod etiam Hæretici pro certo tenebant & indubitato, in Eucharistia verè esse carnem & sanguinem Domini, adeò vt ex ea sententia seu articulo, tanquam ex confessa, ac præsupposita, nec non infallibili Maxima, Antiqui contra Hæreticos disputarent, de his quæ in controuersiam vertebantur tunc ab illis. Verbi gratia Irenæus Martyr, ex veritate carnis Domini in Eucharistia existentis, colligit futuram aliquādo carnis nostrę resurrectionem. Si enim ille libro 4. capi. 34. Quomodò dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam quæ à corpore Domini & sanguine alitur? Ergo sententiā mutent. Corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Idem reuersus lib. 5. contra Hæreses: Quomodò carnem negant esse capacem donationis Dei (qui est vita æterna) quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum est eius, vt ad Ephesios dicit Apostolus? *Nostra corpora ex corpore Christi nutrita, & resoluta in terram, resurgent in suo tempore.* Hęc ille. Adde quòd idipsū

D. Irenæus.

Ioan. 6. pollicetur Christus. Ioan. 6. *Qui manducat meam carnē &c. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* D. Cyrillus aduersus

D. Cyrillus. Nestorianos eodem vtitur argumento, Nempe quia in Sacramento, caro Christi cōfert immortalitatem & vitam æternam, Ioan. 6. Carnem Christi vnitam fuisse verbo & diuinitati in vnitatem personæ, quod negabat Nestorius, vt patet in Epistola quam scribit nomine Consilij Ephesini

ad

ad Nestorium. Sic enim in Epistola Synodica Cyrilli ad Nestorium, ex impressione Niuelli: Incruentam celebramus in Ecclesiis Sacrificij seruitutem, participes effecti corporis & sanguinis, Non vt carnem communem accipimus absit, sed vt viuificatricem verè & propriam ipsius verbi. Nec enim duplex Christus, licet ex duabus intelligatur naturis. Hæc ibi. Quod etiam similitudine ex Athanasij Symbolo de sumpta confirmatur: Nam sicut anima rationalis & caro est homo: ita Deus & homo vnus est Christus. D. etiam Hilarius ex eo quod dicitur, Ioan. 6. *In me manet & ego in eo*, contra Arrianos probat *ὁμοούσιον* seu consubstantialitatem Filij cum Patre, ostendens hæc verba: Ioan. 10. *Ego & pater vnum sumus*, non debere tantùm intelligi de vnitate voluntatis sed etiam naturæ, libr. 8. de Trinitate: Si verè, inquit, verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est? Ergo singulariter Christus manet in communicante dignè, non tantùm quia spiritu suo præsens est & vnitus spiritui nostro, sed & quia corpore suo, corpori nostro ineffabili modo coniunctus est, vt exponit D. Hilarius. Et D. Cyrillus libro decimo in Ioannem, capite 13. contra Arrianos disputans: Nonne corporaliter quoque communicatione carnis Christi, Christus in nobis habitat? Cur membra fidelium membra Christi sunt? dicente Apostolo 1. Corinth. 6. *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi?* Nonnè Christus, Ioan. 6. dicit, *In me manet, & ego in eo?* Non habitudine solùm quæ per charitatem intelligitur, Christus in nobis est, verum etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram, aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur: Sic communicatione Corporis & Sanguinis Christi, Ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei commisceretur. Christo crede dicenti: *Ego resuscitabo eum in nouissimo die, &, Nisi manducaueritis, &c non habebitis vitam in vobis*, id est, in corpore vestro, ait, Vita iure, ipsa vitæ caro intelligi potest, hæc nos in nouissimo die suscitat. Non abest alea vnigenitus Dei filius, & quia vnus est cum carne sua, *Ego*, inquit, *suscitabo eum*, Inter Latinos Theologos vetustissimus scriptor Tertullianus, contra Marcionem

D. Athanasius.

D. Hilarius.

Cyrillus.

1 Cor. 6.
Ioan. 6.

nem scribens, libro tertio & quarto, qui putatiuum & fantasticum, non verum corpus Filium Dei ex Maria virgine assumpsisse dicebat impiè: contra inquam phantasticos hæreticos, qui Christum negabant verum hominis corpus habere, à Symbolo eius in Euchari.tia argumentum ducit, dicens: Acceptum panem & distributum Discipulis, Corpus suum illum fecit, deinde: Hoc est corpus meum, id est figura corporis mei, figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterùm vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Quæ verba quomodo sint exponenda, in sequentibus dicetur. Hactenus veteres illi Theologi contra Hæreticos suæ tempestatis ex Realitate & præsentia corporis Christi in Eucharistia, ipsorum hæreses confutantes atque damnantes. Nunc quod consequitur statim ex prædictis, tractandum, contra Hugnosticos nostros: Nimirum, simul Christum præsentem esse in altari, & in cœlo ad patris dexteram. Dicit enim D. Cyprianus (Christi Martyr floridus, iuxta nomen suum) Sermone de cœna Domini: Nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysteriis. Habetur insuper in Liturgiis D. D. Basilij & Chrysostomi: ὁ ἄνωτῶ πατρὶ συγκαθήμενος, καὶ ὧδε ἡμῖν ἀοράτως συνών, Hoc est, Qui sursum Patri consides, vel, Qui cum patre sursum sedes, , & hic nobis inuisibiliter ades, seu nobiscum versaris. D. iterum Chrysostomus tomo quinto. Homil. 61. ad populum Antiochenum: Quotquot, ait, huius corporis participes efficimur, Cogitemus quòd illum sursum sedentem qui ab Angelis adoratur, hunc degustamus. Idem eodem tomo, libro tertio de Sacerdotio exclamat: O miraculum! ò Dei benignitatem! Qui cum patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur, vel legendū, pro, Omnium, Hominum, id est Sacerdotum quæ mea est coniectura: Sed eximendus esset scrupulus ex Codice Græco, cuius mihi copia deest in præsentiarum, Si πάντων, id est, omnium habetur an ἀνθρώπων, seu ἀνδρῶν, id est hominum, siue virorū. Prçterea Venerabilis Beda, tomo octauo libro Quæstionum, quçstion. 15. Quando manducatur reficit, sed non deficit. Deinde, Per partes manducatur, & manet integer totus in cœlo, manet iterū integer totus in corde tuo. Et inter D. Hieronymi opera tomo quarto Eusebius de morte eius scribit ad hunc modum illum inter communicandum dixisse: Non

D. Cypr.

D. Chrysostom.

Beda.

D. Hier.

Non, vt humanis videtur sensibus, panis es, sed Iesus Christus integer, sicut in cœlo ad patris dexteram resides Deus & homo. Adde quod D. Chrysostomus tomo quarto, in primo capite ad Ephesios, Homil. 3. Quotquot eius corporis efficimur participes, Recolamus quia illius corpus est & sanguis, qui supra cœlos residet, qui ab Angelis suppliciter adoratur, vt supra ex tomo quinto eiusdem. Ex quo patet propositum. Nec enim articulus ille fidei, sedet ad dexteram Dei patris, repugnat isti articulo: *Hoc est corpus meum.* Quia verum vero consonat. Sicut nec ille, *Pater maior me est*, pugnat cum isto: *Ego & pater vnum sumus*, sicut contendebant Arriani: Sed pater quidem maior est Filio ratione humanitatis eius, cùm interim Filius sit Patri coæqualis secundum diuinitatem, vt D. Athanasius in suo distinxit symbolo: *Æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem*, ait ille de Christo. Sic Christus sursum est in cœlis, in potioribus bonis, quoad humanitatem, ad Patris dexteram super omnia eleuatus, sedensque in throno Patris, secundum suum modum naturalem & quantitatiuum corporis quanti, vt loquimur in scholis Theologicis, vbi in corpore suo videtur in propria forma à Beatis: In Sacramento autem est quidem corpus quantū verè & substantialiter ac realiter, sed non sub modo quantitatiuo, & naturali atque visibili, & sub propria forma, verùm sub aliena specie occultatum & tectum, vt fides locum habeat, dum inuisibile visibiliter sumitur sub speciebus, & accidentibus. Atque ita non pugnant inter se hæc duo, vt blasphemāt Sacramētarij: Sedet ad Patris dexteram, sursum in cœlis, Ergo non est hic præsens in Sacramento altaris. Consequentia nulla est. Cęterum cùm Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, de vero ac proprio suo corpore loquebatur: Ergo in Sacramēto est verū ac proprium Christi corpus, contra Metonymiam Caluini Hæresiarchæ Hugnosticorum. Sic enim Iuuēcus presbyter Poëta Christianus, qui floruit sub Constantino Magno, lib. 4. Carminum de Eucharistia scribit: *Discipulos docuit proprium se dedere corpus*, id est, tradere, donare. Et D. Chrysostomus in Epistolam ad Ephesios, loco supra citat. Proprium, inquit, corpus nobis sumendum tradidit, & Ecce nihil nos deterret ab improbitate vitæ. Iterum D. Cyrillus. Hierosolymitanus Archiepiscopus, qui ante mille ducētos annos temporibus Constātij Imper. floruit, Catechesi mystagogica 4.

D. Athanasius.

Iuuēcus Poëta.

D. Chry.

D. Cyril. Hierosol.

Sub

Sub specie panis datur tibi corpus,& sub specie vini datur sanguis,vt sumpto corpore & sanguine Christi,efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis (Græcè σύσσωμος καὶ σύναιμος) ac vt B. Petrus dicit. 2.Petr.1. *diuinæ naturæ consortes efficiemur.* Hæc ille. D.Paulus Ephes.5. *Membra sumus corporis eius,de carne eius,& de ossibus eius.* Cùm hæc ita sint, Quomodò non esset verum propriumque Christi Corpus in Eucharistia? Ecquid apertiùs dici potest, quàm quod D. Paulus Hebr.9.c.affirmat? *Non per sanguinem hircorum* (vide exclusas figuras) *sed per proprium sanguinem,* inquit, *introiuit semel in sancta,&c.* Ergo proprius sanguis Christi est pro redemptione nostra. Idem etiam confirmatur ex adiuncta Luc.22.exegesi,& veluti interpretatione,cũ dicitur: *Quod pro vobis datur.* Et 1.Cor.11. *Quod pro vobis tradetur:* Siquidem verum propriúmque Christi pro nobis in cruce corpus traditum est,nõ autem in figura, sed vt Princeps Apostolorum scribit,1.Pet.2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Idem etiam comprobatur ex consecrationis calicis forma mystica, *Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti,* quo scilicet confirmatum fuit nouum, quemadmodum vetus sanguine animalium,dicente Moyse,Exod.24. *Hic est sanguis fœderis,quod pepigit Dominus vobiscum.*

2. Pet.1. Ephes.5. Heb.9. Luca 22. 1.Cor.11. 1. Pet. 2. Exo. 24.

Nunc sic aduersus Caluini Metonymiam hanc propono demõstrationem: Nullus alius nisi verus,essentialis atque proprius Christi Sanguis est,noui & æterni testamenti cõfirmatiuus: At verò, quod est in calice Sanguis est, noui & æterni testamenti confirmatiuus, Christo eodem & institutore & assertore.Ergo quod in calice est,non metonymicῶς aut figuratiuè,sed verè,propriè,realiter,atque substantialiter est sanguis Christi. Atque ita explosa est, etiam ab Hesthusio Lutherano, cõtra Caluinum ac Bezam scribente, eiusmodi sacramentaria Metonymia. Deinde, subiungitur in prefata forma: *Qui pro vobis & pro multis effunditur aut effundetur inremissionem peccatorum,* Inde formatur ista demonstratio: Nuda figura non est tam efficax vt peccata expurgare possit: aliàs D. Paulus non diceret Heb. 10. *Impossibile est hircorum sanguine auferri peccata:* At verò quod erat in calice effundendum, erat in remissionem peccatorum: Igitur non est in calice,nisi verus Christi, *qui tollit peccata mundi* sanguis,non autem nuda eius figura. Hinc Magnus ille Athanasius, per Damascenum citatus Oratione de defun

Tilmannus Hesthusius contra Caluinũ & Bezã. Heb. 10. Damascen. ex Athana.

de defunctis, ἀναίμακτος θυσία, ἐξιλασμός, Incruenta, inquit, oblatio seu missæ sacrificium, est propitiatio pro peccatis. Vocauit enim veneranda Antiquitas θυσίαν ἀναίμακτον, siue, quod idem est ἀναίμακτον, id est, incruentam oblationem hoc Sacramentum altaris ter Maximum. Hinc D. Gregorij Nazianzeni Theologi, versus ad Sacerdotes: ὦ θυσίας πέμποντες ἀναιμάκτους ἱερῆς, id est, ô sacrificia mittētes incruenta Sacerdotes, Sed ne à Christi calice tam citò recedamus, Obseruemus typum Exod. 24. Immolatorum duodecim vitulorum, *eorum sanguinis dimidiam partem Moses misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare.* ait diuina scriptura, adiiciens quod populum quoque promittentem facere quæcunque locutus erat Dominus, eodem sanguine respersit, dicens: *Hic est sanguis fœderis* vt supra. Sic sanguis & crateribus exceptus est, & effusus super altare: Atqui vt crater Christi calicem, ita & altare crucem expressit: Sic vt in vtroque sanguinis veritas consideretur. Nec verò poterat omnino typus veritati respondere: ideò in patre factum est, quod in toto Christi sanguine consideratur. Nam quia totus animalium sanguis crateribus excipitur. non poterat & totus fundi in altare, pars quidem hîc & pars ibi designata est: cùm tamen totum esse in calice sanguinem profiteamur. Nec enim hoc typus respiciebat, vt partem, sed rei veritatem vtrobique exprimeret. Hæc Beauxamis Homil. 9. De institutione sacrificij missæ, & veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. Nota etiam, vt obseruarunt D. Hieronymus in Matthæum, 26. ac Eusebius Emissenus, Homilia Dominicæ in Ramis Palmarum, & Erasmus Annotationibus super Lucam 22. cap. atque Faber Stapulensis ibidem, Annotatum esse, aiunt, à veteribus Bis fieri calicis mentionem. Prius enim accepit calicem, & gratiis actis dixit: *Accipite & diuidite inter vos.* Mox consecrato pane dicitur: *Similiter & calicem postquam cœnauit*, dicens: *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* De priore calice Dico, inquit Christus, vobis, *quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*, id est, in corpore immortali. Priorem calicem ait Stapulensis, vocabat typicum, quia nondum dabat eis sanguinem suum, sed cœnæ Paschalis potum, vt & prius nondū dederat corpus suum, sed Paschalem agnum, verum postea corpus suum dedit, sub velamine panis, & sanguinem suum sub velamine vini, vt dilucidū esse potest

D. Greg. Nazianzen. in Carmin.

Exo. 24.

Beauxamis.

D. Hierony. & Eusebius Emissenus Erasmus & Faber Stapulēsis.

literam

literam intuenti, Hæc ibi. Cùm itaque in calice noui testamenti dicat sanguinem suum esse qui pro ipsis effundendus esset, cúmque in calice priore qui cœnæ subseruiebat legali, dixerat esse de generatione vitis, hoc est, vini liquorem & quòd nō biberet cum eis nisi postquam resurrexisset immortalis. Constat autem eum bibisse de calice noui testamēti, vt doctores Antiqui, & Ecclesiæ Patres asserunt: & Psal. 115. versiculus, *Calicem salutaris accipiam,* satis apertè indicare videtur. (Non enim mihi dubium est, Christum calicem in hoc sacro cōuiuio degustasse ac delibasse.) Relinquitur ergo, quod erat in eo non fuisse vinum, siue de generatione vitis, sed verum propriúmque Christi sanguinem: Christum verò seipsum communicasse in sacra illa mysticáque mensa ac cœna nouissima scribit D. Hieronymus tomo tertio ad Hedibiam, de 12. quæstionibus quæst. 2. Dominus, inquit, Christus ipse conuiua & conuiuium: ipse comedens, ipse qui comeditur. & de Consecratione Distinct. 2. can. Nec Moyses, ex D. Hieron. canonizatus, Inde versus habetur in glosa ibi.

D. Hieronymus. *Decret.*

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena:
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Etenim, ne Apostoli horrerent, prior ipse sumpsit: Cumque tunc egerit sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, se prius ipse communicauit. Dicit enim in Hymno S. Thomas: *Sic sacrificium istud instituit, cuius officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit, vt sumant & dent cæteris.* Adde quod Act. 1. dicitur: *Cœpit Iesus facere & docere,* Lucæ 24. *Potens in opere & sermone.* Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Priùs ipse baptizari voluit, postea Apostolis de omnibus baptizandis mandatum dedit: Matt. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Isichius auditor Gregorij Nazianzeni circa annum Domini 400. lib. 2. in Leuiticum c. 8. tenet Christum in cœna intelligibilem accepisse sanguinem, deinde calicē Apostolis dedisse. Eius verba sunt: Ipse Dominus priùs in cœna mystica intelligibilem accepit sanguinē, atque deinde calicem Apostolis dedit. Posteà dicit: Bibens ipse, & Apostolis bibere dans. D. Chrysostomus non dissentit, Hom. 8. in Matthæum c. 26. to. 2. Ipse Christus scilicet, bibit ex eo, ne illi perturbarētur, Sumpsit ergo Christus sanguinis poculū, voluítque Apostolos quos tunc ordinauit & cōsecrauit Sacerdotes dans illi potestatē

S. Thom. *Act. 1.* *Luc. 24.* *Ioan. 13.* *Matt. 28* *Isichius.* *D. Chry.*

super

ſuper corpus ſuum verum, poſt reſurrectionem etiam ſupra corpus myſticum. Ioan.20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, &c.* bibere ex eo omnes, *Hic eſt enim ſanguis noui teſtamẽti, &c. In remiſſionem peccatorum.* 1. Pet. 1. *Redempti eſtis pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati.* Videte qualis eſt iſte ſanguis, qui in cruce fuit pretium noſtrum: In altari autem ſicut in menſa potus eſt ſeu poculum noſtrum, & in lecto mortis cùm communionem ſumimus: Viaticum noſtrum. Vnde Canon. 13. Nicæni Concilij & canonizatur 26. quæſt. ſexta Ca. De his verò: De his verò qui ad exitum veniunt, Si quis vita excedat, vltimo & neceſſario maximè, viatico ne priuetur. Græcè ſic: τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι: Poſtremo & neceſſario imprimis viatico ne priuetur. Hæc ibi. Ne doleatis vel conqueramini ęgrè ferentes, quòd non ſumatis, vos Laici, calicem. Pulli aquilæ non bibunt ſanguinem, ſed eum ſolum lambunt. Iob. 39. cap. *Pulli eius lambent ſanguinem.* Sacerdotes ſunt aquilæ: ipſi ſanguinem bibunt pro vobis & pro ſeipſis, ex officio, ſub vtraque ſpecie offerentes, atque communicantes: Vobis ſufficit lambere ſanguinem in ipſo corpore, vobis nedum in cibum ſed etiam in potum porrecto, & à ſacerdotibus dato ac miniſtrato. Non eſt cibus ſiccus vel aridus: Cibus eſt etiam humidus, ſicut manna: Corpus Chriſti, eſt caro & ſanguis. Sanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, *emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti.* Hebr. 9. ait Paulus. Vnquamne audiſtis ſublimiora verba? Vultiſne appendam ea in ſtatera Theologiæ ſcholaſticæ Sanguis Chriſti, verè & realiter, Qui perſonaliter, per Spiritum ſanctum amabiliter, obtulit, liberaliter, ſeipſum, obedienter, immaculatum, exemplariter: Emundabit, ſpiritualiter conſcientiam noſtram efficaciter, ab operibus mortuis, generaliter, ad ſeruiendum, laudabiliter, Deo viuenti æternaliter. O qualem ſanguinem! quámque eximium ac pretioſum! Hæc Cornelius Bitotinus Epiſcopus, libro quarto Concionum Italicè conſcriptarum, Concione, de Purificatione Beatæ Mariæ ſecunda parte eiuſdem concionis, quæ in latinum ſermonẽ propter huius idiomatis ignorantes lubẽs trãſtuli. Et Philippus Diez Luſitanus, Minoritani etiam inſtituti, noſtrique ordinis, Tomi primi Concionum Quadrageſimaliũ tertia part. Fer. 6. poſt Dominicã in paſſione, explicat

Ioan. 20. *1. Petri 1.* *Cõciliũ. Decret.* *Iob. 39.* *Hebr. 9.* *Il. Cornelio Ital.* *F. Philip. Diez.*

explicat quomodò sacratissimus Iesu Christi sanguis ad tria tempora ordinem habet: ad prẹteritum videlicet, præsens & futurum. De præterito patet Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* De præsenti, 1. Ioan. 1. *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* De futuro autem Heb. 9. *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus* vt suprà citauimus. (Græcè καθαριεῖ id est, purgabit in futuro. Christus R. N. Sanguinem suum effudit pro præteritis, præsentibus, ac futuris peccatis: quia omnia essentia beatissima eius anima perspexit. Et sic illum Pater Æternus ante præsentium, præteritorum, futurorúmque hominum oculos proposuit, ad cunctorum temporum salutẽ. Hactenus ibi. Idque significatur his verbis, *Quia pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Nunc ad alteram probationem accedendum. Pollicitationis verba exponunt verba exhibitionis. Sed Ioan 16. Pollicebatur Christus, *Panis*, inquiens, *quem ego dabo? caro mea est, quam ego dabo prò mundi vita.* Sic enim Græcè habetur: ὁ ἄρτος ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μοῦ ἐστιν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς habetur bis, ἐγὼ δώσω habetur bis, ἐγὼ δώσω, Bis etenim datus est aut dari debuit, cùm Christus promitteret, semel in mysterio, siue sub Sacramento, iterum in passione. Stans verò polliciti? Christus, eodem quo promiserat ordine, reipsa modò exhibet, & præstat, dicens: *Accipite & manducate, Hoc est corpus meum quod pro vobis in cruce tradetur, pro vita mundi eiusque redemptione.* Sed propriè exponenda sunt illa pollicitationis verba, *Caro mea est:* Non dicit, Figura carnis meẹ, inquit supra Theophylactus. Ergo similiter ista exponenda sunt, *Hoc est corpus meum,* non autem figura corporis mei. Iterum dixit: *Quam carnem ego dabo pro mundi vita*, non autem figura poterat mundo vitam conferre: cùm in se vitam non haberet, æternam intelligo, nudus simplexque panis. Nihil autem, ex vulgata regula dat, quod non habet. Non potuit ergo simplex figura efficacitatem hanc habere, vt ad vitam æternam atque beatam (de qua potissimè sermo est) valeret, conferendam mundo redimendo per carnem Christi Verbo vnitam hypostaticè, cruci suffigendam. Ergo similiter istud, *Quod pro vobis tradetur,* de vero ac substantiali Christi corpore interpretandum est. Verùm ad vitandum lectoris tẹdium, prẹstat vt ad alteram quæ dicenda sunt, concionem differamus ac reiiciamus. Plura (Deo fauente) ea de re cùm opportunior dicendi

Apoca. 1. *1. Ioan. 1.* *Hebr. 1.* *Theoph.*

dicendi commoditas & occasio sese obtulerit, (vt in festo Sacramentissimi Corporis Christi) dicturi ac annotaturi. Faxit Deus, vt quæ de tanto Sacramento credenda voluit, declarauitque per suam Ecclesiam, & firmiter credamus, & religiosè, prout debemus, adoremus. Amen.



DE SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO. Homilia altera.

Caro mea verè est cibus.



VT institutum nostrum prosequi valeamus superest (Beneuoli auditores) vt longiore præfatione omissa, intermissas ex Theologo Ioanne, sacro Euangelista, probationes subiungamus. Dicit itaque cap. 6. *Caro mea verè est cibus, &c.* Verè, & significatiuè è dyametro pugnant: Ergo cùm sit verè cibus, verè cibat: à coniugatis: Si verè cibat nutritve, verè ergo datur & manducatur. Est ergo verè præsens. Oportet siquidem cibum realiter præsentem esse, vt nutrire & alere valeat, immediatéque nobis coniungatur necesse est: alioqui non verè sed imaginariè nutriret. Panis absens non nutrit: Neque iterum nuda simplexve panis figura. Neque igitur Corpus Christi à Sacramento absens, (vt Hæretici quidem confingunt) aut in figura, & secundum Caluinicam Metonymiam, tantùm præsens, vllo modo nutrire potest. Ergo verum corpus veráque Christi caro, verè est cibus, atque proinde re ipsa præsens in mysteriis. Referunt Historici, nempe Ælius Lampridius, de Antonio Heliogabalo ad Constantinum Augustum, Quòd Parasitis Heliogabalus in secunda mensa, sæpe ceream cœnam, sæpe ligneam, sæpe eburneam, aliquando fictilem, vel marmoream etiam,

vel lapideam exhibuit: Ita vt omnia illis exhiberentur videnda, de diuersa materia, quæ ipse cœnabat. Quùm tamen biberent per singula fercicla, & manus quas comedissent lauarent. Exhibuit Parasitis cœnas & de vitreis, & nonnunquam tot picta mantilia in mensam mittebat his edulibus * picta, quæ apponerentur, quot missus esset habiturus: Ita vt de acu aut de textili pictura exhiberentur: Nonnunquam tamen & tabulæ illis pictæ exhibebantur, Ita vt quasi omnia illis exhiberentur, & tamen fame macerarentur. Hucusque Lampridius. Sic Parasitos deludebat suáque frustrabatur spe, inanes atque esurientes ac famelicos eos relinquens Heliogabalus naturæ portentum ac monstrum. Narrat item Plutarchus tom. 1. Opuscul. Opusculo, de Virtutibus mulierum. Vxor Pythis (qui Xerxis tempore vixit) quia eius maritus in metalla auri & diuitias inde prouenientes inexplebilis sitis esset, & vniuersos ciues fodere aut purgare aurum cogebat, omnibus aliis prorsum neglectis: Mulieres ad illam se contulerunt, ei supplicantes pro hac re: Aurifabros acciuit, domique inclusos iussit panes, bellaria, poma, & alios cibos, quibus maximè delectari Pythem nouerat, ex auro omnia conficere, Cùm domum rediret Pythes, cœnam poposcit: Auream illi mulier mensam apposuit, nullo esui apto cibo, sed omnibus aureis instructam. Quum initio delectatus artificio naturam imitante, satur spectaculi posceret cibum quodcunque peteret, id aureum ei mulier attulit. Indignanti & esurire se respondenti: Atqui inquit, harum rerum nobis copiam, nullius prætcrea parauisti. Omnia enim artificia deserta, agros nemo colit, fodimus inutilia. Permotus Pythes à secturis aureis non planè destitit, contentus tamen quinta ciuium parte ad hanc rem, reliquos agriculturæ & artibus incumbere iussit. Hæc ibi. Constat ex præfata Pythis historia memorabili, quomodò ex simulachro seu effigie affabre facta cibi, non poterat ille satiari, vel vllo modo nutriri. Non enim figura panis vel vmbra carnis pascit, sed ipsa panis substantia, vel vera caro nutrit. Succurrit Æsopi egregij fabulatoris Apologus de Cane & Imagine vel vmbra carnis, qui sic in Gabriæ Græci Scriptoris fabulis enarratur. Canis propè flumen carnem ferens, cùm se inclinasset, aliam in aqua videt. Hiscens autem vt inferiorem aliam carnem caperet, Priuatus & ea est cuius compos erat. Hæc ibi. Ad hunc planè

** Pro Eduliis positum, ne quis ambigat vel hæreat.*

Plutarchus.

Gabrias ex Æsopo.

planè modum Sacramentarij, veritate carnis denegata, contra Christi veracis verba: (*Hoc est corpus meum, quod pro nobis tradetur*) solam corporis nudámque figuram & imaginem impiè ac stultè confingunt: Tropos tantùm & Metonymiam in prædictis Domini verbis somniantes, atque excogitantes. Quid de Tantalo hoc loco, Quod iterum de Rege Mida commemorem? De priore Poëta Horatius, Sermonum lib.1. Satyr.1. cecinit. *Horati⁹.*

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina.

Nec tamen sitim explebat aut sedabat, sed miserè ita contabescebat. De posteriore verò Metamorphoseωr libro 11. Ouidius ad hunc modum. *Ouidius.*

Huic Deus optati gratum, sed inutile fecit
Muneris arbitrium.
Ille malè vsurus donis, ait: Effice, quicquid
Corpore contigero, fuluum vertatur in aurum.
Annuit optatis, nociturâque munera soluit
Liber, & indoluit, quòd non meliora petisset
Gaudenti mensas posuêre ministri
Extructas dapibus, nec tostæ frugis egentes.
Copia nulla famem releuat: sitis arida guttur
Vrit & inuiso meritò torquetur ab auro.
Diuesque miserque. Hæc ibi.

Sicut ergo stultus Midas omnibus dapibus in aurum conuersis, omnique potu similiter rigente, fame sitique conficiebatur, atque peribat, quia imaginarius cibus alere nequit. (Non enim est esui aptus) sed realis ac substantialis cibus. Sic necessariò ex his verbis: *Caro mea verè est cibus*, colligendum est, Veram, realem, substantificam atque viuificatricē Christi carnem in Sacramēto præsentem exhiberi, atque manducari: alioqui non viuificaret. Sed ad alias probationes pergendum. Manna, Corporis Christi fuit figura, vt colligitur ex Ioan. 6. *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum:* Verum, inquam, cuius videlicet olim Manna typum gesserat. Nam Ioan.1. *Gratia & veritas per Christum facta est.* Veritas, vt opponitur figuris, quas Christus adimpleturus venerat. 1. Cor. 10. *Omnia in figura contingebant illis.* Heb.10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum.* Cùm ergo veritas præstātior sit, longéque excellētior figuris, oportet Eucharistiam excellere Vetus Māna. Si autem esset panis; *Ioan.6.* *Ioan.1.* *1. Corin. 10.* *Heb.10.*

& non verum Christi corpus (vt blasphemant Sacramentarij) Patres veteris Legis ante Christi aduẽtum insigniori cibo fuissent vsi, quàm Christus, Noui Testamenti mediator (Sic enim D. Paulus Hebręis scribẽs appellat) in suo Sacramẽto nobis reliquisset quod est absurdũ, & repugnans

Ioan. 8. Christi verbis Ioan. 6. Vbi Manna longè inferius in dignitate esse ostẽdit, eo quẽ pollicebatur daturum se cœlesti pane & cibo. (Nomine ẽnim panis apud Hebræos omnis cibus intelligitur.) Si enim, vt Sacramẽtarij blaterant, non est aliud quàm panis cõmunis de terra ortus, pistorúmque manibus cõfectus, non autẽ ipsum Christi corpus, τὸ σῶμα, ἐμφατικῶς, cum articulo maximam emphasim importante:

Psal. 77. Ergo manna excellentius erat. Nã ex Psalmographo, Psal. 77. *Panem cœli dedit eis, Panem Angelorum mãducauit homo.* Et in libro Sapientiæ, *Omne delectamentum in se habentem.*

Iterum ex verbis: *Nisi manducaueritis carnem, non habebi-*

Ioan 6. *tis vitam in vobis, &c.* Ioã. 6. Nulla figura potest præstare vitam. Argumento esse potest Manna: *Patres vestri manducauerunt Manna in deserto & mortui sunt*, ait Christus ibidem, Sed, *Qui manducat hunc panẽ* (sub. dignè) *viuet in æternum:* Ergo non est figura corporis, sed vera Christi caro in Eucharistia. Ex supra deductis igitur colligo quod cùm promissionis verba apud Ioannẽ c. 6. nõ possint figuraliter intelligi vel imaginariè exponi, sed verè & realiter: Igitur & verba cœnæ, *Hoc est corpus, Hic est Sanguis noui Testamenti,* Non tropicẽs sed propriè exponenda sunt, quia hæc illis respondent, vt præstatio & exhibitio promissioni. Si enim illa sic voluisset Dominus accipi, nempe secundum figuram nudam, non potuissent inde Capernaïtæ ansam arripere tam immanis scandali. *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes : Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Et quidam ex discipulis dixerunt : Durus est hic sermo. Quis potest eum audire?* Quis mortalium non eodem modo suam possit præbere carnem, id est, in memoriam illius carnis imaginem & repræsentationem solam:

D. Aug. Adde quod mirè congruit quod à D. Augustino tom. 8. in Psalmum 33. conc. 1. interpretante Tituli verba: Et ferebatur in manibus suis, scribitur: Sic enim ex Tralatione septuagesima Gręcè habetur. 1. Reg. 21. καὶ παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ. Et collabebatur in manibus suis, habent Biblia

Biblia Cõplùtẽtia. Complutentia, inter lineas. Vulgata autem editio ex Hebræo, Collabebatur in manibus eorum. D. Augustinus legit,

legit, Et ferebatur in manibus suis, Valdè commodatè, παρεφέρετο id significare videtur, id est præteruehebatur, ferebatur, hoc quomodò fieri posset in homine quis intelligat? Manibus aliorum potest portari homo, Manibus suis nemo portatur.

Quomodò intelligatur in Dauid, secundum literam non inuenimus, in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: *Hoc est corpus meum.* Ferebat enim illud corpus in manibus suis hæc D. Augustinus, optimus antiquitatis interpres fidissimúsque. Quomodò autem illud verum est nisi sub accidentibus substantialiter continetur? supra ex versu dictum est, *Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus. Ergo erat in pluribus locis.* Si esset sola figura, facilè alius quilibet potuisset sui ipsius depictam in tabella deferre imaginem, & seipsum ferre hoc modo. Dicit tamen Augustinus manibus suis nemo portatur: Nec Dauid ipse ad literam seipsum ferebat aut tulit aliquando, suis manibus: At benè Christus ferebat corpus suum in manibus suis, cum in cœna diceret: *Hoc est corpus meum, &c.* Hęc ibi. Nunc ad textum regrediamur. Cum dixit, *Benedixit,* Consecrationem significauit. Sic enim apud Matthæum ca. 16. Græcè habetur: καὶ εὐλογήσας ἔκλασε, cum benedixisset, fregit, & ait: *Accipite hoc est corpus meum.* Deinde sequitur: *Accepto poculo,* καὶ εὐχαριστήσας, ac gratiis actis, dedit eis dicens: *Bibite ex eo omnes.* Eadem prorsus apud B. Marcum cap. 14. eodemque ordine exprimuntur. Atqui hęc duo seorsim distinctéque posita sunt: *Benedixit, & gratias egit.* Igitur cùm nihil superfluum aut superuacaneum posuerint Euangelistæ: Vtrumque, Benedictio nimirum & gratiarum actio retineatur. Hæc duo aliud & aliud importāt mysterium. Impiè ergo & fraudulenter, ad Matth. præcedentia verba, Beza vesanus annotauit hoc scholion: Hæc duo εὐχαριστεῖν καὶ εὐλογεῖν, pro eodem vsurpantur. Itaque nō est cur consecrationis (quam vocant) vocabulo, magicam aliquam verborum sacramentalium murmurationē intelligamus, Et, statim subiungit hanc non dicam interpretationē, sed verborum Christi deprauationem: Hoc est corpus meum, ἐστί, metonymicè. Hæc ille Sacramētarius præceptorem suum Caluinum sequutus, *Mali corui malum ouum:* iuxta vetus adagium. Nos autem orthodoxi per benedictionē, cōsecrationem rerum propositarum significari dicim⁹. Nimirum

Mat. 26.

Mar. 14.

& id ex Paulo haurimus, qui inquit: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* 1. Cor. 10. cap. Ergo Christus, ita & Apostoli benedictione seu cõsecratione vsi sunt. Porro, benedictione natura ipsa mutatur, vt multis argumentis docet Diuus Ambrosius libro de Sacramentis: Consecratio, ait, cuius verbis & sermonibus fit? Domini Iesu libro 4. c. 4. Consecrationi verò succedit oblatio, quam verbum, *Gratias egit*, insinuat. Multis enim nominibus Hebræi sacrificia nũcuparunt: Nunc, Sacrificium pro peccato, inde etiam Gratiarum actionis (nec enim omnia pro peccato) Quod & ipsa oblatio voluntaria, in Deuteronomio cap. 16. Missah Hebraicè nuncupata, satis confirmabit: Sic enim legitur: *Septem hebdomadas numerabis tibi, ab ea die qua falcem in segetem miseris & celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui*: Hebraicè legitur, בת ירן טסת בר à radice masas. Missat niduat Iadecha, id est, oblationem spontaneam manus tuæ מסס, id est, dissoluere. Inde, טס mas, hoc est, tributum, vectigal, census, indictio, & inde, מסה missah, id est, oblatio. Quæ fit Deo propter debitum munus personale, & scribitur in præcedenti loco Deuter. cum ת. thau, in fine loco, ה he, ratione genitiui sequẽtis. Quod nomen, vt quidam dicunt, Nos Christiani Sacrificio nostro impositum retinuimus, vt à nobis appelletur Missa, cùm hoc nomen nec Græcum, nec Latinum esse videatur: sed potiùs ab Hebræis mutuatum. Hactenus ex Vocabulario Hebraico Bibliorum Complutensium in dictione Masas. Memini me legisse in Lexico Hebraico Munsteri, vltimò recognito ab auctore, atque locupletato, 1564. impresso, Dictione Masas מסס, inde מס mas, inde מסה missa. Ex nostris quidam putauerunt hinc Missam nomen sortitam. Deut. 16. *Oblationem spontaneam*, pensum aliquod quod manu offerri solet. Iterum libro posteriore, de Vocum expositionibus, apud Ioannem Reuchlinum, Dict. מס, mas, Inde venit per additionem, ה hæ literæ in fine, מסה missah, id est oblatio, quæ fit superiori Domino propter debitum munus personale. Deut. 16. Oblationem spontaneam manus tuæ, quàm offeres iuxta benedictionem Dei tui. Quòd nomen nos Christiani sacrificio nostro impositum retinuimus vsque ad hoc tempus, vt à nobis appelletur Missa, quod à Græcis λειτουργία

litur

D. Ambros.

Deu. 16.

Biblia Cõplutẽsia.

Reuchlinus & Munsterus, atq; Alciat⁹.

liturgia. Nota igitur quòd Missa neque Græcum, neque Latinum est, sed Hebraicum: Sic etiam Pascha, neque Græcum, neque Latinum extat, sed ab Hebræis mutuatum: Qui astipulatur illud Euangelicum, quòd Christus de tributo Cæsari dando iudicauit: Matth. 22. Date quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Hæc Reuchlinus ibi. Andræas Alciatus Iurisconsultus clarissimus παρέργων iuris libro septimo capit. 10. De eius vocis origine in vtrâque partem disserens propositis vtrorumque opinionibus, ac sententiis, tam eorum qui Missam pro missione accipiunt, quo exemplo & D. Cyprianus, Remissam peccatorũ, pro remissione scripsit, quasi populi dimissio esset Græci, ἄφεσιν, id est, dimissionem dicerent, vnde & sub eius Sacri finem, etiamnum solet sacerdos dicere: *Ite missa est:* Atque etiam illorum qui fortasse veriore iudicio, hoc nomen à Iudæis acceptum credunt. Nec enim verissimile est, à recedendi facultate nomen sacrificio huic inditum fuisse, Græcíque ipsi non ἄφεσιν, sed λειτουργίαν id appellant. *D.Cypr.*

Quòd nomen propriè id exprimit, quod Hebraicè Missa sonat: Est enim Mas apud Hebræos, vnde Missa formatur, munus personale tributi censúsque offerendi, & Missa ipsa, oblatio quæ Domino suo fit propter debitũ personale, vt in Deut. 16. cap. habetur. Celebrabis Domino Deo tuo Missa, id est, oblationem spontaneam manus tuę. Concludit tandem Alciatus, hoc modo: Credendum itaq; priscos Christianos, qui origine Iudæi erant, sua voce id sacrum appellasse, quàm deinde Latini receperunt, sicut & Pascha: Quòd ergo in fine Sacri pronuntiatur, *Ite Missa est:* perinde est ac si ediceretur, Ilicet (vno verbo, quòd est ire licet) oblatum est. Hæc Alciatus. Atque hactenus de nomine Missa. Offerebatur ergo Missa in gratiarum actionem, quòd Dominus ad Messem abundantem populum suum deduxisset, ideóque Domino, manipulos suos eleuabant. Cur non ergo Missa etiam gratiarum actione significatur? Offertur enim Deo Missæ sacrificium, etiam in gratiarum actionem. A Christo quidem, quia suos & Euangelij successus hucusque promouerit, vt tantum passio subeunda supersit: Atque voluntariè patri corpus suum dedicat: *In qua voluntate sanctificati sumus.* A nobis autem propter incarnationem, passionem, ac redemptionem nostram in Christo, propter patris dilectionem, qui nec *Deu. 16.* *Alciat⁹.*

proprio filio pepercerit, sed pro nobis omnibus illum tradiderit. Iterum, propter sui nobiscum fœderis, & testamenti per proprium sanguinem consignationem, quàm & hæc incruenta oblatio efficaciter repræsentat. Nam ex opere operato confert gratiam, atque continet realiter sub speciebus, gratiæ authorem atque largitorem. Hæc ex Beauxamys Homil. 9. de Missæ Sacrificio. Liquet etiam Christum in cœna sacrificium obtulisse, ex eo quòd Christus Luc. 22. addidit:

Beauxamys. *Luc. 22.*

Hoc facite &c. Cùm Facere, in scripturis sæpissimè, pro sacrificare sumatur: vt in lege Mosis, Facere hircũ. 3. Reg. 18. *Facere bouem*, pro sacrificare, & Matth. 26. ποιῶ το πάσχα. *Facio Pascha*, sacrifico agnum Paschalem & immolo. Luc. 2. τοῦ ποιῆσαι αὐτοὺς &c. Vt facerent secundum consuetudinem legis περὶ αὐτοῦ, pro eo, id est, vt darent oblationem, ac sacrificarent per medios Sacerdotes, secundùm ritum legis ibidem. Sic nunc Luc. 22. τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Hoc facite in mei recordationem Et (vt prophana sacris intermiscere ac comparare liceat nobis) Virgilius Ecloga 3. *Cùm faciam vitulam pro frugibus ipso venito.* Macrobius Saturnaliorum lib. 3. cap. 2. sic exponit, Cùm vitulam pro frugibus sacrificauero. Et Romanæ eloquentiæ parens Cicero, Oratione pro Muræna sub finem de Iunone: Cui, inquit, omnes consules facere necesse est. Plautus in Aulularia post media.

3. Reg 18 *Mat. 26.* *Luc. 2.* *Luc. 22.* *Virgili⁹.* *Macrob.* *Plautus.*

O fides.
Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeò tibi faciam: verùm ego mihi bibam vbi id fecero.

Vbi patet Facere, sumi pro sacrificare, sacris operari. Non ait,

Hoc dicite, sed, *Hoc facite in meam commemorationem.* Constat itaque tres missæ essentiales partes, ex Christi institutione profectas, originémque ducere. Siquidem *benedixit*, id est, vt superiùs tactum est, consecrauit, formã mysticam, sacramẽtaliaq; verba dixit: *Hoc est corpus meum.* En consecratio, Non autem (vt hæresiarcha ac seditiosus Seba, Bezam intelligo, blasphemat) magica verborum sacramentalium murmuratio. Cuius nullus est in Catholica Ecclesia vsus: Siquidem Magia à Sacramentorum ministerio quàm longissimè abest. Obtulit etiã Christus, faciendúmque hoc expressit in sui memoriam. In verbo facite, sacrificium exprimitur. Postremò communicauit. Hæc autem

tria.

tria. Consecratio, oblatio, & communio: partes sunt substantiales ipsius Missæ Euangelicæ. Sicut in veteribus Sacrificiis, verbi gratia, in agno Paschali, tria etiã erant & concurrebant: Sanctificatio, cui respondet Consecratio. Immolatio, cui oblatio, nempe incruenta & sine sanguinis effusione, & denique sumptio seu manducatio, Cui correspondet Sacrosancta communio. Quinimò hoc verbum facere ex integro prædicta illa tria colligit ac consignificat: Quasi dicat, facite quod me vidistis facere, Benedixi dicens: *Hoc est corpus meum.* Obtuli ego sacerdos secundũ ordinem Melchisedech. Luc. 22. Quod pro vobis datur, in tempore præsenti τὸ διδόμενον. Nedum vobis datur, quòd ad rationem Sacramenti spectat, sed etiam pro vobis ὑπὲρ ὑμῶν. Quòd ad rationem sacrificij propitiatorij pertinet. Vobis item offerre ac sacrificare præscribo. *Hoc facite in meã commemorationem.* Iterum tum demũ, Communicaui, dicens *Accipite & manducate*, atque etiam *bibite*, Et vos eandem aliis vobísque exhibete communionem. *Luc. 22.*

Oĩa illa facite quæ me vidistis facere. Quòd discipulos præstitisse, executioníq; demãdasse nemini dubiũ esse debet: cũ ex actis Apostolicis, c. 13. id facilè euincatur λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ. *Sacrificantibus illis Domino*, Sic enim vertit Erasmus: Quòd proprium est operantium sacris, ait ille in suis Annotationibus. Quæ interpretatio, ait Beza in suis ad illum Actorum locum scholiis seu annotationibus, tolerabilis quidem est. Qua etiam ratione certum est cœnam Domini à veteribus nonnullis λειτουργίαν, ἱερουργίαν, sacrificium vocari. Sed tamen mihi omnino videtur expungenda, tum quia nimium est angusta, tum verò propter execrandum illorum errorem qui filium Dei reipsa quotidie in Ecclesia sacrificari & offerri contendunt, id est, qui Christianam religionem radicitus conuellunt. Hactenus Ismaëlita ille: Manus enim eius contra omnes, sed vicissim quoque manus omnium aduersus eum. Atq; vt Bezam aduersus seipsum committamus (siue in certamen mittamus) Interrogetur, Cur cœnam illam Dominicam sacrificij nomine non dignetur? Cùm etiam eodem auctore. in Matth. 22. cap. ad locum illum, *Altilia mactata sunt &c.* Mactata, τεθυμένα, Hoc verbum θύειν, quum de sacrificiis propriè dicatur, postea ad alias etiam epulas tractum est? Sed hoc quoque certum est, profanos ipsos *Act. 13.* *Erasm.* *Beza.*

principes olim solemnia conuiuia fuisse à sacrificiis auspicatos. Hucusq; Beza. Quòd si ita est, quid decuit Christũ totius religionis ac pietatis exemplar speculúmque tersissimum,& sine macula, in solemni ac religioso, sacróque illo conuiuio omnium postremo, ante suam passionẽ quæ tum imminebat, facere? An nõ oportuit illud Prouerb.ca.

Prou. 9. 9.adimplere? *Sapiẽtia immolauit victimas suas, miscuit vinum & proposuit mensam suam?* D. August. to.5.li.17. de Ciuitate

August. Dei c.20. versans præfata verba sic scribit. Hic certè agnoscimus Dei sapientiam, hoc est Verbum Patri coæternum in vtero virginali domum sibi ædificasse, corpus humanũ, mensam in vino & panibus præparasse, vt apparet etiam Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech hæc ille. Si ergo immolauit victimas suas, æterna increataq; sapiẽtia Christus, igitur & tunc sacrificauit. Non est igitur hæc inducenda vel expungenda appellatio Sacrificij, Vesane: Cùm Christus tunc egerit sacerdotem secundum ordinẽ Melchisedech, Ergo tunc quoq; sacrificauit. Est enim proprium sacerdotis munus atque officium offerre & sacrifi-

Heb. 5. care Hebræorum. 5. ait Diuus Apostolus, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Adde quòd sacerdos, Lex, & Sacrificium, sunt de genere eorum quę τὰ πρός τι siue relata, aut ad aliquid dicuntur, adeò vt idem

Heb. 7. Paulus, Heb. 7. concludat: *Translato sacerdotio necesse est vt & legis translatio fiat* Igitur ô Beza, Qui abrogare ac expũgere nititur sacrã Missam aut Liturgiam (quemadmodum id moliris, at non præualebis) destruere similiter quantùm in se est, conatur, ac euertere radicitúsque cõuellere Christianam religionem. Quandoquidem abrogat sacerdotio Euangelico, necesse est & Euangelium abrogari. Ideò omnibus suis viribus contendet Antichristus, cùm in propria venerit persona, iuge sacrificium, vt habet Danielis vaticinium, de Ecclesia tollere. Et nunc eius ministri à Dæmone

D. Andreas. acti strenuè id exequuntur. Notum est illud D. Andreæ Apostoli ad Ægeam responsum, vt etiam in Breuiario Romano iuxta decretum Concilij Tridentini, restituto legitur: Ego omnipotenti Deo immolo quotidiè, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatũ agnum in altari: Cuius carnem, posteaquã omnis populus credentium mãducauerit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus. Non ergo, vt perperam ac impiè

ſcribit, Beza, execrandus eſt error eorum qui filium Dei agnum illum immaculatum quotidie in Eccleſia ſacrificari aſſeuerant. Id enim diſertis verbis profitetur D. Andreas Apoſtolus: vt in eius Paſſione à teſtibus fide dignis atque oculatis deſcripta, cõtinetur. Mitto quòd ſupra retulimus ex Concilio Epheſino contra Neſtorium: Incruentam celebramus ſacrificij ſeruitutẽ. Extat & Canõ Nicenus apud Tonſtallum Epiſcopum, libro de veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia. Pariſiis apud Vaſcoſanum 1554. impreſſo, Græcè & Latinè: Fide intelligamus ſitũ in ſacra illa menſa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi. *ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον*: hoc eſt, incruentè à ſacerdotibus immolatum ſeu ſacrificatum. *ἀθυτως, θύειν.* *Tonſtallus.* *Conciliũ Nicenũ.*

Inde Gallicum verbum, *tuer, ſans eſtre derechef tué. Chriſtus enim reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Nam mortuus eſt ſemel*, inquit Apoſtolus. Sequitur in Canone, Et pretioſum ipſius corpus & ſanguinem nos verè ſumentes, Græcè *ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς, πιστεύειν πάντα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα*: Credere (debemus) hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola. Hactenus Canon ille. Quæ verba manifeſtè viuificum & incruentum Eccleſię ſacrificium in Euchariſtia confirmant aduerſus Bezam *ἀθύτως*, ſiquidem, id eſt, incruentè abſque mactatione & abſque cruore in mẽſa ſacra Altaris immolatur à ſacerdotibus Chriſtus, ait concilium, vniuerſale, & apertè teſtatur poſt ſemel in cruce peractam vnica oblatione cruenta æternam redemptionem, nunc vſque ad ſecundum aduentum ſacrificium noui teſtamenti, in Euchariſtia, incruentum ſupereſſe. Et quomodò nõ reſurget corpus hoc noſtrum, quod vita paſtum è mundo exiens, vitam ſecum effert, quam nimirum vitam, ipſum ſcilicet corpus & ſanguinem Chriſti poſiti in ſacra menſa, in Sacramento verè ſumimus? Spiritualis quidem ſola manducatio ſine corporali, ſpiritum iuuare poteſt: At noſtrum hoc terreſtre corpus, & ſua corporali manducatione & ſimul ſpirituali alendum eſt, vt in vitam reſurgat, idque Concilium apertiſſimè docet, quantumcunque hic demens erro deliret, ait ibi Tonſtallus contra Oecolampadium. Franciſcus Turrianus de Dogmaticis Characteribus verbi Dei, lib. 3. impreſſionis Florentiæ 1561. fol. 147. Recitabo inquit ſanctionem Græcè *ἐκ τῶν διὰ τυπώσεων ἐκκλησιαστικῶν* Nic. Conc. quæ extant inter fragmenta Actorũ huius Concilij, *Franc. Tur.*

quæ

quæ feruntur Græcè ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης, &c. Vertamus è Græco ad verbum: In diuina, ait; mensa (altare dicit) ne demissè & abiectè, intendamus cõsiderationem in panem, & calicem coram posita: scilicet hoc significat, quod aper- tiùs & explanatiùs Cyrillus Hierosolym. dixit. Ne intẽdas considerationem tanquam in nudum panem & nudum vinum, quod est demissè & humiliter ista considerare: Quin potius, inquit Synodus, cogitatione nostra sursum erecta, intelligamus fide, positum esse in sacra illa mensa agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui sine mactatione, addit Concilium à sacerdotibus immolatur, ac pretiosum eius corpus & sanguinem verè sumendo credamus esse hęc nostræ salutis ac resurrectionis symbola. Hactenus Synodus quam etiam Caluinus contra Catholicos citare ausus est testem. Citarit ergo in caput suum, & sorex iudicio sui pereat, vt habet vetus prouerbium, Gratias Deo qui comprehendit sapientes in astutia sua. Hæc Turrianus. Mitto clarissimam ex Malachia Propheta c. 1. adiuncta D. Irenæi interpretatione probationem: *In omni loco offertur nomini meo oblatio munda.* Noui testamẽti nouam docuit oblationem, ait Irenæus. Nunc ad dilutionem obiectionum accedendum. Quod D. Paulus, Hebr. 7. ait *semel obtulisse Christum pro peccatis se offerendo,* c. 9. *semel oblatum Christum ad multorum exhaurienda peccata.* c. 10. *Nos omnes sanctificatos per oblationem corporis Christi semel,* & iterum, *Vna oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos.* Hæc quotidiano non aduersantur sacrificio, quia cũ vnicà illa oblatione in cruce quotidiana ipsius in cœlis non pugnat oblatio, Hebr. 9. In ipsum cœlum Iesus introiuit, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Nec illa eiusdem in cœna nouissima. Ibi intelligitur estque exponendus Paulus de cruẽta oblatione, quæ tantùm semel facta est, nec repetitur. Nec est hostia alia siue res oblata hìc & ibi, in altari scilicet & cruce: Sed idẽ Christi corpus, licet sit alius modus oblationis, incruẽtus scilicet & cruentus, Modò, vt stemus pollicitis, molliẽda est & interpretãda Tertulliani locutio, Hoc est corpus meum, hoc est, corporis mei figura, figura autem non fuisset nisi veritatis esset corpus. Hæc ille lib. 4. cõtra Marcionem sub finem. Nemo existimet Tertullianũ præstruxisse viam Sacramentariis hac interpretatione, quę manauit à Marcione & eius asseclis, qui primi ausi sunt peruertere, *Hoc est corpus meum*, in figuram corporis mei, congruenter

Marginal notes: *Cyril. Hiero.* — *Malac. 1* — *Heb. 7. 9. 10.*

gruenter errori suo. Cuius duo erant capita, In Christo apparuisse imaginem carnis, & carnem illam imaginariam fuisse, non veram, sed solum putatiuam & fictitiã. Eorundem opinionem Tertul. suppositione quadam retinuit, vt ostendat etiam figuram non excludere veritatem carnis, sed esse cum figura, id est sub speciebus, realem sed inuisibilem Christi præsentiam. Disputat ad hominem Tertull. & ex præsuppositis ab Hæretico Marcione. Adde quod panis corporis Christi in propheta ante figura fuit, vt idem libro tertio cõtra Marcionẽ, post media Ieremiam citauit *Ierem.11*
cap.11. *Venite mittamus lignum in panem eius*, id est, ait ille, vtique in corpus, cuius retro corpus in panem Prophetes figurauit. Et libro primo contra eundem: Christus, inquit, pane ipsum corpus suum repræsentat. Vbi Repræsentare idem valet ac ipsum præsens corpus exhibere. Sic idem lib. 4. contra Marcionem citato patris testimonio de filio in eius transfiguratione, Repræsentans eum, ait, *hic est filius meus*, vtique subauditur quem repromisi. Si enim repromisit aliquando, & posteà dicit, *Hic est*, eius est voce vti exhibentis in demõstratione promissi qui aliquando promisit. Vbi Tertull. dilucidè accipit Repræsentare, pro præsentem exhibere. Sic Christus dicẽs, *Hoc est corpus meum*, quod aliâs promiserat, Ioan.6. *Panis quem ego dabo, &c.* in cœna *Ioan.6.*
exhibuit, hoc dicit vtens verbo Repræsentandi Tertull. Sic D. Augustinus to.10. Sermone de Tẽpore 104. de Lazaro: *August.*
Licet, ait, alibi esset corpus, alibi anima Lazari, tamen vox ista Domini statim & animam corpori reddidit, & corpus animæ repræsentauit. Expone, id est, præsens exhibuit. Sic D. Hieronymus tomo nono, in Matthæũ 26. Vt quomodò *Hierony.*
in præfiguratione Christi Melchisedech panem & vinum offerens fecerat: Ipse quoque Christus veritatem sui corporis & sanguinis repręsentaret, hoc est, sub speciebus pręsentem exhiberet. Sic repræsentare apud Tertullianum sumitur vbi supra. Ne autem id inusitatũ apud Latinos scriptores profanos videatur, Columellam de re Rustica libro 11. capite primo sub finem, proponam. Is scribit ad hunc modum: Nulla est vel nequissimi hominis amplior custodia, quàm quotidiana operis exactio. Nam illud verum est M. Catonis oraculum, Nihil agendo homines malè agere discunt. Itaque curabit Villicus vt iusta reddantur. Istaque non ægrè consequentur, si semper se repræsentauerit. Hæc ibi. Repræsentare est præsentem sistere veram & realem

villici

villici præsentiam significat, vt patet ex interpretatione Calepini, verbo Repræsento as. & Antonij Cõstantij Theologi Louaniensis Confutatione cauillationum Capernaïticarum Parisiis 1552. fol. 112. Sic apud Tertullianum. Adde quod signum seu figura dicitur, ratione specierum, sub quibus latent res eximiæ. Est signum, & veritas: velut Christus dicitur imago Patris & figura siue character substantiæ suæ personæ patris, quia viua est expressaque & consubstantialis patris similitudo: Est interim verè Deus &
Ioan.1. naturalis Dei filius, atque diuina essentia, Ioannis primo. *Deus erat verbum.* Idem etiam in Eucharistia sui ipsius vt
Luc. 22. in cruce litati est repræsentatio. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem, Recolitur memoria passionis eius, &c.* Ne igitur relicta veritate mendacium sequamur quod faciunt hæretici, imaginem carnis & vmbram solam persequentes, veritatem autem deserentes, Canis Æsopici instar, si-
Epiphanius. cut applicat aduersus hæreticos Epiphanius libro primo, tomo tertio contra Cerdonianos hæresi 41. Et vt totum hoc concludamus citabo insignem Christi Martyrem D.
D. Cypr. Cyprianũ Epistol. 63. ex dispositione Pamelij, ad Cecilium de Sacramento Dominici calicis: Quis magis, inquit, sacerdos Dei summi quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idẽ quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Qui locus est insignis pro veritate corporis, & Sacrificio Missæ, vbi sub speciebus corpus etiam verum offertur: Nam si tantum hic esset panis & tantum vinum, Cùm in lege essent panes propositionis
Leuit.23 & vinum in sacrificium offerebatur, Leuit. 23. Numer. 28.
Num.28 quorsum Christus has nudàs vacuasque figuras recens instituisset, nihilque melius & excellentius exhibuisset. Absit. Ex quibus consequitur adorandum esse Christum in Eucharistiæ Sacramento. Illum præsentem in Sacramento
Hebr. 1. adesse credimus. De quo Hebræorum primo. *Et adorent*
Matt. 2. *eum omnes Angeli Dei. Quem Magi procidentes adorauerunt,* Matth. 2. Quem cæcus illuminatur & agnoscẽs Dei filium
Ioan.9. procidens adorauit, Ioan. 9. Quem vndecim Discipuli in Galilæa postquam resurrexit videntes adorauerunt, scili-
Mat.28 cet latria, Matthæi vigesimo octauo. De quo adorando præceptum datur Psalmo secundo vt supra Concione de
Psal. 98. ablutione pedum: Adorate filium vel osculamini. Et Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius quoniã sanctum est:* Quem

versum

versum exponens Diuus Ambrosius libro tertio de Spiritusancto capite duodecimo. Per scabellum, inquit, terra, per terram caro intelligitur.

Quam hodie quoque in mysteria adoramus, quã Apostoli in Domino adorauerunt. Atque D. Augustinus à suo *D. Aug.* non dissentiens Catechista, tomo octauo, in Psalm. 98. Suscepit de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: Nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit: Inuẽtum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Hæc ille. Imò ne Philistij quidem, qui captiuam duxerunt arcam Domini 1. Reg. 5. *1. Reg. 5.* capite, illam remiserunt sine honore, sed ex consilio suo- *& 6.* rum sacerdotum, capite sexto, super plaustrũ nouum, cum vasis aureis in capsella ad latus eius, illam posuerunt: *Dabitis Deo Israël gloriam*, aiunt illi. Quantò magis decet veritatem ipsam demissè adorare, cuius typum gessit arca testamenti? Si tanti vitrum, quanti margaritum? *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*, canit Ecclesia. Memoranda est historia à pio viro Surio Carthusiano Tomo ter- *Surius.* tio de probatis sanctorum vitis, de Sãcto Antonio Paduano, ordinis nostri, relata: quomodò miraculosè mulus sanctam hostiam ac diuinam Eucharistiã adorauit. Et Crautzius in Metropoli libro octauo, capite trigesimo nono. Cùm in Traiecto iuuenes puellæ, viri, fœminæ choreas ducerent in Ponte frequentes, Venerabile Christi sacramentum deferebatur, nec illi prosternuntur intenti vanitatibus, mox ponte decidente, ducenti propè mortales periêre. Discite non temnere diuos. *Dominum Deum tuum adorabis*, ait Dominus. Nobile Gorgoniæ Nazianzeni soro- *D. Greg.* ris pientissimæ fœminæ proponitur exemplum adoratæ *Nazianzen. &* Eucharistiæ, apud eũdem Nazianzenum in eius Epitaphio *Lindan.* à fratre scripto, & citatur à Lindano doctissimo Episcopo *ex eo.* ac Theologo, Panopliæ libro quarto, capite 45. Illa morbo peregrino grauissimè laborabat, ac medicorũ opera iamdudum frustrà erat vsa. Omnibus igitur humanis diffisa præsidiis, ad illum vniuersorum confugit medicũ, noctémque captans intempestiuam, morbo inducias exiguas indulgẽte, coram altari cum fide procidit, *καὶ τὸν ἐπ' αὐτῷ θυσιαστηρίῳ τιμώμενον, ἀνακαλουμένη μεγάλῃ τῇ βοῇ*, id est, cum

qui

qui ſuper altare colebatur, magno inuocãs clamore, illam tandem imitatur, quæ contractu fimbriæ à fluxu ſanguinis ſaluabatur. Vides Chriſtum illa ætate ſuper altare fuiſſe & honoratum & cultum: non in cœlo tantum, adoratione latriæ haud dubiè. Hactenus ex prænominatis. Multa ac propè infinita, hac de fœcundiſſima Materia Eucharistica, dicẽda ſuperſunt, quæ in alium locum reſeruamus, vt in Concione de feſto corporis Chriſti(ſi quando Deus voluerit)aliquando fuſiùs tractaturos nos ſperamus. Interim expurgemus conſcientias noſtras vt venientem Dominum, & intrantem ſub tectum noſtrum, deuotiſſimè excipiamus, Dicentes communicaturi, quod Centurio maxima cum humilitate protulit: Matthæi octauo capite. *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo & ſanabitur anima mea.* Amen. Ita nos docet ſancta mater Ecclesia.

Matt. 8.

***

SEQVITVR



SEQVITVR TEXTVS PASSIONIS.

Monotessaron, Vnus ex 4. Contextus.



Gressus Iesus ibat trans torrentem Cedron secundùm consuetudinem in montem Oliuarum. Sequuti sunt eum discipuli eius. Tunc dixit eis: omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem & dispergētur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Tunc respondit Petrus: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia priusquam Gallus bis vocem dederit: ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur, Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt. Tunc venit cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & Discipuli eius: Et ait illis: Sedete hîc donec vadam illuc & orem. Vos autem vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi cœpit pauere, tædere, contristari, & mœstus esse, & ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis, & procedit in faciem

ſuam ſuper terrã, dixítque: Abba pater, omnia tibi poßibilia ſunt, transfer calicem hunc à me. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu: fiat voluntas tua. Et cum ſurrexiſſet ab oratione, venit ad diſcipulos, inuenítque eos dormientes, & ait petro: *Symon dormis? Sic non potuiſti vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Iterum abiit, orauit, & venit ad Diſcipulos: Erant autem oculi eorum grauati, nec ſciebant quid reſponderent ei. Et abiens orauit tertiò, eundem ſermonem dicens. Apparuítque Angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia prolixiùs orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguis decurrentis in terram. Et cùm veniſſet ad Diſcipulos inuenit eos dormientes præ triſtitia, & ait: Dormite iam & requieſcite. Sufficit. Ecce appropinquabit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Sciebat autem Iudas qui tradebat eum locum, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum Diſcipulis ſuis, & cum accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc, cum Laternis, facibus, & armis. Dederat autem traditor eis ſignum dicens: Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt tenete eum & ducite cautè. Ieſus autem ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum proceßit, & dixit eis. *Quem quæritis?* Reſponderunt, Ieſum Nazarenum. Dixit eis Ieſus, *Ego ſum.* Cúmque hoc dixiſſet abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos, & adiecit: *Dici vobis quia ego ſum. Si ergo me quæritis ſinite hos abire*, vt impleretur ſermo quem dixit, quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Iudas autem antecedebat eos, & appropinquauit Ieſu, vt oſcularetur eum: Et ait illi Ieſus, *amice, ad quid veniſti?* Et accedens Iudas ait: Aue Rabbi. Dixit ei Ieſus, *Iuda oſculo filium hominis tradis?* Videntes autem qui cum

Ieſu

Iesu erant quod futurum erat, dixerunt: Domine si percutimus in gladio? At verò Symon Petrus habens gladium eduxit eum, & percußit Pontificis seruum, & amputauit auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dixit Iesus Petro. Conuerte gladium tuum in vaginam: Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit. Calicem quem dedit mihi pater non vis vt bibam illum? An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodò ergò implebuntur Scripturæ: Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. In illa hora dixit ad eos qui venerant ad se: Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me, cùm quotidie fuerim apud vos in templo docens, & non me tenuistis. Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum harum. Tunc iniecerunt manus in Iesum. Discipuli autem eius relicto eo omnes fugerunt. Adolescens autem sequebatur eum amictus syndone super nudo, & tenuerunt eum: At ille relicta syndone nudus profugit ab eis.

Cohors ergo & ministri Iudæorum adduxerunt Iesum ad Annam primùm: Erat autem socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Sequebatur autem Iesus Simon Petrus à longè, & alius Discipulus, Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Et ingressus intro sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se. Quem cum vidisset ancilla ostiaria dixit: Nunquid & tu ex Discipulis es hominis istius? At ille negauit coram omnibus dicens: Mulier non sum. Et exiit foras ante atrium, & statim Gallus cantauit. Pontifex ergò interrogauit Iesum de Discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit Iesus: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, & in templo, in quo

omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus ſum ipſis. Ecce hi ſciunt quid dixerim ego. Hæc autem cum dixiſſet, vnus aßiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu dicens: Sic reſpondes Pontifici? Reſpondit Ieſus. Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem benè cur me cædis?

Et miſit eum Annas ligatum ad Caïpham Pontificem: vbi omnes Scribæ & Phariſæi conuenerant. Petrus autem ſequebatur eum vſque in atrium ſummi ſacerdotis. Stabant autem miniſtri ad prunas, quia frigus erat & calefaciebant ſe. Erat & Petrus cum eis calefaciens ſe, quem cùm vidiſſet alia ancilla cœpit dicere circunſtantibus: Et hic cum Ieſu Nazareno erat. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex diſcipulis eius es? Negauit iterum cum iuramento, & dixit: Non noui hominem. Et interuallo facto quaſi horæ vnius, dixit vnus, cognatus eius cuius abſciderat Petrus auriculam, Nónne ego te vidi in horto cum illo? Et rurſus qui aſtabant dixerunt: Verè tu ex illis es: Nam Galilæus es. Loquela tua manifeſtum te facit: Iterum ergo negauit, & cœpit anathematizare, deteſtari, & iurare, quia neſcio hominem quem dicitis. Et continuò adhuc eo loquente iterum gallus cantauit. Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt verbi Domini quod dixerat: Priuſquam Gallus bis cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras fleuit amarè. Principes autem ſacerdotum, & omne Concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti traderent, nec inueniebant, cùm multi falſi teſtes acceßiſſent: quia conuenientia non erant eorum teſtimonia. Nouißimè verò venerunt duo falſi teſtes, dicentes: Audiuimus eum dicentem. Poſſum deſtruere templum Dei hoc manufactum, & poſt triduum aliud non manufactum reædificare. Et exurgens princeps ſacerdotum intrreogauit Ieſum

dicens,

dicens, Non respondes quicquã ad ea quæ tibi obiiciuntur, & isti aduersum te testificãtur? Iesus autem tacebat. Tunc summus sacerdos ait: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem Respondit, Tu dixisti, Veruntamen dico vobis, Amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cœli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimẽta sua, dicẽs: Blasphemauit quid adhuc egemus testibus? At omnes exclamauerunt: Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem eius, Velauerunt eum, percusseruntque faciem eius, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? & confestim manè facto adduxerunt eum in Conciliũ dicentes: Si tu es Christus, dic nobis palàm. Et ait illis. Si dixero vobis non credetis mihi: Si autẽ & interrogauero, nõ respondebitis neque dimittetis.

Tunc abducunt à Caipha, & ligatum eum tradiderunt Pontio Pilato Præsidi in prætorio. Erat autem manè, & ipsi non introierunt in prætorium ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Tunc videns Iudas qui tradidit eum: quòd damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus populi dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad me? Tu videris. Et proiectis argenteis in templo recessit; & abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum acceptis argenteis emerunt ex eis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum, & appellatus est ager ille Acheldemach, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Iesus autem stetit ante præsidem: Qui dixit Iudæis: Quam accusationem adfertis aduersus hominem hunc? Responderunt: Si non esset hic malefactor non tibi tradidissemus eum. Dixit illis Pilatus: Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum. Dixerunt ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam. Cœperunt autem eum accusare dicentes: Hunc inuenimus

subuertentem gentem nostram, & prohibentẽ tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse. Introiuit ergo in prætorium Pilatus, & dixit Iesu: Tu es Rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Dixit ei Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Ait illi Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo: Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri me: vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Iesus autem ait illi: Tu dicis quia Rex sum ego: In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. Dixit ei Pilatus, quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, exiuit iterum ad Iudæos dicens: Ego non inuenio causam in hoc homine. At illi inualescebant dicentes: Commouit populum docens per vniuersam Iudæã, incipiens à Galilæa vsque huc. Audiens autem Pilatus Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat his diebus. Herodes autem viso Iesu gauisus est valdè: Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quòd audierat multa de eo, & sperabat signũ aliquod videre ab eo fieri. Interrogauit autem eum multis sermonibus, & ipse nihil respondebat. Stabant autem principes sacerdotum, & scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes: cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba: & remisit eum ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus, in ipsa die: Nam anteà inimici erant ad inuicem.

Pilatus autem conuocatis magistratibus & plebe, dixit: Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego eum coram vobis interrogans, nullam causam inuenio, Sed neque Herodes. Nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est illi: Emen-

datum ergo illum dimittam. Et accusauerunt eum summi sacerdotes in multis, & cùm accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nibil respondit: Pilatus ait illi. Non respondes quicquam? Per diem autem solemnem consueuerat dimittere vnum ex vinctis, quem petiissent. habebátque tunc vinctum vnum insignem, qui dicebatur Barrabas. Erat autem latro, qui in seditione fecerat homicidium. Dixit eis Pilatus: Est consuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Pascha. Quem ergo vultis dimittam vobis, Barrabam, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum, Pontifices persuaserunt populis, vt magis Barrabam peterent. Exclamauit itaque turba dicens: Non hunc, sed tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Dixit eis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu qui dicitur Christus? Responderunt: Tolle, tolle, crucifige eum. Erat autem hora quasi tertia. Ille tertiò dixit ad eos: Quid ille mali fecit? Nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum & dimittam. Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et veniebant ad eum, & genu flexo illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et dabant ei alapas, & expuentes in eum, accipiebant arundinem, & percutiebant caput eius. Exiuit Pilatus foras, dicens: Ecce ego adduco eum vobis foras, vt cognoscatis quia in eo nullam causam inuenio. Exiuit ergo Iesus portans, spineam coronam, & purpureum vestimentum. Et dixit eis: Ecce homo. Cúmque vidissent eum clamauerunt rursum dicentes: Tolle, tolle, crucifige eum. Dixit Pilatus: Accipite eum vos & crucifigite: Ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt dicentes: Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit. Cùm Pilatus audisset hunc sermonem magis timuit, & ingressus in prætorium, dixit

ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dixit ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper: Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant: Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris: Omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus cùm audisset hos sermones, sedit pro tribunali: Erat autem Parasceuæ Paschæ hora quasi sexta. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor sua, dicens: Nihil tibi & iusto illi: Multa enim passa sum per visum hodie propter illum. Pilatus intereà dixit Iudæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dixit illis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Qui dixerunt: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Videns ergo Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Et respondens populus dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Itaque Iesum flagellis cæsum tradidit voluntati eorum vt crucifigeretur. Et baiulans sibi crucem exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum: Et cum ducerent eum apprehenderunt prætereuntem quempiam Cyrenæum, nomine Symonem, venientem de villa. Hunc angariauerunt & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum turba multa populi, & mulierum quæ plangebant, & lamentabantur super eum. Iesus verò dixit eis: Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: Quoniam ecce venient dies, in quibus dicetis: Beatæ steriles, Quòd si in viridi hoc fit, in arido quid fiet? Ducebantur ergo & alij duo nequam cum eo: vt crucifigeretur, Et venerunt in Golgotha, ibique crucifixerunt eum, & cum

eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Iesum. Et impleta est scriptura: Cum impiis reputatus est. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Erat autem scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pontifices Iudæorum: Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Milites porrò cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum, dixerúntque milites: Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cuius sit: vt scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templū Dei, & in tribus diebus illud reædificas. Et Principes sacerdotum dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, vt videamus & credamus ei. Id ipsum & latrones improperabant.

Iesus autem dicebat: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Vnus verò ex latronibus blasphemauit eum dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum & nos: Alter autem increpabat eum, dicens: Neq; tu times Deum, qui in eadem damnatione es, Et nos quidem iuste, Nam digna factis recipimus. Hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Cui dixit Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris eius, Maria Cleophe, & Maria Magdalene: Cùm vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dixit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dixit Discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Cæterùm à sexta ho-

ræ tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam. Et obscuratus est Sol. Et circa horam nonam exclamauit Iesus dicens : Heli, heli, Lamma-zabatani? hoc est, Deus meus, vt qui dereliquisti me ? Audientes autem quidam dicebant, Elyam vocat iste. Posteà sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt, vt scriptura impleretur dixit : Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto circumponentes, obtulerunt ori eius. Et cùm accepisset Iesus acetum dixit : Consummatum est. Et iterum clamans voce magna, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite tradidit spiritum. Et ecce velum templi scissum est, à summo vsque deorsum. Terra mota est, Petræ scissæ sunt, monumentáque aperta sunt. Centurio igitur, viso terræ motu & his quæ fiebant, dixit : Verè hic homo iustus, filius Dei erat. Et qui aderant ad spectaculum percutientes pectora sua reuertebantur. Iudæi ergo, quoniam Parasceue erat, vt non remanerent corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum Iesu. Ad Iesum autem cùm venissent, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Cúmque sero factum esset, venit homo diues nomine Ioseph ab Arimathia, eo quòd esset Discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum, hic audacter accessit ad Pilatum, & petiit vt tolleret corpus Iesu, cui donauit illud. Venit & Nichodemus ferens mixturam Myrrhæ & aloës quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus, & ligauerunt linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est Dominus, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergò propter Parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat mo-

numen

numentum posuerunt Iesum. Et aduoluit Ioseph saxum magnum ad ostium monumenti & abiit: Altera autem die post Parasceuē, cōuenerunt principes & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit, adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodire sepulchrum vsque in tertium diem: Ne fortè veniāt discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: Et erit nouissimus error, peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, Ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

Finis Contextus Passionis Christi secundum 4. Euangelistas.



IN IESV CHRISTI

PASSIONEM COMMENTARII, siue Homiliæ duæ: Prior, vsque ad septem Domini verba: Posterior explicationem cõtinet septem verborum.

Exordium.



VONIAM pertractanda sunt Dominicæ passionis sacrosancta mysteria, initiò præfari placuit de R. N. pro nobis toleratis susceptísque doloribus ex Euangelici Prophetæ Isaiæ c.53. vbi vocat eum virum dolorum & scientem infirmitatem. Non memini me in tota scriptura diuina legisse, quòd aliquis vir dolorum vocaretur, nisi solus Christus Saluator noster. Neque enim alij hoc competit epitheton sicut Christo, cuius dolores omnium maximi fuerunt, tam in qualitate, quàm in quantitate, D. Thoma assertore, qui tertia parte quæst. 46. art. 5. Christum omnes passiones humanas secundum genus, licèt non secundum speciem sustinuisse affirmat. Quòd quidem potest considerari tripliciter (vt ibidem deducit:) Vno modo ex parte hominum à quibus passus est. Passus est enim aliquod à Gentilibus & à Iudæis, & à masculis, & à fœminis, vt patet de ancillis accusantibus Petrũ. Passus est etiã à principibus & à ministris eorũ, & à popularibus, secũdũ illud, Psal. 2. *Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christũ eius.* Passus est etiam à familiaribus & notis: sicut patet de Iuda eum prodente, & Petro ipsum negante, atque ita de aliis Apostolis, eo deserto fugam arripientibus, atque in eo scandalum passis. Matt. 26. Alio modo patet idem ex parte eorum in qui

D. Thomas, in summa Theologiæ.

Psal. 2.

in quibus homo poteſt pati: Paſſus eſt Chriſtus in ſua fama, per blaſphemias cõtra eum prolatas: In honore & gloria, per irriſiones & contumelias ei illatas: In ſuis item rebus, per hoc quod etiam veſtibus ſuis expoliatus eſt: In anima per triſtitiam, tædium, & timorem: In corpore, per vulnera & flagella. Tertiò, poteſt conſiderari, quantùm ad corporis membra. Paſſus eſt enim Chriſtus in capite pungentium ſpinarum coronam: In manibus & pedibus fixionem clauorum: In facie alapas, & ſputa, & in toto corpore flagella. Fuit etiam paſſus ſecundùm omnem ſenſum corporeum: Secundùm tactum quidem flagellatus & clauis confixus: Secundùm guſtum, felle & aceto potatus: ſecundùm olfactum, in loco fœtido cadauerum mortuorũ (qui dicitur Caluariæ) appenſus patibulo: Secundùm auditum, laceſſitus vocibus blaſphemantium & irridentium: ſecundùm viſum, vidẽs matrem chariſſimam, & diſcipulũ quem diligebat, flentes, atque iuxta crucem ſuam ad ſtantes. Sic D. Thomas. Quàm appoſitè dicatur Chriſtus vir dolorum κατ' ἐξοχὴν facilè ex eo patet cũ vt ſanctus Propheta Threnorum. 1. ex Chriſti perſona dicit: *Attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* & Iſaiæ 53. *Dolores noſtros ipſe tulit.* Atque ſicut in diluuio vniuerſali non inuenit columba vbi requieſceret pes eius: Geneſ. 8. Sic etiam in hoc diluuio paſſionis, non inuenit mitiſſima colũba vbi quieſcere poſſet, cùm vt Iſaiæ. 1 dicitur, *A planta pedis vſque ad verticem capitis non eſſet in eo ſanitas. Omne caput languidum, & omne cor mœrens*, & vt in ſumma dicam, *Triſtis erat anima eius vſque ad mortem*: quemadmodum ipſe idem profitetur, *Matth. 26.* In horto captus atque ligatus: In domo Annæ alapa percuſſus: in domo Caïphæ conſputus ac percuſſus: In domo Herodis alba veſte irriſoriè indutus: In domo Pilati crudeliter flagellatus, ſpinis coronatus, atque morti adiudicatus: In monte Caluariæ tãdem crucifixus, & mortem paſſus acerbiſſimam. An non igitur meritò vir dolorum Chriſtus? Meliori quidem iure, quàm Patriarcha Iacob, qui lugebat vnicè dilectum filium ſuum Ioſeph: *Deſcendam*, inquiens, *ad filium meum lugens in infernum.* Geneſ. 37. aut quàm Iob, qui maximos perpeſſus eſt etiam in corpore ſuo cruciatus. c. 1. & 2. Quem cùm inuiſerent eius amici vt eum conſolarentur, viderunt eius dolorem eſſe vehementem, aut quàm Dauid, qui filium ſuum Abſalonem deflebat, dicens, *Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi. Quis det*
mihi

Thren. 1.
Iſaia 53.
Gene. 8.
Iſai. 1.
Matt. 26
Gen. 37.
Iob. 1. & 2.

2.Reg.18 *mihi vt moriar pro te? 2.Reg.18.* aut quàm Hieremias, de quo
Treno.2. Threnor.2. *Deduc quasi torrentem lachrymas, &c.* Ipse enim populi sui excidium atque calamitates defleuit. At verò:
Dan.9. nullus ex his Christo comparandus. Et quidem Daniel c.9. vir desideriorum ab Angelo nominatur: sed Christus Prophetico vocatur oraculo, vir dolorum. Cùm autem pro nobis tot passus sit tormenta Christus, iure quidem gratitudinis ei compati debemus. Siquidem iuxta vulgatum illud, *Quando caput dolet cætera membra dolent.* Et secundum illud Apostoli: *Si patitur vnum membrum compatiuntur & reliqua membra.* Quãtò magis, si pro hominibus membris, ac pro toto corpore caput doleat & patiatur, debeãt membra condolere? hac die præsertim de qua non incongruè
Leuit.23 intelligendum est illud: Leuit.23. *Omnis anima quæ afflicta non fuerit de illa,* nempe in ieiunio solemni & publico in die expiationem *peribit de populis suis.* Sic hodie, in celebritate expiationum (*Lauit enim nos à peccatis nostris in sanguine suo,*
Apoca.1. Apocal.1.) affligi debemus ac contristari, cùm hoc maximè
Psal. 68. ratio postulet. Psal.68. *Sustinui qui simul cotristaretur, & non fuit.* O prodigiosam mortalium ingratitudinem. Sed his prælibatis ad textum accedamus.

D. Aug. *Hymno dicto,* ait D. Matthæus c. 26. Scribit D. Augustinus tom.8. in Psalmum 72. in hunc modum: Hymnus tria habet, & laudem, & Dei, & cum cantico. Si sit laus & non Dei non est hymnus: Si sit Dei & non cum Cantico, non est etiam hymnus. Est autem vsus hymnorum antiquissimus.
Ephes 5. Ephes.5. Coloss.3. *Cantantes in Psalmis, hymnis & canticis spi-*
Plini' secũdus, & Tertull. *ritualibus.* Et Plinius secundus iunior lib. 10. Epistolarum ad Traianum: Item Tertullianus Apologetico cõtra gentes, pro Christianis scribunt, quòd soliti erant ante lucem conuenire carménque Christi quasi Deo dicere secum inuicem. Sic illi. Si autem quæritur, quis fuerit ille hymnus? Respondeo hymnum magnum fuisse, qui constat sex psalmis, videlicet 112. 113. 114. 115. 116. & 117. Hebræi certè hunc hymnum hodiéque canunt in nocte Paschatis, cùm azymis
Paulus Burg. vtuntur. Vocant autem Halleluia magnum. Paulus Burgensis Episcopus, additione ad Psalm.112. qui incipit, *Laudate pueri Dominum*, cùm Glossa Lyrani, Rerum Iudaïcarum & rituum, quippe qui Iudæus fuerit, peritus, sic scribit: Iste Psalmus cum quinque sequentibus, vsque ad Psal. *Beati immaculati in via, &c.* exclusiuè, vocatur ab Hebræis Halleluja magnum, id est, hymnus magnus, de quo singu-

larem

larem faciunt ſolemnitatem. Nam in tribus præcipuis feſtis & Neomeniis, ſtātes iſtum hymnum cùm maiore cantant ſolemnitate, quàm cæteros Pſalmos. Inſuper in nocte Paſchæ, cùm agnus Paſchalis comedebatur poſt eius comeſtionem recumbentes ad menſam iſtum hymnum ſolemniter dicebant. Vnde de hoc hymno ex iſtis ſex pſalmis compoſito, intelligi debet illud quòd imminente paſſione *Matth.26.* legitur: *Hymno dicto*, eo quòd Chriſtus poſt agni Paſchalis comeſtionem huiuſmodi ritum conſuetum ſeruans hymnum prędictum cum Apoſtolis recitauit, quia etiam Hebræi hodie agno Paſchali carentes, in illa nocte ſcilicet Paſchæ iſtum hymnum cum azymis ſolemniter, prout poſſunt cantant. Hæc ibi. Morti igitur vicinus Chriſtus, cygni inſtar, hymnum Deo patri cecinit. Sic Symeon ille Lucæ 2. hymnum, *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine*, protulit: cantione huiuſmodi ſuam velut præſagiens mortem. Martialis lib. 13. qui Xenia inſcribitur, ſic de cygno cecinit: *Matt.26* *Luc.2.* *Martial.*

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipſe ſui.

Et nos Chriſti exemplo poſt cibum, hymnum dicamus, gratiáſque Deo agamus: quòd dictum ſit aduerſus ventris mancipia quædam, aut Epicuri de grege porcos, qui benè ſaginati ad cœlum tamen oculos non conuertunt, vt Deo Opt. Max. pro ſuſceptis beneficiis, à quo omne bonum procedit, gratias agant: ſed ſicut porci, terræ ſemper affixi, glandibus è quercu delapſis, benè paſti, ac ſaturati: minimè tamen in ſublime, vnde glandes decidunt intuentur de quibus illud intelligitur: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terrā*, ait pſalmographus. Hìc exclamat D. Chryſoſtomus: Audiant omnes qui quaſi porci cùm iā comederint, euerſa calcibus menſa, temulenti conſurgunt, cùm agere gratias debeant, & in hymnum à menſa deuenire: Audiatis etiam quicunque vltimam myſterij orationem non expectatis, quę illius ſymbolum eſt. Hymnum Chriſtus cecinit, vt nos quoque ſimiliter faciamus. Sic ille. *D.Chry.*

Trans torrentem Cedron egreſſus Ioan.18. Impletur illud vaticinium. Pſalm. 109. *De torrente in via bibit, &c.* Eſt autem torrens paſſionum Chriſti ſymbolum 2. Reg. 15. Hunc Dauid tranſiiſſe dicitur cùm fugeret Abſalon. Fuitque ille Chriſti typus. *Ioan. 18.* *Pſal. 109* *2.Reg.15*

Percutiam paſtorem Zach. 13. *Percute*, inquit, *paſtorem &* *Zach.13.*

diſpergen

dispergentur oues. Dux exercitus si percutitur, totus quoque
2. Reg. 17. dispergitur exercitus. 2. *Reg.* 17. Consilium Achitophel de percutiendo vno Dauide cap. 18. Percusso Absalone rebellium antesignano atque duce, pepercit Ioab princeps
3. Reg. 22. militiæ Dauid Regis multitudini, 3. *Reg.* 22. *Vidi cunctum Israël in montibus dispersum quasi oues non habentes pastorem,* & ait Dominus: *Non habent isti Dominum. Reuertatur vnusquisque in domum suam.* Ibidem. Rex Syriæ Bernadab, præceperat suis dicens: *Non pugnabitis contra minorem & maiorem quempiam, nisi contra Regem Israël solùm. Is erat Achab, qui casu lethaliter sagitta vulneratus interiit, & præco clamauit: Vnusquisque reuertatur in terram suam.* & Iudith
Judit. 15. 15. *Cùm omnis exercitus decollatum Holofernem audiisset, fugit*
Plutarchus. *mens & consilium ab eis, ac fugæ præsidium sumunt.* Sic apud Plutarchum tom. 1. Opusculorum, in Apophtegm. Laconicis: Agesilaus Magnus in pugna ad Mantineam hortatur Lacedæmonios, vt omissis reliquis pugnarent in Epaminondam, illo necato facilem fore de reliquis victoriam, quòd exitus comprobauit: illo siquidem lethaliter vulnerato, Thebani, qui anteà superiores fuerant, deteriores ef-
D. Cyprianus. fecti sunt. Hæc ibi. Hinc D. Cyprianus Martyr, ad Cornelium contra Hæreticos, Epist. 55. ex Pamelij dispositione: Ecclesiæ Christi inimicus, ait, ad hoc Ecclesiæ propositum sua infestatione persequitur, vt gubernatore sublato, atrociùs grassetur. Sic ibi. Vnde patet Hugnosticos nostra ætate Sanctissimum Dominum Papam, eò atrociùs persequi, quò illum in cathedra Petri, tanquam legitimum eius successorem, ac Christi vicarium, sedentem, ab Ecclesia agnosci, suspici, atque in veneratione haberi conspiciunt clariùs & ægrè ferũt, ideóque conuitia in eum ac blasphemias virulentas vomunt: Antichristum illum, & Belluam in Apocalypsi descriptam blaterantes. Sic pastorem illum totius ouilis à Christo designatum & institutum persequuntur, vt in ouile lupi rapaces sæuiant, ac simplices dispergant oues.

Petrus, & si omnes scandalizati, inquit, fuerint in te, ego nunquam, &c. Ter quidem præsumptuosè loquitur ille: Primò, *Animam meam pro te ponam Ioan.* 13. Cui Christus: Animam tuam pro me pones? *Amen, amen dico tibi, Non cantabit gallus donec ter me neges.* Secundò, *Et si omnes scandalizati fuerint, &c.* Tertiò, *Et si oportuerit me mori tecum non te negabo.*
Matt. 26 Matth. 26. Contigit autem vt ex opposito ter Christum negaret.

negaret. Iudith.6. *Præsumẽtes de se & de sua virtute glorian-tes humilias.* Ecclesiastici decimo octauo. *Vidit præsumptio-nem cordis illorum, quoniam mala est.* Zelus quidem Petri er-ga Christum hinc ostenditur, qui Ioan.6.dicebat: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes:* sed non stetit pol-licitis. Symbolum gerit hac in promissione fidi amici. Cùm enim Matth. decimo septimo, in transfiguratione glorio-sa dixerit: *Domine bonum est nos hic esse*, ac in cœna cùm Christo epulatus fuerit: In tribulationibus etiam Christo voluit consociari. Prouerb. decimo septimo. *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.* Vnde Ouidius lib.1. Tristium Elegia 8. *Iudit.6.* *Eccle.18* *Ioan. 6.* *Matt.17.* *Prou. 17.* *Ouidius.*

Donec eris fœlix multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila solus eris.
Adspicis vt veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas sordida turris aues.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Idem lib.1. Tristium, Eleg.4.

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum:
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Dum iuuat & vultu ridet fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt nec noscitur vlli
Agminibus comitum qui modò cinctus erat.

Et Petronij Arbitri Satyricon illud:

Cùm fortuna manet, vultum seruatis amici: *Petroni⁹.*
Cùm cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Cicero libro nono Epistolarum Epistola 16. Non facilè diiudicatur amor verus, & fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, vt quasi aurum in igne: sic beneuolen-tia fidelis periculo aliquo perspici possit. *Et amicus certus in re incerta cernitur*, ait Ennius, vt citat Cicero libro de Amicitia. Et lib.4. Rhetoricorum ad Herẽnium versus fi-nem, incertus auctor, seu, vt doctis videtur, Cornificius: Vt hirundines æstiuo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt: Ita falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt, simulatque hyemem fortunæ viderint deuorant omnes. Et Isocrates ad Dæmonicum: Amicos tum in vitæ cala-mitate, tum in periculorum societate cognosces. Nam vt aurum igni exploratur: sic amicorum fides rebus aduer-sis declaratur. Seneca denique libro primo Epistolarum *Cicero.* *Ennius.* *Cornificius ad Herennium.* *Isocrates* *Seneca.*

Epistola nona. Certè florentes amicorum turba circum-
Eccles.6. sedet, circa euersas ingens, solitudo est. Ecclesiast. 6. *Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.

Ioan.18. *Hortus in quem introiuit Iesus*, Ioan. decima octaua. Vbi
Genes.3. perierat homo, nempe in horto seu Paradiso deliciarum. *Genes. 3.* Ibi à Christo reparatur, nimirum in horto Patrem deprecatur, sanguinem sudat, ab Angelo confortatur, hostes prosternit, capitur ab aduersariis, inimicis se beneficum gerit: In horto denique sepelitur & resurgit. Cur tam præclara in horto? Vt vetusti horti admoneamur, vbi tota Adæ posteritas fuit infecta.

Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedai &c. Matth. 26. Tres selectos assumit, qui præ cæteris magnalia promise-
Mat.20. rant: Matth. 20. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Responderunt, Possumus.* Et quia testes fuerant miraculorum à Christo factorū in suscitatione Archisynagogi filiæ: testes quoque fierent dolorum & angustiarū Christi.

Prou.12. *Tristis est anima mea &c. Quomodò* Prouerb.12. *Non con-*
Isai.42. *tristabit iustum quicquid ei acciderit.* & Isaiæ 42. de Christo extat oraculum Propheticum, *Non erit tristis neque turbulentus:* Duplicem esse tristitiam: Vna est inordinata rationem submergens, & in desperationis ac impatientiæ barathrum deiiciens, de qua prior illa Salomonis sententia intelligenda venit: *Non contristabit iustum &c.* id est, non frangetur impatientia. Alia est secundum rationem regu-
Eccles.7. lata, de qua Ecclesiastes cap. 7. *Cor sapientum vbi tristitia*
2. Cor.7. *est, & cor stultorum vbi lætitia. & 2. Corint. 7. Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.* Tristitiam quàm
D. Hier. Christus assumpsit D. Hieronymus in Matth. propassionem potius quàm passionem dicendam censet, fuit enim excitata ex imperio voluntatis, & secundum rectam rationem regulata. Tristabatur autem ob Iudæ facinus, scandalum Apostolorum, reiectionem Iudæorum, & euersionem Hierusalem. *Nam videns alias ciuitatem fleuit super il-*
Luc.19. *lam Luc.19.* Et vt ait quidam sanctus: Doles, Domine, non tua vulnera: sed nostra peccata.

Procidit in faciem. Matth. 26. Obseruabis discrimen inter eos qui cadunt in faciem, & eos qui retrorsum. Nam Apostoli in transfiguratione. Matth. 17. & seniores in

Apocalypsi,

Apocalypsi, cecidisse in facies suas leguntur, ob reuerentiam: atque etiam hoc loco Christus oraturus procidit: Sed Hely sacerdos in libro Regum,& qui comprehendere venerant Christum in horto, audientes illum dicentem, *Ego sum: Abierunt retrorsum & ceciderunt in terram Ioan.18.* Primi erant boni: alij autem peccatores. Qui procidit pronus in terram, videt quò cadat, & facilius resurgere potest: Qui facie auersa ac supinus retrorsum cadit, impudenter conspicit cœlum, nec facilè quo præceps ruat, percipit, per quem impudenter & absque vllo rubore peccans designatur, nec habet vnde surgere possit. Necessitas ceremoniarum inde comprobatur, quòd Christus genua flexerit, quòd prostratus orauerit, & ter eundem sermonem repetierit, vt ex historia liquidò constat.

Transeat à me calix iste Matth.26. Mortem perhorrescit, quia mors natura est horribilis, quòd non est vitij, sed naturæ, *Deus mortem non fecit*, ait Scriptura, *quia ab initio fecerat hominem inexterminabilem.* Sapien.2. hoc est, interprete doctissimo Lyrano, immortalem ex parte animæ, & contra corruptionem corporis, eo quòd est compositum ex contrariis elementis dedit donum originalis iustitiæ, quo poterat anima corpus suum à corruptione præseruare: *Inuidia autem Diaboli mors*, vt ibidem dicitur, *introiuit in orbem terrarum:* quia per tentationem ipsius, primi Parentes mandatum Dei transgredientes perdiderunt originalem iustitiam, & sic incurrerunt necessitatem moriendi. *Genes.3.* Sic Lyranus. Cùm ergo ex Cicerone, omni generi animantium à natura inditum sit, vt se vitámque suam tueatur, & ea quæ nocitura sunt declinet, Relinquitur quòd Christus illum mortis horrorem subierit, vt mortis aculeum retunderet. Ex parte igitur carnis quæ infirma est, refugit naturaliter mori: Verùm ex parte rationis & voluntatis benè regulatæ. *fiat*, inquit ille, *voluntas tua: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, ait Psalmista. Et rursus: *Vt facerem voluntatem tuam Deus meus, volui.* Erat in Christo voluntas inferior & superior, quia humanitatis habebat veritatem. Secundum quòd sensualis postulat appetitus, mortem deprecabatur atque refugiebat, dicens *Transeat à me calix iste:* Sed ex parte rationis, seu portionis animæ superioris, vt nos doceret semper sensum spiritui nostrámque humanam voluntatem Dei conformare voluntati, subiecit, *fiat voluntas tua*, Quasi dicat, Non sicut

Mat.26. *Sapiēt.2.* *Lyranus.* *Genes.3.* *Cicero.*

mihi dictat naturalis carnis meæ infirmitas, sui dissolutionem horrescens, sed sicut meus tecum spiritus concurrit, vt fiat voluntas tua, à qua dissentio nunquam.

1. Reg. 16. *Simon dormis?* Sic 1. Reg. 16. Dauid dixit ad Abner: *Quare non custodisti Dominum tuũ Regem?* En vobis dormientibus tota nocte vigilans Iudas accessurus est nunc nunc: *Ecce*, inquit, *appropinquabit qui me tradet*, Cur ergo non expergiscimini? Petrum verò præ cæteris acriùs redarguit, quia magnificentiùs promiserat se mortem pro illo perpessurum, Et quia in Petro redarguuntur somnolenti pastores, qui supra gregem suum vigilare deberent: ac vt nomini officióque ipsorum, quòd est ἐπισκοπεῖν seu superintendere cùm exacta diligentia, satisfacerent, aliis etiam dormientibus nequaquam somno indulgere licentiùs deberent. Nouit Sathanas se non posse oues decipere, nisi pastores antè consopierit. Sic in passione Domini graui sopore Apostolorum oculos premit. Scribit Homerus ιλιαδ. K. Alij quidem apud naues. Optimates Achiuorũ dormiebant: Verùm non Atridem Agamemnonẽ pastorem populorum somnus tenebat dulcis, multa in mente voluentem. Hæc ibi. Vt ex versibus Græcis exprimitur Idem Ιλιαδ. β. οὐ χρὴ παννύχιον &c. Quorũ versuum Gręcorũ hic est sensus.

Homer⁹.

Non oportet per totam noctem dormire cõsiliarium virum,
Cui populi sunt commissi, & tot curæ sunt.

Plutarc. Narrat Putarchus in Apophtegmatibus, Quòd Philippo dormiente interdiu & Græcis culpantibus, Parmenio dixit: Nolite mirari quòd nunc dormit Philippus. Vigilabat

Gene.31. enim idem vobis dormientibus. *Genes. 31.* dicebat Iacob,

Luc.2. speculum pastorum, *Fugiebat somnus ab oculis meis.* Et Luc. 2. *Erant pastores custodientes vigilias noctis supra gregẽ suum: Annon cùm dormirent homines inimicus homo superseminauit zizania? Matth. 13.* & dormiente Christo, nonne nauis peri-

Matt.13. clitabatur? ca. 8. Sed de his in sequentibus fusiùs agemus.

Isai.6. *Orauit tertiò eundem sermonem dicens.* Sic Isaiæ 6. & Apocal. 4. Duo Seraphin & 4. animalia, ter *Sanctus*, siue τρισάγιον decantabant & acclamabant. Nulla ergo superstitio est, si qua oratio frequentiùs repetatur, vt oratio Dominica, quæ & quotidiana dicitur: *Agnus Dei*, ter in missa repetitur: Alioquin superstitiosum Christum dicent, qui tertiò eundem dixerit sermonem. Ex eo autem quòd ter Chri-

Luc.18. stus orauit, docemur perseueranter quoque orare. Luc. 18. *Oportet semper orare & nunquam deficere. Ter Dominum rogaui,*

gaui, ait Beatiſſimus Paulus. Ne igitur animum deſpondeamus: ſi prima vice non exaudiamur. Hìc ſubiicere operæ pretium duxi Romani cuiuſdam quamuis prophani viri exemplum, vt ad conſtantiam & in orando perſeuerantiam prouocemur. Scribit ſiquidem Plutarchus tom.1. Vitarum de Paulo Æmilio. Is aduerſus Perſeum Macedonum Regem dimicaturus & conflicturus, Luce prima oppidò religioſus, quum ſacrificaret Herculi hoſtiis viginti non litauit. Tandem prima & vigeſima læta exta fuerunt, victoriámque ſe defendentibus ſe ſpondere, Sic ille. Mira certè in prophano homine conſtantia, qui vſque ad viceſimam primam hoſtiam, vt Deos placaret, & oraculum ab eis acciperet, more veterum Ethnicorum, obfirmato animo perdurauit. Quid nos vt Deum vnum creatorem noſtrum habeamus propitium facere conuenit? Quantò magis in oratione aſſidui & inſtantes eſſe debemus, nec quamuis repulſam paſſi, intermittere orationem debemus. Siquidem, labor improbus omnia vincit. *Et, qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* *Plutarchus.*

Apparuit Angelus de cœlo confortans eum. Luc. 22. Cùm Dominus abſque omni ſolatio, & doloris temperamento fuerit in ſua paſſione, quomodò dicitur in agonia confortatus? cùm Threno.1. dicat: *Longè factus eſt à me conſolator,* & Pſalm.68. *Qui conſolaretur me quæſiui & non inueni.* Vnde ergo, vel quam conſolationem tunc habuiſſe refertur? Reſpondeo: Veriſſimile eſſe quod ſicut Helias & Moſes in transfiguratione eius dicebant exceſſum quem completurus eſſet in Hieruſalem, Luc.9. ſic & Angelum de Paſſionis fructu cum Chriſto egiſſe, & veteres figuras per illum implendas declaraſſe, nihil ei nouum nuncians. Quaſi diceret: Pater cœleſtis ab initio nõ intermiſit coloribus adumbrare, quæ tu cras, O bene Ieſu, perficere debes, Et primò. *Luc.22.* *Thren.1.* *Pſal. 68.*

Adamo ſub arbore dormiente, ex eius latere vxor formatur Eua: Hoc verò implebitur, quando tu in cruce ſomnum mortis capies, latere aperto vnde fluxit ſanguis & aqua, Eccleſia inde formanda eſt. Epheſ.5. *Sacramentum hoc magnum eſt, dico autem in Chriſto & in Eccleſia:* Inde ſacramenta ſuam hauriunt efficacitatem ac virtutem. 1. *Epheſ. 5.*

Cain fratrem ſuum ex inuidia interficiens, ideo profugus & exul ſuper terram. Quod perficietur quando Iudaïcus populus, tuus ſecundùm carnem frater, ex inuidia te interficiet, ob quod crimen vagus eſt & profu- 2.

gus vſque in hodiernum diem, per orbem terrarum diſperſus.

3. Noë arcam fabricauit iubente Deo, vt mundum conſeruaret: Tu ligno crucis mundum conſeruabis, & ei ſolatium adferes.

4. Vides arcum variis diſtinctum coloribus, cuius aſpectu cœleſtis pater furorem lenit, ne mundum diluuio perdat? Tu Domine porrectis in cruce brachiis, ſputis & vulneribus deformatus, huius arcus ſeu iridis imaginem exhibebis, & patrem vulnerum tuorum oſtenſione placabis.

5. Abraham cum Iſaac montem aſcendens, & filius Iſaac ligna ſuper humeros baiulans, Pater verò ignem & gladiũ ferens: quid protendebat, niſi quòd tunc ſacrificium hoc celebrabitur, quando tu crucem ſuper humeros feres? Pater ignem amoris erga ſalutem mundi, & diuinæ zelũ iuſtitiæ habens, tanquam gladium, te ad mortis ſacrificium deducet.

6. Iacob hædorum pilis, & alieno habitu amictus, à patre accepit benedictionem, vt qui benediceret ei ſit benedictus, & contra, qui maledixerit ei, maledictionib. repleatur: Tu hoc perficies, quando tu innocẽs malefactoris habitum ſuſcipiens pro nobis, eam à patre æterno benedictionem impetrabis, vt quicunque tibi benedixerit, id eſt, tuas laudes prædicauerit, tibi fide & amore copulatus, sẽpiternam benedictionem conſequatur.

7. Ioſeph fraterna inuidia venditus, ne principatum inter fratres obtineret: Deo tamen ita volente & diſponente ad ſummum honoris faſtigium euectus eſt: Hoc iam fieri cœptum eſt, quando Iudas te vendidit. Ille in carcere recluſus inter duos, veluti medius fuit: Sic tu inter duos latrones crucifigeris, & tandem Dominus Ægypti Ioſeph declaratus typum tui geſſit, qui totius orbis Monarcha per crucẽ tuam declaraberis, iuxta illud ab Eccleſia decãtatum, ex Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo:

Theodulphus.

Impleta ſunt quæ concinit
Dauid fidelis carmine
Dicens in nationibus
Regnauit à ligno Deus.

Philip. 2. Et Philipp. 2. *Vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur* *Mat. 28.* *cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Et Matth. 28. *Data eſt mihi*

mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

Agnus Paſchalis, cuius ſanguis præſeruabat ab exter- 8.
minatore, nonne Chriſtum delineabat & adūbrabat, cuius
ſanguis nos redimit inſtar Pelicani, de quo dicit D. Augu- *D. Aug.*
ſtinus tomo octauo in Pſal. 101. *Similis factus ſum pelicano, &c.* Aiunt matrem ſeipſam grauiter vulnerare, & ſanguinem ſuum ſuper filios fundere, id eſt, pelicanos, Quo illi ſuperfuſi reuiuiſcunt, & nos ſanguine Chriſti viuificati ſumus. Inter D. Hieronymi opera to. 4. Epiſtola ad Præſi- *D. Hier.*
dium Pellicani, inquit ille, ſuos à ſerpente filios occiſos inuenientes ſua latera percutiūt, & ſanguine excuſſo corpora mortuorum ſic reuiuiſcunt.

Moſes per extenſionem manuū crucem deſcribens, A- 9.
malech ſubegit: Tu crucem paſſus Dæmonis tyrannidem deſtrues.

Serpens æneus Chriſti typum quoque gerebat, eodem 10.
interprete Ioan. 3. *Sicut exaltauit Moſes ſerpentem in Eremo:* *Ioan. 3.*
ita exaltari oportet filium hominis, &c.

Petra virga percuſſa, annon huius etiam ſymbolum 11.
fuit? Tu es illa myſtica petra virga diuinæ iuſtitiæ cras, propter aliena ſcelera ferienda. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum,* ait Propheta.

Hircus emiſſarius de quo Leuit. 16. portans iniquitates 12.
omnium, Nonne Chriſtum ſignificabat, ob innocentiam *Leui. 16.*
quidem ſuam agnum immaculatum, Ob peccata verò no-
ſtra, *quæ portauit in corpore ſuo ſuper lignum* 1. Pet. 2. Hircum *1. Pet. 2.*
non immeritò dictum?

Vitula ruffa extra caſtra immolata cineribus ſuis ho- 13.
mines ſanctificans, vt in tabernaculum Domini admittātur: Nonne humanitatem tuam, Domine, adumbrabat quę ruffa eſt ex charitatis ardore, & ſcelerum noſtrorum, quæ
tulit, rubore: Iſaiæ 1. *Si fuerint peccata veſtra rubra ſicut vermiculus, &c.* Cras hunc Domine, referes colorem, extra portam patiens, & cineres, hoc eſt ſacrificij huius merita, ad peccatorum expiationem reſeruantur, vt homines tuo ſanguine purificati, in æterna recipiantur taberna.ula. *Iſaie. 1.*

Mors Pontificis, per quam homicidis inuolun:ariis eſt 14.
in patriam regreſſus, Num. 35. præſignabat quòd ſine mor- *Nu. 35.*
te Chriſti non patebat aditus in cœlum, ſed omnes etiam Patriarchæ deſcendebant in Lymbum, in Abrahæ ſinum,
Deſcendam lugens ad infernum. Geneſ. 37. Quo anno Aaron *Gen. 38.*
Pōtifex ſummus mortuus eſt, id eſt, anno 40. exitus de Æ-

gypto, filij Iſraël terram promiſſionis acceperunt: Ita quo tẽpore Chriſtus pro nobis mortuus, & reſurrexit, nos cœleſtis hæreditatis ius per illum adepti ſumus.

Duo paſſeres ad mundandum leproſum, Leuit. 14. Vtramque in Chriſto naturam deſignabant. Genus humanũ
Leui.14. lepra peccati infectum, Chriſti ſanguine (*qui eſt ſicut paſſer ſolitarius in tecto*: Pſal.) repurgatum fuit. Sed tempus eſt vt ſequentia perſequamur.

Theoph. *Dormitte iã & quieſcite, &c.* Theophylact. exponit quaſi per ironiã dictũ: Quaſi dicat: Ecce appropinquat proditor,
Epheſ. 5. & vos dormitis? *ſurgite eamus*. Epheſ. 5. *Surge qui dormis, &*
Rom. 13. *exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*. Rom. 13. *Hora eſt nos iã de ſomno ſurgere* Obſerua ſemel tantùm dictum, *Dormitte*: ſed viceuerſa ſæpius, *Vigilate & orate*. Hoc loco, & Marc 13. *Quod vni dico, omnibus dico vigilate*: atq; in ſacris ſimiliter & crebro. Si perpendamus dormitionis incõmoda ex ſacra hiſtoria, à ſomno prolixiore reuocabimur, & ad vigilias excitabimur. *Si ſciret paterfamilias qua hora fur veniret vigilaret vtiq; & nõ ſineret perfodi domũ ſuã*, ait Chriſt⁹.

Noë dormiens nudus iacuit in tabernaculo ſuo, & ab
Geneſ. 9. ingrato filio Cham deriſus fuit. Loth dormiens inceſtũ cũ
19. vtraq; filia imprudens admiſit. Gen. 9. 19 Media nocte cum
Exo. 12. homines dormirent, primogenita Ægypti ab exterminatore ſeu deuaſtante Angelo interfecta ſunt: Exo. 12. Siſara dux exercitus, à Iahel fœmina, cum dormiret, clauo in tẽporibus confoſſus interiit. Et fortiſſimus Sampſon in ſinu
Iud. 4. Dalidæ dormiens, capitur ab Allophillis ſiue Philiſtęis, &
& 16. exoculatur. Iudicum quarto & 16. Saül Rex dormiens haſta ſua & ſcypho aquæ ſpoliatus, inſuper manifeſto vitæ
1. Reg. 26 ſuæ diſcrimini obiectus fuit, ſi Dauid eum interficere vo-
2. Reg. 4 luiſſet. 1. Reg. 26. Isboſet filius Saül, ſuper ſtratum ſuũ meridie dormiens, & oſtiaria domus pariter ſomno obruta, à duobus viris principibus latronum percuſſus, obiit, *2. Reg. 4.* Maretrix altera, dormiens infantem ſuum oppreſſit. *3. Reg. 3.* Thobias dormiens fimo hirundinum excæcatur, capite ſecundo. Holofernes dormiens, & vino ſepultus, ab Heronia viragine & forti fœmina Iudith, ſuo obtruncatur gladio, Iudith. c. 13. Ionas c. 1. dormiens, in mare deiectus à ceto deglutitur: ſed poſtea ſanus & illæſus euomitur. Chriſto dormiẽte in naui, illa vẽtis & vndis agitatur: Et cũ dormirent homines, ab inimico zizania ſuperſeminantur. Dormientes prolixiùs quàm oportuit, fatuæ virgines oleum

oleum in lampadibus non habentes, ad nuptias sponsi nō admittuntur: Discipuli dormiētes tēpore passionis, à Christo obiurgantur. *Mat. 8. 13. 25. & 26.* Sōnus Lazari in morte desinit, ac finē habuit. Ioan. 11. Eutychus deniq; adolescens Paulo protrahente ad mediam vsq; noctē conciōnē suam, cùm mergeretur somno graui, de tertio cœnaculo deorsū cecidit, & sublatus est mortuus. Qui hac in parte secundū nomen suum benè fortunatus fuit, εὔτυχος, quod à Diuo Paulo in Christi nomine eadem hora suscitatus fuit. Quid plura? Longè præstat vigiliis, quam somno deditos esse. *Matt. 8. 13. 25. & 26.*

Palus vigila semper, somno nec deditus esto

Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat, ait quidam. *Ioan. 18.*

Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant processit. Ioan. 18. Ne scilicet fugere videretur. *Non* retrocessit Christus, sed processit. Isa. 50. *Retrorsum non abiit,* ait ille. 2. Reg. 1. Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum. Christus Ionathas noster qui exemplū vxoris Loth nobis proposuit, quę respiciens retro versa est in statuā salis, &, Luc. 9. *Nemo* ait, *mittens manum suam ad aratrum & aspiciens retro, aptus est regno Dei.* Vt semper procedamus de virtute in virtutem (in via enim Dei non progredi retrocedere est) seriò nos admonet atq; hortatur. Vir fortis nō habet plagas in dorso, sed in facie. Valer. li. 3. c. 2. de fortitudine. Et Plin. li. 7. c. 28. L. Dētatus tribun⁹ plebis 45. cicatricib. aduerso corpore insignis, nulla in tergo, multoties victor. Is 45. vulnera pectore excepisse dicitur, tergo cicatricib. vacuo. Sic illi. *Isai. 50. Luc. 9. Valerius & Plin.*

Quem quæritis? Innocentem ad mortem quæritis? Inermē armati? Mirum! quod non agnoscunt illum, acrisia percussi vt quondam Sodomitæ. *Genes. 19.* Et Syri quærentes Heliseum 4. R. 6. Et cùm esset Iudas dux eorum: Nec deessent facies & lampades, non tamen illi Christum agnoscunt. Mira vtique cæcitas & mentis & corporis. *Gen. 19. 4. Reg. 6*

Abierunt retrorsum & ceciderunt in terram, &c. Dominus ideò hoc grande signum ostendit vt declaret se nisi vellet nō posse capi. Eos solo verbo prosternit tāquā fulmē, quid igitur facienti iudicandi? quando super illos Dominus de cælis tonabit? Ite, inquiens, *maledicti in ignē æternū. Mat. 25. & 1. Reg. 2* Sic implentur figuræ: *Ios. 6.* ad tubarum sonitū muri Hiericho prostrati, & 1. *Reg. 5.* idolon Dagon ante arcam Domini cecidit. 2. Reg. 6. Oza percussus est à Domino, quia arcam tetigit temerè, & mortuus est. *Vox Domini confringentis cedros,* ait Psalmista. *1. Reg. 2. Ios. 6. 2. Reg. 6.*

Amice,&c. κατ' ἀντίφασιν, per contrariam locutionem, quia infensissimum & acerrimum se ostendebat inimicũ, & hominum omnium ingratissimum. Ierem. 18. *Nunquid redditur pro bono malum?* Ad malum, & non indutum, veste nuptiali dicitur: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Matt. 22. Malus est ille qui in parabola denarij audit: Matt. 20. *Amice non facio tibi iniuriam.* Amicum Iudam hîc appellat eum redarguens: Quasi dicat: vndenã amici osculum? Qua intentione huc ades? Nunquid vt amicus? sed non oportebat cum gladiis aduenire. Nunquid vt inimicus? quomodò igitur oscularis? Amice, cui nimirum tot amicitiæ indicia ostendit. Pedes eius lauando, Eũ cum aliis communicando, Dicente D. Thoma in hymno: *Cibum turbæ duodenæ sedat suis manibus*, œconomum suum illum constituendo, & inter duodecim Apostolos ipsum connumerando, vt scilicet tot ac tantis beneficiis à malo conuerteret ad bonum. Amici nomen ideo vsurpari dicimus, vt adhuc spem veniæ Iudæ superesse Dominus doceat si pœnitentiã agat. D. Bernardus Sermone 2. de Verbis Apostoli, Non est regnũ Dei esca: Semper, inquit, memores simus huius verbi: *Amice ad quid venisti?* Quia non ad hoc venimus, vt simulatoria specie Regem interficiamus, sed vt seruiamus ei qui est Deus benedictus in sæcula Amen. Ioannes Climacus gradu 4. de obedientia: Quidam pater sanctus instruebat fratrem quendam dicens: Ad teipsum conuersus dic: *Amice ad quid venisti?* Scilicet vt Deo seruias in humilitate & mansuetudine, non superbia & detractione; non in voluptatibus & delitiis. Dorotheus sermo. 10. Solebat, inquit, Arsenius Abbas semper dicere sibi ipsi: Arseni, *ad quid venisti?* Nos vero tanta occupat desidia, vt ad quid venerimus penitus ignoremus. Apud nos quoq; recogitemus, ad quid Christiani facti sumus, nisi vt Christi, cuius super nos inuocatũ est nomẽ, opera & mãdata cũ Dei adiutorio faciamus. Ioã. 15. *Si quis diligit me sermonẽ meũ seruabit. Iuda, Osculo filiũ hominis tradis?* Hęc est proditorum consuetudo 2. Reg. 20. Ioab Amasam osculatus interfecit eum in dolo. Consueuerat Christus suos discipulos & abeuntes, & ad se redeuntes deosculari. Ideóque Iudas id præsumpsit: Proditorium istud fuit osculum. Ecclesiastici 37. *Sodalis & amicus ad inimicitiam conuertentur.* Psalm. *Si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem vtique. Tu verò notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Qui edebas*

Margin notes: Iere. 18. — Mat. 22. — D. Tho. — D. Bern. — Ioan. Climac. — Dorotheus. — Ioan. 15. — 2. Reg. 20 — Eccl. 37.

edebas panes mecum, magnificauit super me supplantationem. Ioab effudit sanguinem belli in pace: Sic hæretici proditores prætextu amicitiæ fidem produnt. Isaiæ 38. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* *Isa.38.*

Petrus percussit Pontificis seruum, non tam in sui vindictam, quàm in defensionem armatus magistri. Et zelus quidem eius pro Domino suo contra inuasores & sicarios illos vtique laudandus est. Factum tamen ipsius Petri speciem habuit vindictæ, nõ obtenta à Christo licentia, quam tamen petissent.

Si percutimus in gladio? Et temeritas est potiùs quàm fortitudo. Nec vnus vel vndecim aduersus armatas cohortes sufficere poterant. 2.Reg.16. Cùm Dauid à Semei malediceretur & lapidaretur, Abisai dolens Regis iniuriã in eum cupiebat insurgere, & in frusta conscindere. Sed à Dauide retentus est: *Dimitte*, inquit, Quasi dicat: *Conuerte gladium tuum, &c.* 23.q.8. ex D. Ambrosio c. Arma &c. Arma Episcopi lachrymæ sunt & orationes, Exemplo Mosis in monte orantis, dum in valle Iosue pugnaret aduersus Amalech. *2.Reg.16* *Decret.*

Qui acceperit gladium, &c. scilicet à seipso & propria authoritate, ad vindicãdum se. Iudices autem & magistratus non à seipsis accipiũt, sed concesso sibi à Deo gladio vtuntur. Rom.13. *Nõ sine causa gladiũ portat: Minister enim Dei est.* *Rom. 13.*

Duodecim Legiones Angelorum, &c. Duodecim ait antithesi ad duodecim Apostolos. Significat defensionẽ ipsius sibi inutilem: Sufficientem autem se habere posse si vellet. Vnus Angelus occidit 185000. 4. Reg.19. Contra tantam turbam armatam, vana erat vnius Petri defensio, potiùs nocitura, & exasperatura animos eorũ, qui erant tanquam ministri iustitiæ, quàm profutura. Nam, vt ait in bello Iugurthino Sallustius: Frustra niti, neque aliud se fatigando nisi odium quærere extremæ dementiæ est. Plato verò diuinus in Phædone: Cõtra duos, inquit, ne Hercules quidem dicitur suffecisse. *4. Reg. 19.* *Sallust.* *Plato.*

Sanauit auriculam, &c. Huc reuocanda est Historia 3. Reg.13. quomodò vir Dei ad Ieroboam missus in sermone Domini contra altare sacrilegum prophetauit, asserens futurum quòd scinderetur. Extenditque Rex præfatus manum suam de altari, dicens: *Apprehendite eum. Et exaruit manus eius quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se. Altare quoque scissum est, iuxta quod prædixerat vir Dei in sermone Domini. Et ait Rex ad virum Dei: Deprecare* *3.Reg.13*

faciem

faciē Domini Dei tui, & ora pro me vt restituatur manus meā mihi. Orauitque vir Dei, & reuersa est manus Regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat. Sicut autem Propheta manū Regis contra se leuatam, & ob id immobilem redditam, protinùs restituit: Sic Christus lōgè mirabiliùs auriculā Malchi sanauit, quàm Petrus absciderat, quòd violentiùs aduersus Dominum insurgeret. D. Chrysostomus in Ioan. 18. scribit, cum ipsum paulò post in domo Annæ Christo alapam impegisse. O ingratissimum? Dixi aliâs ex Plutarcho, tom. 3. Vitarum, in Cicerone, & Valerio Maximo lib. 5. c. 3. de ingratitudine, & Appiano Alexādrino, lib. 4. bellorum ciuilium, de Popilio Tribuno, quem parricidij quondam reum defenderat Cicero: At verò impius ille Ciceronem interfecit. Et Christus Malchum aure mutilatum curauit: At ingratus Malchus, Christo alapam dedit. O manum prę̨scindendam!

D. Chry. *Plutarc.* *Valerius & Appianus.*

Cōprehenderunt Iesum, & ligauerūt, &c. Exultantes nimirum *sicut exultant victores capta præda, cum diuidunt spolia.* Sic in captione Sampsonis per Philistæos, & arcæ Domini per eosdem in prælio, tempore Hely sacerdotis, vt latiùs ex libris iudicum, & primo Regum deducitur.

Gene. 39

Adolescens quidam relicta syndone, &c. Sicut Ioseph. Gen. 39. pallio relicto inter adulteræ dominæ suæ manus fuga suæ consuluit pudicitiæ: Sic & iste relicta syndone nudus profugit & sibi consuluit. Quis autē fuerit adolescens ille, cuius Mar. 14. fit mentio, aut, vt Græcè habetur, *νεανίσκος*, adolescentulus? Respōdetur non fuisse de numero duodecim Apostolorum, quod patet ex ætate. Non enim adolescentulos Dominus elegit Apostolos, quos ad prædicādum mitteret. Saltem attigerant, imò excesserant tricesimum annum & sanè contextus ipse ostendit, non fuisse ex duodenario numero. Dicitur enim, *Relicto eo omnes fugerunt,* scilicet Apostoli: *quidam autem adolescentulus sequebatur, &c.* significans quòd ille non fuerit de numero Apostolorum. Constare iterum potest ex modo vestitus: *Erat enim amictus syndone super nudo,* scilicet corpore, ait Euangelista. Non videtur autem quòd aliquis Apostolus sola syndone super nudo corpore cū Christo cœnauerit, & ambulauerit, quia non est ordinarius modus vestiendi, sed accidentarius his qui surgunt è lecto. Memini me apud Caietanum in suis Ientaculis aliquando legisse quid simile, illúmque istius esse sententiæ, non aliquem ex Apostolis fuisse qui

Caietanus.

reliquit

reliquit ſyndonem & confugit: Quin potiùs aliquē ad tumultuantis turbæ rumores excitatum ſumpta in promptu, aut potiùs circundata ſibi ſyndone, egreſſum è lecto, vt videret quid eſſet, cumque vellent illum comprehendere, aufugiſſe.

In domo Annæ quondam ſacerdotis & Caiphæ ſoceri.

Alius diſcipulus qui erat notus Pontifici Ioan. 18. Hic Caluinus, & in Matt. 26. Robertus Stephanus in noua Gloſſa ordinaria negant Ioānem fuiſſe, ſed quendam Chriſti diſcipulum, qui fuerit notus Pontifici & introduxit Petrum. Sic autem Caluinus: Quoſdam, inquit, fefellit leuis conie- „ ctura, vt hunc diſcipulum putarent eſſe Ioannem: nempe „ quia ſuppreſſo nomine de ſe loqui ſolet: Sed vnde cum ſu- „ perbo Pontifice familiaris notitia Ioāni, qui ignobilis erat „ piſcator? Et quomodò fieri potuit vt Pōtificis domum fre- „ quentaret, quum eſſet in Chriſti contubernio? Magis pro- „ babile eſt hunc non fuiſſe vnum ex duodecim: ſed vocari „ diſcipulum, qui doctrinam filij Dei amplexus eſſet. Sic ille „ contradicendi ſtudio permotus, verus Iſmaëlita, non autem Iſraëlita, in quo dolus nō eſt. Sed ſicut de Iſmaële dicitur: *Manus eius cōtra omnes, & viciſſim manus omnium contra eum*: ſic iſte impudens Antiquorum refragatur ſententiæ, nedum in grauioribus, ſed etiam in minimis. D. Chryſoſtomus to. 3. in Ioānem 18. ſic ex profeſſo: Quis ille alius diſcipulus? Ipſe qui hæc ſcripſit. Et cur ſe non nominat? Cū enim ſupra pectus Ieſu recumberet, meritò ſe ſilentio præteriit. Sed qua gratia in hoc loco? Eadem ipſa. Nam & hìc quoque ſe laudat, quòd aliis diffugientibus, ipſe ſequeretur, & ideò ſuum nomen ſilet, & Petrum ſibi præponit, & ſui meminiſſe tamen coactus eſt, vt intelligas eum cæteris diligentiùs, quæ in aula principis facta ſunt enarrare: vt pote qui aderat. Et aduerte quomodò propriæ laudi demit. Ne quis enim diceret: Quomodò omnibus aufugientibus ipſe ingreſſus eſt? cauſam adfert, quòd eſſet notus Pontifici, ne quis ſe ſecutum admiraretur, néve id ei fortitudini adſcriberet. Ideò hæc ſcripſit Euangeliſta, præoccupans negationis excuſationem. Neque enim tanquam rem magnam, ait ſe notum Pontifici: ſed cùm ſolum ſe cum Ieſu veniſſe dixiſſet, ne putares animi magnitudine factum, cauſam adfert. Hactenus aureum illud eloquentiæ flumen: Vtri potiùs credēdū: Caluino, an Chryſoſtomo? Sed Chryſoſtomum præſtat ſequi, Caluinum autem reiicere, vt venerandæ

Ioan. 18.
Caluin⁹ & R. Stephanus.
D. Chry.

nerandæ Antiquitatis iuratum hoſtem. Non leuibus coniecturis ductus Chryſoſtomus cenſet Ioãnem fuiſſe, cuius fauore fuerit intromiſſus Petrus. Quòd ſi vrgeat adhuc Caluinus, Vnde cum ſuperbo Pontifice familiaris notitia Ioanni, qui ignobilis erat piſcator? Matth. 4. Caluini veſaniæ reſpõdet Nicephorus, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. c. 3. Zebedæus, inquit, decedens in Galilæa filiis ambobus Iacobo & Ioanni hæreditatem reliquit. Ioannes igitur partem ſuam, quæ ex hæreditate ei ceſſerat Caiphæ eius anni Pontifici vendiderat. Quapropter per venditionis eius addictionem notus quoque ei erat. Arrige aures Pamphage! Sicuti ipſe in Euangelio ſuo dicit. Hæc ille. Audis vnde notus fuerit Pontifici genero, & ſocero, Caiphæ & Annæ, D. Ioannes Euangeliſta, vt ipſe in ſuo fatetur Euangelio: Qui hac de re plura deſiderat, Cyrillum in Ioannem, ac Euthymium etiam in eundem conſulat. Exiſtimant hi duo auctores Græci & probatæ notæ, Ioannem Euãgeliſtam fuiſſe diſcipulum illum, cuius nomen reticetur. Ab illis ergo colomnis ne nos auelli ſinamus.

Nicephorus. *Cyrillus in Ioannem & Euthy.*

Hominis iſtius, &c. non dicit ſeductoris, ſed hominis tanquam misereretur, ait D. Chryſoſtomus. Quare ergo, Petre, negas? Sampſon fortiſſimus qui tot Philiſtæos vicerat, per Dalilam fœminam vincitur, & ab eo omnis aufertur fortitudo. Oſtiariæ vnius perculſus verbo Petrus, Chriſtum ore negauit, Dicens: *Non ſum.*

D. Chry.

Interrogauit Ieſum de diſcipulis & de doctrina, &c. De Diſcipulis tacuit, nõ habens quid boni de illis diceret. Longè verò melius tacere de abſentibus, quàm malè loqui, ſint licet reprehẽſibiles. Vnde illud Leuit. 19. *Non maledicis ſurdo.* Surdus autem dicitur etiam ille qui non audit, vtpote abſens: Pſal. *Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar.* Poſſidonius de vita D. Auguſtini tom. 1. operum eiuſdem Auguſt. Contra peſtilentiam humanæ conſuetudinis in menſa ita ſcriptum habebat.

Leuit. 19 *Poſſidonius.*

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Quoſdam ſuos familiariſſimos coëpiſcopos illius ſcripturæ oblitos & contra eam obloquentes tã aſperè reprehendit vt diceret: Aut delendos eſſe illos de menſa verſus, aut ſe media refectione ad ſuum cubiculum ſurrecturum. Quod nos qui interfuimus, experti ſumus. Sic ibi. De doctrina interrrogatus: Reſpondit dicens, *Interroga eos, &c.*

Chryſo

Chryſoſtomus in Ioannem: Veritatis, ait, maximum argumentum eſt, cùm quis inimicos in teſtimonium adducit. Non dicit: Tu audiſti ſermones meos, cum taxás accediæ, quòd publicam doctrinã non audiſſet, cuius intererat proſpicere quid doceretur. Magnates rarò audiunt verbũ Dei ſeu conciones ſacras. Ad Regem Niniuæ poſtremò peruenit verbum Ionæ Prophetæ. Magiſtratus rarò conueniunt ad audienda ſacra. *Dedit alapam Ieſu, &c.* Id præſignificatũ ac præfiguratum eſt. 3. Reg. 22. in eo quòd verus Dei Propheta Micheas in maxilla percuſſus eſt, ob veritatis teſtimonium, Exhorreſcat cœlum, exclamat hìc D. Chryſoſtomus, & contremiſcat terra de Chriſti patientia, & ſerui impudentia. Sic ille. Si areſactum eſt brachium eius qui percutere voluit Prophetam, vt ſupra protulimus, quid de Malcho iſto ingratiſſimo exiſtimandum, quanto dignus ſit ſupplicio, qui Chriſto colaphum impegerit? Scribit Lactantius li. 4. c. 18. ex Sybilla. Δώσουσι δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις, hoc eſt, vt D. Auguſt. to. 5. lib. 18. de ciuitate Dei c. 23. tranſtulit: Dabunt Deo alapas manibus incæſtis. Hæc ibi ex Erythręa. D. Ephrem Sermone de paſſione Domini apud Surium to. 7. Martij 25. Serui omnes, inquit, cum liberi efficiuntur, accipiunt alapam vt mortali libertate potiantur: At ipſe, ô infœlix, cùm ſit omnium liberator, iniuſtè alapa cæditur. Quod autem dicit præfatus auctor, ſeruos accipere vt manumittantur & liberi efficiantur, alapam: Inde probatur quod lege vltima Cod. de emancipationibus liberorum, ſcribit Iuſtinianus: in emãcipationibus iniurioſa rapiſmata quõdam dari ſolita, quę ipſa aboleuerit. Paulus Act. 23. alapa percuſſus legitur. Impleta eſt Prophetia Iſaiæ 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus faciem meã non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me.*

Chryſo. *3. Re. 22.* *Idem.* *Lactantius & D. Aug.* *Ephrem.* *Lex.* *Act. 22.* *Iſaia 50.*

Si autem bene, Quid me cædis? &c. Cùm ſub iudice lis ſit, Nec priùs feriendũ ſit, quàm ſententia decreta ſit. Nec aliquis indicta cauſa damnari debeat, atque cũ apud iudices tuta eſſe debeat innocẽtia, *Quid me cædis?* ait Chriſtus. Hîc taxat ſocordiam iudicis qui coram ſe iſtum oppreſſorẽ iudicij patienter ferat. Narrat Plutarchus to. 1. Opuſcul. in Apotphteg. Græcorum, Quòd Phocio, cùm ad mortem duceretur, inimicorum quidam ei obuiam factus in faciem expuit: Tum ad magiſtratum reſpiciens Phocio, Nemóne inquit, compeſcet hunc contra decorum agentem?

Plutarc.

Si autem bene quid me cædis? Sic & Ioan. 10. *Multa bona opera*

Ioan. 10.

opera ostendi vobis ex patre meo propter quod eorum me vultis
Miche.6. *lapidare?* Sic Michee 6. *Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruientium liberaui te, & misi ante faciem tuam Moysem & Aaron & Mariam, Quid me cædis?*

In domo Caiphæ principis Sacerdotum.

Iterum & tertiò negat Petrus. Interim tamen minimè putandum est quod idem ipse corde senserit, quod ore Beauxamis. profitebatur, ait Beauxamis ad hunc locum. Lingua iurata, sed animus iniuratus erat, vt vulgò dicitur. Siquidem Luc. 22. Christus Luc.22.se rogasse testatus est, vt non deficeret fi- Prudentius Poëta. des eius. Hinc Prudentius Poëta Christianus & peruetustus auctor, libro Cathimerinôn. Hymno ad Galli cantum, de Petro sic cecinit.

Fleuit negator denique
Ex ore prolapsum nefas,
Cùm mens maneret innocens,
Animúsque seruaret fidem.

Iudicũ 12. *Loquela tua manifestum te facit, &c.* Iudicum 12. præclara extat Historia, quòd quadraginta duo milia de Ephraim occisa fuerint quia non rectè pronuntiarent Schibooleth, cum stridore illius litteræ ש schim, at mollius veluti Zib- Gen. 27. boleth ex loquela nimirum deprehendebantur. Genes. 27. Apulei⁹. *Vox quidem, vox Iacob est, &c.* Apuleius lib.1. Floridorum: Socrates, inquit, cùm decorum adolescentem, & diutulè tacentẽ conspicatus esset, Vt te videam, aliquid eloquere ait, scilicet Socrates tacentem hominem non videbat. Siquidem teste Christo: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Cicero. Cicero Tusculanarum Quęstionum tom. 5. Socrates dicebat: Qualis homo esset talem eius esse orationem, orationi autem facta similia, factis vitam. *Homo de bono thesauro cordis profert bona, &c. Et qui de terra est de terra loquitur*, in Stobæus. Euangelio Stobæus similiter Sermo.3. de prudẽtia: Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται: Qualis sit vnusquisque sermone Maxim⁹ indicat. Et Maximus serm. 15. de doctrina & sermone Demosthenis, aliâs Democriti, illud citat: Vt in speculis vultus figura, sic in colloquiis animi character cernitur. Et Romuli illud: Fictile sono & percussu, hominem sermone explorandum esse. Vulgatum est adagium, Qualis vir talis Erasmus oratio, in Chiliadibus Erasmi paulò supra ex Socrate.

D. Aug. *Conuersus Dominus respexit Petrum.* D. Augustinus sentit Christũ non corporalibus, sed spiritualibus oculis Petrum respexisse,

respexisse, quia tum intus esset Iesus, Petrus verò foris. Et nos cum regio Vate precemur, *Respice in me & miserere mei.* Antequam Galli cantum aduerteret Petrus, ter Christum negauit. Quid autem significet Galli cantus superiùs commemorato hymno explicat Prudentius. *Prudentius.*

Fit namque peccator prius
Quàm praeco lucis proxima
Illustret humanum genus,
Finémque peccandi ferat.

Significat ergo illustratorem cordium, id est, Christum, quod idem initio eiusdem hymni praesignauit.

Ales diei nuncius
Lucem propinquam praecinit
Nos excitator mentium
Iam Christus ad vitam vocat.

Et de eodem Petro subdidit:

Nec tale quicquam postea
Lingua locutus lubrica est.
Cantúque Galli recognito,
Peccare iustus destitit. Sic ille vates Christianus.

Dicunt aliqui, Petrum à caetero non requieuisse à Galli cantu ad proximam lucem, sed planxisse, suspirasse, & in oratione perseuerasse.

Falsi testes contra Christum. Sic aduersus Naboth. 3. Reg. 21. & aduersus Susannam, Daniël 13. Contra Stephanum Act. 6. Impletúrque illud Psalmographi: *Insurrexerunt in me testes iniqui & mentita est iniquitas sibi.* Prouerb. 6. *Testem fallacem odit Dominus.* & c. 19. *testis falsus* iterum. ca. 21. *Testis mendax peribit, nec manebit impunitus.* Scribit A. Gellius lib. 20. cap. 1. ex 12. tabulis, de testimoniis falsis. Qui conuictus esset de falso testimonio, è saxo Tarpeio deiiceretur. Si non haec poena aboleuisset, non tam multi mentirentur, quàm videmus. Haec ibi. Et Suidas in dictione, τενέδιος ἄνθρωπος, Tenes, inquit, in Tenedo legem tulit, & constituit, vt falsò accusantibus à tergo astaret carnifex sublata securi. vt conuicti confestim occiderentur. At nunc falsorum testium magnus est numerus: Exod. 20. *Non feres contra proximum tuum falsum testimonium.* *3. Reg. 21. Daniël. 13. Act. 6. Proue. 6. & 19. & 21. Aul. Gellius. Suidas. Exo. 20.*

Possum destruere templum Dei &c. Mentiuntur isti. Non enim ait Christus, *Destruam, sed Soluite templum hoc* Ioan. 2. id est, soluetis, & me interficietis: Nec dixit, *Reaedificabo,* hoc enim magis ad materiale templum refertur sed ait, *Ioan. 2.*

Excitabo, quod etiam ad Resurrectionis mysterium accommodatur Non de templo Salomonis manufacto, sed de corpore suo intellexisse explicat S. Euangelista. Ergo vt summatim complectar in tribus apparet eorum falsitas: Mutatione verborum, additione, atque sensus inuersione. *Dicebat enim de templo corporis sui.*

Non respondes quicquam? Sic Ioseph coram Phutiphare
Gen. 39. accusatus, tacuit: Genes. 39. Siquidem aperta mendacia non sunt responsione digna.

Adiuratur à Pontifice Christus, & ob diuini nominis reuerentiam, adiuratus respondit, &c. Ne scilicet videretur contemnere Magistratum, cui, quamuis improbo, honos de-
Rom. 13. ferendus est. Rom. 13. Ne item Dei nomen spernere videretur quod vbique honorandum est: Atque vt Iudæis auferret occasionem excusationis quod non crederent, quasi interrogarint, & nō sit eis responsum. Vt denique Iudæis terrorem incutiat, cùm tandem sit illos iudicaturus in maiestate summa. Et aduerte quod ad interrogata Pontificis, *Tu es Christus filius Dei benedicti?* D. Marco ca. 14. referente) respondit: *Ego sum, Et videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem cum nubibus cœli.* Sic D. Marcus. Obseruat autem Petrus Venerabilis libro Epistolarum secundo Epistola prima, Christi deitatem in Euangeliis ex claro eiusdem testimonio comprobari, quod Christus adiuratus per Deum, vt diceret si ipse esset Christus filius Dei iuxta duos Euangelistas Matthæum & Lucam non negauerit: Iuxta Marcum apertè se Christum & filium Dei responderit, dicens: *Ego sum.* Ecce apertè & sine tegmine Respondet, *Ego sum.* Qui ergo se Christum & Dei esse filium respondit: vtique simul & Deum se professus est. Non enim potuit se confiteri Christum, aut Dei filiū, quin confiteretur & Deū. Ecce habes (inter alia quamplurima ex Euāgelio testimonia) vbi se Christus Dei filiū,
Leui. 21. & maximè Deum nominat. Sic Petrus Cluniacēsis Abbas.

Pontifex scidit vestimenta sua, &c. Hoc erat lege vetitum
Leui. 24. Leuit. 21. *Sacerdos summus vestimenta sua non scindet. Blas-*
4. Reg. *phemauit*, inquiunt, *Reus est mortis*, pronuntiant statim &
19. exclamant vniuersi: Quia Leuit. 24. lapidandus est blas-
Daniël. phemus 4. Reg. 19. propter blasphemiam Rabsacis periit
3. exercitus Sennacheribi. Daniël. 3. Edictum à Nabuchodo-
1. Tim. 1. nosore decretum in blasphemos 1. Timoth. 1. *Quos tradidi*
Lex. *Sathanæ vt discant non blasphemare.* In Authenticis col. 6.

Constit.

Constit.77.vt ne blasphemetur in Deum: Præcipimus, ait Iustinianus,tales,vltimis subdere suppliciis. Eo prætextu lapidati sunt Naboth & Stephanus in vtroque Testamento,Conatique sunt hoc nomine Iudæi Christum lapidare. Ioan.10. *De blasphemia,* inquiunt, *quia tu homo cum sis facis teipsum Deum.* & D.Gregorius li.4.Dialogorum c.18.narrat quòd puer quinquennis maiestatem Dei blasphemare assuetus, in sinu patris existens malignos spiritus vidit, & clamauit : Obsta pater Mauri homines tollere me volunt atque tunc Deum blasphemauit. Et quia pater eum non correxit,ideò traditus est Dæmonibus vt culpam pater agnosceret.Sic ille.Memini cõtra blasphemos me in superioribus etiã disseruisse.Quare ad sequentia pergendum. *Ioan.10.* *D.Greg.*

Expuerunt in faciem eius,&c. In signum contemptus.Impletúrque illud Iob 30. *Abominantur me , & faciem meam conspuere non verentur.* Iterum alibi: *Non pepercerunt in faciẽ meã spuere.* Scribit Petrus Comestor in Historia scholastica,Exod.32.Quòd Hur,quia restituit populo ne faceret idolum, nempe vitulum cõflatilem,in absentia Mosis, indignatus populus spuens in faciẽ eius,sputis eum suffocauit, licèt Scriptura non meminerit.Typum gessit hac in re nostri redẽptoris, qui sputis Iudæorũ deformatus fuit. *Iob. 30.* *Comestor. Exod.3.*

Velauerunt faciem eius , &c. Quid facies Mosis velata, præsignabat , nisi velandam à Iudæis Christi in passione faciem? cum non essent digni eum aspicere: Et adhuc velamen , vt scribit Apostolus , *positum est super corda eorum.*

In prætorio Pilati.

Ligatum eum tradiderunt Præsidi,&c. Sicut Iudic.16.Sãpson proposita pecunia à Dalila allophyllis seu aliegenis, nempe Philistæis traditur atque ligatur:Sic Christus à Iuda proditore pecunia venditus Iudæis, ab illis, gentibus, vt crucifigatur, ligatus traditur.D.Hieronymus in Matt. obseruat,habuisse hunc morem Iudæos, vt quem adiudicassent morti,ligatum iudici traderent. Præcessit quoque huius rei figura in Achior.de quo Iudith.6.Quoniam ille dixerat,quod gens Israël defendebatur à Deo suo,ligatus est ad arborem manibus & pedibus ab Holoferne. *Iudic.16.* *D. Hier.* *Iudit.6.*

Videns Iudas quòd damnatus esset, pœnitentia ductus retulit argenteos, dicens: Peccaui, &c. Libet paulò diutius hìc immorari,ac inquirere in quo deficiat & manca sit Iudę proditoris pœnitentia?Elucent siquidem tuæ pœnitentię partes. Considerat enim in amaritudine animæ suæ (quæ est

ratio contritionis) quis sit finis iniquitatis suæ, nempe damnatio. Videns quòd damnatus esset, ait Euangelista, proprio conscientiæ iudicio & testimonio conuictus & condemnatus veluti de quibusdam scribit Apostolus. *appendit ille veluti in statera peccatum:* Dicens, *Peccaui.* Deinde confitetur ore grauitatem sui delicti, *tradens*, inquit, *sanguinem iustum*, se Domini sui proditorem apertè pronuncians. Tertiò satisfacit, malè parta referens. Ita Zachæus Luc. 19. Sic iste triginta retulit argenteos. Vnde ergo inutilis fuit Iudæ pœnitentia? Respondeo: Insufficientem de Iesu edidisse confessionem, cùm tamen Rom. 10. *Ore confessio fiat ad salutem.* Non enim protestatus est se Christum credidisse esse Deum. Non ait, Tradidi Dominum meum & Deum meum: sed tantùm, *Tradens sanguinem iustum.* Disertis verbis Petrus Christum Dei filium professus est Matth. 16. Disertè quoque post resurrectionem Thomas Ioan. 20. confitetur & exclamat, *Dominus meus, & Deus meus:* Iudas autem, vt asserit Magnus ille Leo sermone primo de Passione Domini, Iesum nō Deum Dei filium, sed nostræ tantummodo conditionis hominem, inter extremum mortis suæ periculū credidit: Cuius flexisses, ô Iuda, misericordiam, si eius non negasses omnipotentiam. Si ad eam pœnitentiam confugisses, quæ te reuocaret ad Christum, non quæ instigaret ad laqueum. Dicendo enim *Peccaui tradens sanguinem iustum*, in impietatis tuæ perfidia perstitisti. Hactenus Leo. Defecit etiam Iudas in spe. Desperauit etenim de venia, vt Cain: Gen. 4. *Maior est iniquitas mea*, inquit, *quàm vt veniam merear.* Mentiris Cain. Nam maior est Dei misericordia quàm possit esse iniquitas nostra. Quandoquidē illa est immensa & infinita, *Cuius misericordia non est numerus*, ait diuinus vates: Sed iniquitates nostræ sunt finitæ, cùm à creatura proficiscantur. D. Hieronymus in Psal. 108. Magis, inquit, ex hoc offendit Deum quia se suspendit, quàm quòd Dominum prodidit. Figuratur in Achitophel 2. Reg. 17. qui defecerat à Dauide, & perduelli ac parricidę Absaloni adhæserat, qui suspendio tandem interiit. Iudas Christo deserto Iudæis se coniunxit offerens seipsum ducem exercitus aduersus Dominum suum. Nam Act. 1. scribitur, *Factus est dux eorum qui comprehenderunt Iesum.* Iudas 30. maledictiones incurrit, pro 30. argenteis. De quibus maledictionibus fusè tractatur Psal. 108. qui incipit, *Deus laudem*

Luc. 19. *Mat. 16.* *Ioan. 20.* *D. Leo.* *Gene. 4.* *D. Hier.* *2. Reg. 17.* *Psal. 108.*

meam ne tacueris. Ibi dicitur: *Et Diabolus stet à dextris eius:* Iterum, *Episcopatum eius accipiat alter.* Quòd Iudæ Apostatæ accommodatur. Act.1. Qui abiit in locum suum, Diabolus scilicet cùm Diabolis: Et suspensus crepuit medius, & qui nulla habuit misericordiæ viscera: diffusa sunt omnia viscera eius. Ibidem. Commẽtarij Græci in Acta Apostolorum, cap.1. Confracto funiculo quo præfocatus erat Iudas ita præcipitio in terrã decidit ac crepuit. Et quidem suspendio è vita non discessit, sed superuixit. Deiectus est enim prius quàm præfocaretur. Idque Apostolorum Acta indicant, quòd pronus crepuit medius, Græcè πρηνὴς, hoc est, præcipitatus. Simile quid 2. Paral. 25. legitur, decẽ millia virorum Seir, seu ex Idumæis ab Amasia capta fuisse, & adduxerunt ad prærupṫum cuiusdam petræ, præcipitauerúntque eos de summo in præceps, qui vniuersi crepuerunt. Subiungit Oecumenius, dicens: Hoc autem planiùs scripsit Papias Ioannis Apostoli Discipulus, dicens. Ad magnum impietatis exemplum in hoc mũdo permansit Iudas. In tantum enim corpore inflatus, vt progredi non posset, cum currus leui cursu pertransiret, curru compressus est, ita vt effunderetur eius intestina. Hactenus ex Oecumenio. Quòd autem dicitur: *Videns autem Iudas, quòd damnatus esset,* Nempe Iesus in domo Pontificis, seu in consistorio sacerdotum & scribarum retulit triginta argenteos: existimat Sedulius Poëta lib.5. Carminum, ante sententiam Pilati id contigisse. Sic enim ipse cecinit.

Acto.1.

Commẽtarij Græci ab Oecumenio collecti.

2. Paral. 25.

Sedulius Poëta.

Mox igitur Dominum Pilati ad mœnia duci
Nexibus astrictum Iudas vt vidit iniquus,
Diriguit, scelerisque sui commercia reddens
Incassum facti pretium, non facta reliquit.

Hæc ille.

Quam accusationem &c. Supra diximus, Neminem indicta causa vel absentem vel non auditum in suis iustificationibus, esse lege diuina & ciuili damnandum. Ioan.7. & Act.2. *Non est cosuetudo Romanis donare aliquem hominem,* Supple, ad pœnam priusquam locum defendendi accipiat.

Quid fecisti? D. Antoninus cap. 6. de Christo ante Pilatum constituto titul. 5. §.5. sic hæc tractat: Quando Pilatus interrogauit eum, *Quid fecisti?* poterat respondere Iesus: Quæ ego feci in populo isto, ista sunt: Eduxi patrem eorum Abraham de Vr Chaldæorum, ego protector eius, & Isaac & Iacob fui, vbicunque ambulaue-

D. Anto.

runt: Ego Ioseph in Ægyptum præmisi ad substentandum eos tempore famis, in Ægypto quasi Dominum constituendo: Ego populum istum de dura seruitute Pharaonis eduxi, flagellatis multipliciter Ægyptiis, & demum in mari submersis: Ego populum istum vt peculiarem elegi ex cunctis nationibus, dando eis legem meam: Ego quadraginta annis Manna per desertum cibaui: Ego in terram promissionis eos adduxi, expugnatis habitatoribus terræ illius, &c. Demum ego ex eis carnem assumens inter eos humiliter conuersatus sum: Ego omnibus beneficia contuli, innumeras sanitates perficiens, cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, loquelam mutis, munditiam leprosis, vitam mortuis restitui, peccatoribus donaui indulgentiam, mœstis lætitiam, plurimis gratiam, ignorantibus sapientiæ doctrinam. Hæc sunt Pilate, quæ feci, de quibus possunt me accusare, si digna sunt ista. Sic ille ibidem.

Quid est veritas? &c. Qualis iudex, qui quærit & nescit. *Ioan.14.* Quid est veritas? Ipsa veritas coram te est Pilate. Ioan. 14. & eam non agnoscis? Responsum Christi non expectauit. *Laërti⁹.* Eiusmodi enim iudices oderunt veritatem. Scribit Laërtius lib.1. de Vita Philosophorum in Biante, Impio quærēti, quid est pietas? Nihil respondit: & silentij causam sciscitanti dixit: Quia de rebus nihil ad te pertinentibus quæris. Sic Pilatus contra veritatem pugnabat, & quid esset veritas inquirebat. Sed Iesus responsum non dedit ei. Sic in libris Regum: Quid tibi & paci?

Incipiens à Galilæa vsque huc, &c. Galilæi sæpè reperti *Luc.13.* sunt seditiosi, quales illi Luc. 13. Quorum miscuit sanguinem sacrificiis Pilatus, ac Iudas Galilęus Act. 5. Quasi dicat: Cogita omninò hunc talem esse, ideóque è medio tollendum esse.

Misit ad Herodem *&c.* Quia ex lege Romanorum (vt ait *Decretum.* Theophylactus) vnusquisque à principe regionis suę iudicandus est decima tertia, quæstione 1. Ca. Ecclesias singu- *Deu.23.* las §, iterũ pręcepit Dominus per Moysem Deut.23. Vt nemo mittat falcem in messem alienã. Ideo mittitur Galilęus ad Tetrarcham Galilęę. Sed quare non absoluit innoxium *Eccl.7.* iudex, cognita eius innocentia? *Excusationem non habet de peccato* Ecclesiastici 7. *Noli quærere fieri iudex, &c.*

Apud Herodem.

Herodes viso Iesu gauisus est, &c. Cupidus erat eius vidēdi, non eo affectu quo Sancti patres, sed curiositate potius:

Cupie

Cupiebat aliquod videre signũ, satiandæ cupiditatis gratia, præstigiis hoc imputans, nõ doctrinæ confirmãdæ gratia, quę signa & Iudęi Beelzebub tribuebãt Luc. 11. Mat. 12.

Stabant principes constanter accusantes illum &c. Constantia hęc seu potiùs pertinacia figurata fuit in Iamne & Mãbre obsistentibus veritati ac Moysi, coram Pharaone. 2. Timoth. 3. & Babyloniis exurgentibus in Danielẽ coram Dario Dan. 14. *2. Tim. 3.*

Illusit indutum veste alba &c. Deridetur iusti simplicitas Iob. 12. Derisit Iesum Herodes vt fatuum & vecordem: Sic coram Rege Geth, ridetur Dauid, stultúsque reputatur. *Dan. 14.* *Iob. 12.*

Spreuit eum cum exercitu suo. Prouerb. 29. *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Vide qualis fuerit aula Herodis! Finem eius describit Iosephus libro 18. Antiquitatum cap. 9. Caius Imperator Herodem perpetuo damnauit exilio, apud Lugdunum vrbem Galliæ cum Herodiade. Atq; hęc fuit vindicta quàm Deus intulit. Et, vt semel de Pilato etiam dicamus. Narrat Eusebius lib. 2. Hist. Eccle. c. 7. ex Ruffini versione, quòd etiam Cedrenus in Historiarum compendio, atque Nicephorus lib. 2. ca. 10. consimiliter referunt, quòd Pilatus propria se manu transuerberans, nefariam vitam vi abiecisse refertur. Hactenus illi. *Pro. 29.* *Ioseph⁹.* *Eusebius* *Cedren⁹* *& Nicephorus.*

Apud Pilatum. 2.

Cùm accusaretur nihil respondit adeò vt miraretur præses vehementer &c. Psalmo 37. *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum, & non habens in ore suo redargutiones.* Isaiæ. 53. *Quasi agnus coram tondente se obtumescet, & non operiet os suum, &c.* *Psal 37.* *Isa. 53.*

Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam &c. Puto propter memoriam liberationis ex Aegypto, vel certè ob liberationem Ionathæ. 1. Reg. 14. Proponit igitur optionẽ populo eripiendi aut Christum aut Barrabam, qui duorum capitalium criminum reus erat, seditionis nimirum ac homicidij. Proinde impium erat illum eripere. Hunc Christo confert Pilatus, vt saltem collatione cum nefandissimo homine facta innocens appareat, & coacti illum eripiant. *1. Reg. 14*

Non hunc sed Barrabam, &c. Rem omnino impiam postulant, homicidam contra leges eripi, sed & seditiosum ac latronem libertate donari. Innocẽtem etiam damnari, & quòd omne scelus superat, Benefactorem omnium morte adiudicari, atque Dei filium ad eos missum, ac Mes-

ſyam in lege promiſſum, tam indignis modis tractare. Quid quæſo aliud eſt quàm dicere: Occidatur, qui viuificat mortuos, & dimittatur latro, vt occidat iterum viuos?

Acto.3. Hinc Act.3. illis exprobrat Apoſtolorum princeps: *Petiiſtis*

Exo. 32. *virum homicidã donari vobis, authorem verò vitæ interfeciſtis:* Sic patres eorum Exod.32. vitulum aureum Deo vero prætulerunt, ac filij Belial Deo quem coluerunt Patres eorum Baal idolum præpoſuerunt.

Iob.2. *Apprehendit Pilatus Ieſum & flagellauit.* Ioan. 18. Iob. 2.

Pſal. 37. *Sathan percuſſit eum vlcere peſſimo* Pſal.37. *Ego in flagella paratus ſum.* Et alibi. *Supra deorſum meum fabricauerunt peccatores.* Igitur, quia Pſal. 31. *multa flagella peccatoris*, Chriſtus qui pro illis pœnas luit, flagellatur. Supra Chriſti dorſum Adam inobedientiam ſuam, Eua cibi vetiti comeſtionem, Loth inceſtum ſuum, Moſes & Aaron incredulitatem ſuã, Dauid homicidium & adulterium, Salomon idololatriam, & denique vniuerſa Synagoga rebellionem ſuam atque peruicaciam depoſuerunt & proiecerunt. Flagellauit autẽ, Quia Romanis cautum erat, vt qui crucifigeretur, prius flagellaretur, ait D. Hieronymus in Matth.

D.Hier. *Plectentes coronam de ſpinis, &c.* Præfiguratur Geneſ.22.

Gen.22. in ariete vepribus hærente. En terra ingrata Geneſ. 3. ſpinas & tribulos germinauit ſuo cultori. In huius recordationem hodie coronam geſtant ſacerdotes, vt ſcribit S.

S.Germ. Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus Rerum

Conſtãt. Eccleſiaſticarum Theoria: Tonſura, inquit, capitis ſacerdotis vice coronæ eſt ſpinæ. D. Petrus miſſus ad prædicãdum, attonſus eſt à non credentibus vt illuderetur. Sed Chriſtus infamiam in honorem conuertit. Subſcribit Ve-

Beda. nerabilis Beda Hiſto. Angelorum lib. 5. cap. 22. Nos paſſionis Domini ſignum in vertice geſtamus. Neque ob id tantùm in coronam attondemur, quia Petrus ita attõſus eſt: Sed quia Petrus in memoriam Dominicæ paſſionis ita attonſus fuit: Et nos qui per eandem paſſionem ſaluari deſideramus, ipſius paſſionis ſignum cùm illo in vertice geſtamus. Pudeat ſub ſpinato capite, Exclamat alicubi D.

D.Bern. Bernardus, membra eſſe delicatiora.

Poſuit arundinem in dextera eius, &c. Loco ſceptri, quod Reges dextera gerere ſolent, vt inane illius regnum doceant, ſicut & inanis & fragilis, omnique vento obnoxia

Matt.11. eſt arundo, Matt.11. *Arundinem vento agitatam?*

Veſte purpurea atque lacera eum illuſorie induerunt. Sic imple

impleretur figura, Zach. 3. Iesus pontifex indutus erat vestibus sordidis.

Exiuit portans spineam coronam & purpureum vestimentũ. Hoc sanè est illud spectaculum ad quod Salomon inuitabat: Cant. 3. *Filiæ Hierusalem*, id est animæ fideles *egredimini per deuotam contemplationem, & videte*, oculo mentis, *Regem Salomonem*, hoc est Christum æternam Dei sapientiam, *in diademate quo coronauit eum mater sua*, impia Synagoga, *cui vt filius sub lege factus* Gal. 4. se addixerat, *in die desponsationis suæ*, id est mortis, per quam Ecclesiam suo sanguine redemptam sibi in sponsam asciuit. Ait enim: *Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me*, Ioan. 12. Cant. 3. Ioan. 12.

Ecce homo, &c. Ille homo qui dicitur Iesus Ioannis 9. *Hic homo multa signa facit*, capite 11. *Vnus homo moriatur pro populo*, ibidem, filius hominis frequentissimè dictus in Euangelio. Iterum, *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos*. Verè homo, id est, humanus, imò ipsa humanitas, siue vt significantius Græcè dicitur ἡ φιλανθρωπία, erga homines beneuolentia ac singularis amor, & vt Diuus Ignatius dicere solitus erat, ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, Amor meus Iesus crucifixus est, vt aliàs citauimus. Ecce homo non bellua: Caro enim & frater vester est, Quid in eum tam rabidè feroscitis? Omne animal diligit simile sibi: Ecce homo vobis similis: humanitatem ergo exuisse videmini, qui huius non miseremini. Corda humana si vobis sunt, agedum homines vos ostendite: Satiamini sanguine fuso, siquid humanitatis in vobis est: Compassione saltem commoueamini. *Ecce homo.* Ioan. 9. Cap. 10. D. Ignatius.

Accipite eum vos & crucifigite, &c. Non iubentis aut permittentis sunt hæc, sed sese à iudicio, & proferenda iniusta sententia eximentis.

Nos legem habemus, &c. Sed contra legem insontem interficitis, Exod. 23. Nihil mirum si quis hæreticorum contra Christum & Ecclesiã sacras scripturas allegare videatur: Cum & hìc idem in Christum, sed impiè, Iudæi fecerint, & ante eos Diabolus tentans eum, Matth. 4. dixerit: *Scriptum est. Angelis suis, &c.* Exo. 23. Matt. 4.

Vnde es tu? &c. Non quòd patriam quæreret, quam priùs Galilæam esse audierat, sed generationem & patrẽ, scilicet an aliquis ex Diis gentium esset? Errore nempe gẽtili inductus. Sic & Act. 14. Lycaonij de Paulo & Barnaba dixerunt: *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos:* Et Act. 14.

vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercuriũ, quoniam ipse esset dux verbi. Timet ergo Pilatus ne & iste licet in forma hominis, verè filius Dei sit. Re vera Christus filius Dei erat, non Iouis aut alterius falsi Dei, vt pluralitatem falsorum Deorũ posuerunt Ethnici: sed quia à patre diuino ab æterno genitus, *& propter nos homines ac nostrã salutẽ descẽdit de cœlis, Et homo fact⁹ est. Hoc nesciuit Pilatus.*

Responsum non dedit ei, &c. Tum quòd eo indignus esset,
Matt. 7. nec mitti debeant margaritæ ante porcos, Matth. 7. Et ne propriam gloriam quærere videretur, Nec capax esset Pilatus tantorum m[y]steriorum.

Alciat. Iurisc. *Sedit pro tribunali, &c.* Memini apud Alciatum Iurisconsultum quandoque legisse Emblema quoddam in Senatũ boni Principis, in hunc modum:

Cur resident? *Quia mente graues decet esse quieta*
Iuridicos, animo nec variare leui.

Ergo Iudices sedent, quòd animus eorum debeat esse optimè compositus, nec hinc atque hinc flecti, quod est leuitatis. Sedendo etenim & quiescendo fit anima prudẽs
Philosophus. ait Philosophus. Habetur in sexto Decretalium, De sentẽtia & re iudicata, Sententia quam à Iudice stando, non se-
Decret. dendo proferri cõtingit, nullius penitus est momẽti. Nar-
A. Gellius. rat A. Gellius libro septimo, capite primo de Scipione Africano, cùm oppugnaret oppidum in Hispania, Quodam die ius in castris sedens dicebat, atque ex eo loco id oppi-
Plinij. Epist. dum procul videbatur. Sic ille. Et Plinius secundus, Epistolarum libro quinto Epistola vltima: Sedebant iudices, Cẽtumuiri venerant, &c. Non semel in Pandectis legitur, Iudicem pro tribunali sedere. Confestim, inquit lex, pro tribunali te sedentem adiit.

Lauit manus suas, dicens: *Innocens ego sum, &c.* Mos lauãdi manus ad puritatem designandam Gentilibus etiam olim communis fuit, & Iudæis ipsis, ex hoc Psalmus vigesimusquintus. *Lauabo inter innocentes manus meas, &c.* edoctis. Dixisset veri⁹, Lauabo interim nocẽtes manus meas, iudex iniquus Pilatus. Manuum abluendarum gestus, olim fuit innocentiæ quædam aperta demonstratio. Cùm enim quis se insontem & immunem à crimine aliquo vellet indicare, sed nec vllum in eo admittendo consensum præbuisse, præsentibus quibusdam manus abluebat, vt ex ea manuum mundicitia, puritatem animi declararet. Idem est intellectum à peruerso nostri Redemptoris iudice

iudice Pilato, cum accepta aqua manus abluit innocētiam professus, crimenque in Iudæos reiiciens.

Sanguis eius super nos, &c. Hoc est, quod Christus prædixit: Matth.23. *Veniet super vos omnis sanguis iustus:* Nos contrà, piè dicamus: *Sanguis eius super nos.* Col.1. *Pacificans per sanguinem crucis, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Apoc. 5. Redemisti nos Domine in sanguine tuo. Hebr.9. Sine sanguinis effusione non fit remissio. Zachar.9. Tu in sanguine Testamenti eduxisti vinctos, &c. 1. Corinth.6. Empti estis pretio magno.* *Matt.23* *Coll.1.* *Hebræ.9* *Zacha.9* *1. Cor.6.*

Erat hora quasi sexta, &c. Homo sexto die conditus, sexta hora, seu meridiei peccauit, eadem quoque die, nempe, Veneris sancta & hora, Christus pro hominis reparatione morti adiudicatus, & cruci suffixus fuit.

Iesum flagellis cæsum tradidit voluntati eorum, &c. En duo flagitia: Absoluit enim sicarium, & condemnat innocentem. Nec ratio & æquitas, sed petitio importuna maleuolorum Iudæorum præualuit apud iniquum iudicem.

Vxor Pilati misit ad eum cùm sederet pro tribunali: Nihil tibi & iusto illi, &c. Hìc exclamat Theophylactus Magnum miraculum! Eum qui iudicabatur à Pilato, vxorē eius exterruisse. Sunt autē qui dicant Dæmonē per mulierem impedire voluisse Christi passionem ac mundi redemptionem. *Theophylactus.*

Baiulans sibi crucem, &c. Nota quòd priùs purpura fuerit exutus, indutúsque propriis vestimentis, quatenus scilicet omnibus notior fieret & contemptior, & vt ipsa cederent in partem militum qui, vt infra dicetur, *partiti sunt vestimenta eius, &c.* atque vt Iudæus natione agnosceretur non Gentilis, hinc in ipsos Iudæos omne scelus redundaret: & vt vestes eius suo cruore tingerentur. Vt autem turba, quæ ad locum supplicij accederet, sciret ipsum crucifigendum esse, ipsemet crucem baiulauit. Impleturque illud. Isaiæ 9. *Factus est principatus super humerum eius, &c. cap 22. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius, aperiet, & non erit qui claudet, &c. Apocal 3. Hæc dicit, qui habet clauem Dauid, &c.* per quam crux intelligitur, qua cœli sunt tanquam claue reserati. *Genes.22.* Isaac ferebat ligna holocausti, &c. *Isaye 9.* *& c. 22.* *Gene.22*

Angariauerunt Symonem Cyrenæum, &c Timebant enim ne Christus sub onere, iam tormentis fractus, & nocte tota insomni ducta deficeret: & proinde si non viuus ad montem Caluarię perueniret, crucis ignominiam non perciperet. Nec enim hæc compassionis affectu, faciebāt, à misericordia omnino alieni, sed vt Iesum ad maiores reseruarēt

cruciatus.

cruciatus. Gentilem è Cyrene cogũt, quod indignum censerent, si Iudæus hoc lignum tormenti genus ac supplicij teterrimi contingeret. Latẽter verò indicatur Gentiles reprobatis Iudæis crucis fructum excepturos. Docemúrque hoc facto crucem nostram ferre post Christum, illique cõfigi, si volumus ipsius fructu perfrui.

Duxerunt illum ad locum qui dicitur Golgotha, &c. Existimat D. Hieronymus à caluariis seu craniis decollatorum quæ hìc insepulta iacebant, nomen sumpsisse. Multi verò ex antiquis, putant sic dictum à Caluaria Adami hìc sepulti, vt vbi vetus Adam ceciderat in mortem: Ibi etiam noui Adami trophæum, scilicet crux, erigeretur cõtra mortem. Et ne videatur destitui grauissimorum authoritate doctorum hæc sententia, paulò fusiùs in mediũ probatos & classicos proferamus scriptores. D. Cyprianus, Sermone de Resurrectione Christi ita loquitur: Cuius sanguine conspersa creditur Adam caluaria. qui sub loco, quò crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis. Audis antiquum authorem, traditionem referre antiquorum? Adstipulatur Origenes Hom. 35. in Matth. Venit, inquit ad me traditio quædam talis, quòd corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, vbi crucifixus est Christus, vt sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificentur, &c. Consimiliter D. Epiphanius lib. 1. to. 3. contra Tatianorum hæresim 46. Reperimus Dominum in Golgotha crucifixum esse, & non alibi quam vbi corpus Adam iacebat. Egressus enim de Paradiso, cum habitasset è regione ipsius multo tempore, postea abiit eò, & in hoc loco Hierosolymorum videlicet, debitum naturæ persoluens, illic sepultus est in loco Golgotha. Vnde meritò cognomen habuit locus, quẽ Cranij, siue Caluariæ locũ interpretantur. Et quia primum formati hominis Adam, Caluaria illic inuenta est, & illic reliquiæ sitæ erant: ea de causa Cranij locus cognominatus est. Quare & hìc implebatur quod dictum est: *Surge qui dormis, & resurge à mortuis, & illucescet tibi Christus.* Sic ille. Magnus ille Athanasius fragmento, in passione Saluatoris. Non alibi ait, patitur, nisi in Caluariæ loco. Quẽ Hebræorum Magistri dicunt Adami sepulchrum fuisse, ibi enim post maledictionem humatum esse asseuerant. Quod si res ita se habet, Non possum non admirari passionis commoditatem, & aptitudinem peculiarem. Oportebat enim Dominum renouare cupientem primum Adam renouare, vt

soluto

D. Hier.

D. Cypr.

Origenes

Epiphanius.

D. Athanasius.

ſoluto ipſius peccato, peccatum vndiquc tolleret ab vniuerſo hominum genere. Et quandoquidem audiuit Adam, Geneſ.3. *Terra es & in terram ibis*: ita iã viciſſim audiet: *Excitare qui dormis, ſurge è mortuis, & illuminabit te Chriſtus*. D. quoque Ambroſius Epiſtola 19. ad Horontianum ſub finẽ. In Golgotha Adæ ſepulchrum, vt illum mortuum in ſua cruce reſuſcitaret Chriſtus: Vbi ergo in Adã mors omniũ: ibi in Chriſto omnium reſurrectio. Vale. Idem in Luc.23. Ipſe crucis locus, ſuper Adæ vt Hebræi diſputant, ſepulturam poſitus erat. Cõgruebat quippe vt ibi vitæ noſtræ primitiæ locarentur, vbi fuerant mortis exordia. Theophylactus in Matth.27. Cranij locus dictus eſt, eò quòd dicunt qui traditiones tenent, quòd Adam illic ſepultus ſit. *Sicut enim in Adam morimur ita in Chriſto omnes nos viuificari oportebat*. Iterum in Mar.15. Traditio eſt quæ à priſcis patribus vſque ad nos peruenit, quòd Adam in Golgotha ſepultus ſit. Et in Luc.23. Dicunt primùm parentem noſtrum ad locum Cranij ſepultum eſſe, vt vbi per lignum caſus, illic & per lignum reſurrectio, vt vnde principium mortis, inde & mortis deſtructio. Et in *Ioan.c.19*. Caluariæ locum dicebãt, ſicut narratio prodit, quòd illic ſepultus ſit Adam, vt vbi principium mortis, illic & caſus eius fieret. Traditio enim Eccleſiaſtica eſt quia prior Iudayca, poſtquam fuit eiectus homo ex paradiſo, domicilium ibi habuit in ſolatium bonorum quæ in paradiſo erant, data, ei terra illa, quæ omnium aliarum optima eſſet & pinguiſſima. Homines igitur qui tunc habuerunt pro miraculo mortui Caluariam depilatam, in loco illo habitantes, inde eum nominauerunt, & poſt diluuium fama hæc à Noë in omnes diuulgata eſt. Vnde & Dominus vbi fons mortis, illic moritur, vt illum ſiccet. Sic Theophylactus ad verbum. Id ſumptum (haud dubiè) ex D. Chryſoſtemo tom. 3. in c.19. Ioannis. Exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locus, vbi quidam dicunt Adam & mortuum & ſepultum eſſe, & Ieſum vbi mors dominata eſt ibidem trophæum erexiſſe, hoc eſt, crucẽ quam tulit contra mortis tyrannidem. Hæc ille. Subſcribit etiam huic Euthymius in Matth. 27. Aiunt quidam in loco Caluariæ Adam mortuum eſſe ac iacere: & diſpoſitum eſt vt vbi verus Adam cecidit in mortem, ibi etiam noui Adam trophæum, erigeretur contra mortem: dico ſanè crucem. Iterum S. Pater Anaſtaſius Synaita lib.11. Commentariorũ in Hexameron circa principia, confert Chriſtum, cum Adamo

D. Ambroſius. *Theoph.* *D. Chry.* *Euthym.* D. *Anaſ.*

Adamo qui seipsum succinxit subligaculo, postquam comedisset cibum mulieris insidiatricis, Vide, inquit, Christum in Golgotha subligaculo tantum succinctum pēdentem in cruce, supra Adæ crauium (obserua hæc verba) pro Adamo & Eua patientem. Sic ille. Ex quibus facilè colligitur, traditionem esse antiquissimam atque Ecclesiasticam, ab illis venerandæ antiquitatis scriptoribus relatam, nec improbatam: Adamum fuisse in monte Caluarię sepultum quod longè verissimillimum est. Nec refragatur D. Augustinus fidus antiquitatis (etiam teste Caluino) optimúsque interpres. Is enim to.10.serm.71.de tempore. Hieronymus, inquit, presbyter scripsit ab antiquis & senioribus Iudæis se certissimè cognouisse, quod ibi immolatus sit Isaac, vbi postea Christus crucifixus est. Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipso loco vbi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus. & ideò Caluariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè, fratres, non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, vbi iacebat ęgrotus. Et dignum erat vt vbi occiderat humuna superbia, ibi se inclinaret diuina misericordia. Et sanguis ille pretiosus etiam corporaliter puluerē antiqui peccatoris, dum dignatur stillando cōtingere, redemisse creatur. Hucusque S. Pater Augustinus. Solus D. Hieronymus, quod sciam, non satis probat hanc sententiam. Namque in Matth.27.scribit ita: Audiui quendam exposuisse Caluariæ locum, in quo sepultus est Adam, & ideò sic appellatū esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput, & hoc esse quod Apostolus dicat: *Ephes.5. Surge qui dormis, &c.* fauorabilis interpretatio & mulcens aurem populi, nec tamen vera. Extra vrbē enim & foras portā loca sunt in quibus trucantur capita damnatorum, & Caluariæ, id est, decollatorū sumpsere nomen. Proptercà ibi crucifixus est Dominus, vt vbi priùs erat area damnatorū ibi erigerentur vexilla martyrū. Sinautē quispiam contendere voluerit, ideò ibi Dominū crucifixum, vt sanguis ipsius super Adæ tumulū distillaret, Interrogemus eum, quare & alij latrones in eodem loco crucifixi sunt? Ex quo apparet Caluariam, non sepulchrum primi hominis, sed locum significare decollatorum, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia. Adam verò sepulchrū iuxta Hebron & Arbee in Iosue c.14.legimus. Hæc ibi. Responderi posset, problema esse Theologicū, cuius alterā partem amplexus

D. Aug.

D. Hier.

amplexus fuerit, D.Hierony. contra aliorũ cõmunem opinionẽ. Vnusquisque enim, absque fidei præiudicio, in similibus problematicis quæstionibus in suo sensu potest abundare. Singularis autẽ D.Hieron. sententia seu propria eius opinio cedat multitudini aliter sentiẽtium, rationi magis consentaneũ videtur. Cùm & idẽ S.Pater to.9. in c.5. Ephes. liberũ cuique relinquat opinari prout volet, sic enim scribit. Scio me audisse quendam de hoc loco: *Surge qui dormis &c.* in Eccl disputantem, qui in theatrale miraculum, nunquam antè visam formã populo exhibuit, vt placeret: Testimonium hoc, inquiẽs, ad Adam dicitur in locos Caluariæ sepultũ, vbi crucifixus est Dominus. Qui Caluariæ idcirco appellatus est, quòd ibi antiqui hominis esset conditũ caput. Illo ergo tẽpore quo crucifixus est Dominus, super eius pendebat sepulchrũ hæc prophetia cõpleta est dicẽs: Surge Adã qui dormis & exurge à mortuis: & nõ vt legimus, ἐπιφαύσει σοι ὁ χριστὸς, id est, orietur tibi Christus, sed ἐφάψεται, id est, continget te Christus: Quia videlicet tactu sanguinis ipsius & corporis dependentis, viuificetur atque consurgat: & tunc typum quoque illum veritate compleri quãdo Elisæus mortuus, mortuũ suscitauit. Hæc vtrũ vera sint nec ne, lectoris arbitrio derelĩquo. Certè tũc in populo dicta placuerunt & quodã plausu ac tripudio sunt excepta. Vnum quòd scio, loquor: cũ loci istius interpretatione atq; contextu, sensus iste nõ conuenit. Hactenus D.Hiero. ibi. Percipis satis, ipsum lectoris arbitrio relinquere, quòd prę optauerit. Adde quod to.1. Epist. Epistola 16. Paula & Eustochium Marcellæ scribũt: Stilus verò palam indicat, mulieres in hac Epist. D.Hieronym. opera vsus fuisse. Sic autem scribunt. In hac vrbe, nempe Hierusalem, imò in hoc tunc loco, & habitasse dicitur & mortuus esse Adã: Vnde & locus in quo crucifixus est Dominus noster, Caluaria appellatur: scilicet quòd ibi sit antiqui hominis Caluaria condita, vt secundus Adam & sanguis Christi de cruce stillans: primi Adam & iacentis protoplasti peccata dilueret, & tũc sermo ille Apostoli cõpleretur: *Excitare qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* In tribus nominibus Trinitatis demonstrat fidẽ, Iebus, Salẽ, & Hierusalẽ appellatur. Hæc ibi. Nõ igitur abhorret omnino ab hac opinione præfatus D.Hiero. Nolo præterire Basilij Magni sentẽtiam. Is siquidẽ in c.5. Isa. ad verba: In cornu in loco vberi scriptũ reliquit. Obtinuit fama quædã in Eccl. memoriam *Basilius.*
conser

conseruans non quidem scripto proditam quæ & talis est, quod prima vtique Iudæa hominem habebat incolam, nimirum Adam, simulatque excidit deliciis paradisi in hac terra collocatum, ad mitigãdam iacturam bonorum quibus fuerat exutus. Prima igitur etiã mortuum hominem excepit, qui & illic eam cui addictus erat, sententiam condemnationis plenè est exequutus. Itaque insolens esse ac nouum videbatur illius ætatis hominibus spectaculũ, Os capitis defluente carne nudum. At illi recondentes cranium, loco illi nomen indidere κράνιον, id est, Caluariam. Probabili ratione potuit Noë non ignorasse sepulchrum principis huius, & mortalium omnium primigenij: siquidem hac de re fama à diluuio mox per orbẽ propagata est ab ipso, & dimanauit, eò quòd Dominus excussa origine humanę mortis, in loco qui κράνιον dicitur, id est, Caluaria, passus est, vt quo in loco corruptio siue mors hominũ initium accepit, illic vita regni suũ sumeret exordium. Et quẽadmodum mors inualuit in Adã: Ita & in Christi morte inefficax redderetur & pessum iret. Ob hoc in cornu tãquã aduersus inimicũ habẽte arma tutelaria, nẽpe crucẽ Christi & pingui, tanquam situs regionis post paradisum, principem laudem fœcunditatis auferat inter omnes quæ sub cœlo sunt. Hucusque Basilius ille Magnus. Ex quo faciliùs intelliges, quid sibi velit Theophylactus in Ioannẽ, supra citat[9], vbi dicit Traditio Ecclesiastica est, quia prior Iudayca, nempe prima est Iudayca terra in qua primus homo domicilium habuit. Et reliqua videtur ex eodem Basilio hausisse. Solet autem ad pedem crucis depingi caluaria mortui quo significatur Christum ibi sepultum esse, vbi sepultura erat Adami. to. 1. Surij scribit Metaphrastes in vita Theodosij Cœnobiarchæ: Multa sunt quæ sola scriptis non mandata traditio, efficit vt in hodiernum vsque diem pro certis habeantur: Qualia sunt ea quę dicuntur de loco cranij, quæ sunt (inquam) tractata à Magno Basilio. Ille enim dicit in quadam oratione sua non scriptam nobis exponẽs traditionem: Adam primus noster parens in hoc qui nunc dicitur cranij loco dicitur esse sepultus, vbi meus quoque Christus pro nobis crucem & mortẽ suscepit, propter eam quæ verbis explicari non potest benignitatem. Sic ibi. Basilij verba habes paulò supra proposita. Quid ergo superest nisi vt obiectioni quam ex Iosue c. 14. proposuit D. Hieronymus, respondeamus? Nimirum Adam sepultum fuisse in

Metaph. apud Surium.

Hebron,

Hebron. Sic sacer habet contextus. Nomen Hebron antea vocabatur Cariatharbee. Adã maximus ibi inter Enachim situs est. Hæc palam indicare videntur Adamum illum maximum, primum scilicet parentem in Hebron sepultum fuisse: Non igitur in Caluaria. Lyranus hæc verba sic interpretatur Cariath-arbee, id est ciuitas quatuor. Sic cognominatur, eoquòd quatuor Patriarchæ principales ibi sunt sepulti cum suis cõiugibus: Scilicet Adam & Eua: Abraham & Sarra, Isaac & Rebecca: Iacob & Lya. De primo quidem habetur Ios. 14. Adam ibi maximus situs est: De reliquis tribus expressè quoque *Genes. 49.* in hunc modum. *Sepelite me, dicebat Iacob filiis suis, cum patribus meis in spelunca duplici quæ est in agro Ephro. Hethæi, contra Membre in terra Chanaam, quem emit Abraham in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt eum, & Sarram vxorem eius. Ibi sepultus est Isaac cũ Rebecca coniuge sua: ibi & Lya condita iacet.* Idem Lyranus in *Genes. 23.* vbi dicitur: *Mortua est Sarra in ciuitate Arbee, quæ est Hebron in terra Chanaã, &c.* Arbee, inquit, id est quatuor. Aliqui dicunt nõ omninò extra rem, sic vocatã propter quatuor Patriarchas ibi sepultos cum coniugibus suis scilicet Adam & Eua &c. reliquos supra enumeratos. Vel sic vocatur, vt dicũt aliqui propter quatuor Gigantes ibi sepultos, scilicet Ahimam, Sesai, Tholmai, & pater eorum. Alij, ait præfatus author super Ios. 14. c. dicunt quòd vocata est Cariath-arbee, id est, ciuitas Arbe qui dominatus fuit ibi, & à quo descenderunt Gigantes alij. & ideo *Ios. 15. c.* habetur: *Cariath arbee patris Enoc ipsa est Hebron.* Enoc autẽ exponitur Gigas: At dicet aliquis, in tanta opinionum varietate quid tenendum? Respondet ibidem Lyranus: Potest dici pro cõcordia, quòd ab infidelibus vocata est Cariath-arbee, propter quatuor gigãtes ibi sepultos, & propter nomen proprium illius qui ibi dominatus fuit. A fidelibus autem vocatur Cariath-arbee propter 4. Patriarchas ibi sepultos. Adã maximus ibi situs est. Adam inquit Lyranus ibi, est nomen commune, & significat hominem, tamen appropriatum fuit primo homini. Dicunt aliqui quòd ibi tenetur Adam pro primo homine ibidem sepulto, Alij pro illo Gigãte nomine Arbe: Alij, vt Hebræi dicũt, quòd accipitur pro Abraham ibi sepulto, vt habetur *Genes. 25.* Qui fuit maximæ reputationis in illo loco *Gen. 23.* de eo dicunt: Princeps Dei es apud nos. Hactenus Lyranus. Ex quibus deprehenditur, locum illum Ios. 14. à D.

Lyranus. *Gen. 23.* *Ios. ca. 15.*

Hieronymo allatum non conuincere, neque efficaciter probare Adamum fuisse in Hebron sepultum, & non in monte Caluariæ. Quid super hoc argumento senserint recentiores, duo Theologi visum est explicare, nempe Melchior Canus Canariensis Episcopus, & Ioannes Molanus, Louaniensis. Prior quidem lib. 11. locorum Theologicorum cap. 3. argumento 8. scribit ita: Augustinus ser. 71. de immolatione Isaac. Et Cyprianus in sermone de Resurrectione Christi, atque Paula & Eustochio in Epistola ad Marcellum, historiam tanquam habitantium ore celebratam narrant de Adami sepultura, in ipso loco, vbi crux fixa est. Ita eam refert quasi minimè dubiam Epiphanius contra Tatianos. At Hieronymus in Matth. c. 27. & in 5. c. Epist. ad Ephesios quasi fabulã irridet, quod Iosu. 14. Adam in Cariath-arbee dicatur esse conditus. Opinionem verò Hieronymi Isidorus sequutus est. Hæc ibi. Isidorus autem de vita vel obitu sanctorum, sic de Adamo: Sepultus est autem in loco Arbe, qui locus nomen à numero sumpsit, hoc est, quatuor, pro eo quod tres Patriarchæ ibidem sint sepulti, & hic quartus Adam, Hic est Ebron Metropolis vrbium Allophylorum, in qua fertur quondam fuisse habitatio Gigãtium, vbi etiam & Dauid postea vnctus est in regno. Est autem ciuitas fortis Iudæ *Iosu. 15.* Cariath-arbe, hæc est Hebron in sacerdotibus separata. *Iosu. cap. 21. Cariath-arbe patris Enac, quæ vocatur Hebron in mõte Iuda,* distans ad Austratem plagam millibus 22. procul ab Hierusalem. Sic ille. *Cap. 5.* eiusdem lib. ad 8. argumentum. Respondet idem Canus ad hanc formã. Non debuit sanè tantoperè ridere Hieronym⁹, Adami in loco Caluariæ sepulturam: Nec nos, viri licet sanctissimi exemplo, historias huiusmodi ridere debemus. Vulgus, vt video equidem, hisce rebus credẽdis nimium est facile. Credulitas etiam in optimi cuiusque mẽtem facillimè irrepit. At viri quidem excellentes, cùm à vulgi facilitate & credulitate declinãt, in aduersum quandoque vitium incurrunt. Sunt etiam increduli. Cùm in fide nihil sit vitij, in incredulitate vitij nonnihil. Testimonium autem quod ex Iosue. c. 14. historię veteri opponitur, nihil profectò vrget: vt potè cum nomen Adam eo loco non proprium sit, sed cõmune. In margine adiicitur hoc scholion, Sic omnes Hebræi testantur. Sed Hieronymus videns Hebręam vtroque modo vocem accipi posse, reliquit in latina lingua illam eandem Hebræam

Can⁹ & Molan⁹.

Isidorus.

bræam vocem. Reddit ſcriptura cauſam cur quæ poſt Hebron, ea ante Cariath-arbah, id eſt, ciuitas Arbec dicta ſit: quòd videlicet Arbah, quem Arbeam 70. vocauere, homo inter gigãtes magnus ibi fuerit. Qui ſenſus præter quam quod ſcripturæ contextui aptiſſimè iungitur (quapropter à Chaldæo interprete Pagnino, aliiſque viris clariſſimis expreſſus eſt) inde etiam facilè probari poteſt, quod c.15. & 21. eiuſdẽ libri Arbah pater Enach fuiſſe dicitur, vt promptum ſit cuique intelligere, & Arbah nomen fuiſſe gigantis proprium, à quo Cariath-arba nominata ſit, & Arba patrem primúmque fuiſſe illius terræ gigantum. Omitto hìc verſionem 70. qui tametſi magnitudinem non ad Arbah, ſed ad ciuitatem retulerunt, vt ea vrbs Metropolis intelligeretur, ſatis tamen indicarunt Arbah nomen eſſe gigãtis propriũ, vnde ciuitas illa ſuum olim cognomentum acceperit. Itaque primi parentis in ciuitate Abec fuiſſe ſepulchrum, nec ex eo loco neque aliunde colligitur. Quin illud multò probabiliùs eſt, quòd publica rerum veterum memoria prodidit: Primum Adam ibi iacere conditum, vbi ſecũdus etiam ſepultus eſt. De octauo igitur argumento hactenus. Poſterior verò, nimirum Melanus de Picturis & imaginibus ſacris cap.78. Plus, inquit, probabilitatis habet, quòd nõnulli pingant ſub cruce Chriſti Caluariam ſiue cranium: quod eſt Adæ, vt annotauit Albertus Magnus in 23. Lucæ. Adam enim ſub cruce ſepultum eſſe receptiſſima fuit apud veteres ſentẽtia. Paula & Euſtochium in Epiſtola ad Marcellam, narrant eam tanquam habitantium ore celebratam. Eandem ſententiam habet ſermo de Reſurrectione Chriſti apud Cyprianum, & ibidem à Domino Pamelio citati Epiphanius, Origenes, Athanaſius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & Auguſtinus. Baſilius quoque in 5. Iſaiæ. At Hieronymus in 27. Matth. reiicit hanc ſententiam, quia Ioſ.14. habetur Adam maximum ſitum eſſe in Hebron: Sed in 5. ad Epheſ. ad illud: *Surge qui dormis*. Hæc vtrum vera ſint necne lectoris arbitrio derelinquit: fortè quia aduertit locum ex Ioſue allatum non conuincere, De quo Melchior Canus locorum Theolog. lib.11. cap.5. ad 8. Hactenus Melanus. Relinquitur itaque tenendum tanquam magis probabile, rationique cõſentaneum, Adamum in Golgotha ſepultũm. Neque huic ſententię aduerſatur refragaturve ſcripturæ Sanctæ authoritas, quin potiùs conſentit maximus

Albertus Magnus.

Ecclesiasticorum probatorúmque scriptorum numerus, dempto vno D.Hieronymo,cum Isidoro qui eius vestigia sequutus fuit hac in re. At verò lōgè probabilius,æquius, rationabiliúsque fuerit tantam habentes nubem testium, vt cum D.Paulo ad Heb.12.loquar,Resolutoriè tenere Adamum fuisse in mōte Caluariæ,vbi crucifixus est Dominus sepultū,quā oppositā sententiā. Et hæc dicta sufficiāt.

Nolite flere super me filiæ Hierusalem, &c. Adeò fuit amator nostri generis Christus, vt vbi consolatione indigere videbatur ibi etiam compatiētes consolaretur. Constans vtique Socrates, qui moriturus vxoris lachrymas ferre non potuerit: At constantior Christus,qui istas mulieres lamentantes,etiam de futuris certiores reddit. Refert in Apophteg. libr.3.de Socrate Erasmus, quòd vxori muliebriter comploranti, dicentique: Mi vir, innocens morieris: Responderit, dicens: Quid vxor, num me nocentem mori malles? Et Plutarchus tom. 1. Opusculor.in Apophteg. Laconicis: Agis, inquit, vltimus Lacedæmoniorū Regum per insidias captus, indictaque causa damnatus ab Ephoris, quum ad laqueum, quo erat ei guttur elidendum, duceretur, cuidam ministrorum quem plorare videbat, Desine ait,me deflere,qui tam sceleratè atque iniustè morti addictus,meliore sum quàm qui me necant conditione. Non tamen damnatur affectus compatientium Christo: Imò Psal.68. ille conqueritur: Sustinui qui simul contristaretur & non fuit. Nónne Daniëlis 13. cùm Susanna duceretur ad supplicium flebāt sui,& omnes qui nouerant eam? Et Cicero lib.3.de Nat.Deorum: Quid dicam de Socrate?cuius morti illachrymari soleo,Platonem legens.Quanto(amabo)iustius fuerit, Christi passionem deflere?Ergo Christus nō simpliciter fletum prohibet, sed intentionem quæ eas ad lachrymas impellat, quasi coactè pateretur. Noluit se vt infirmum aut impotentem se defendere, defleri, vt ipse forent in periculo imminenti. Adde quòd ipse nihil de eius resurrectione sperarent. Ergo, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, hunc sensum habet. Mei compassionem habere pium est,sed aliud lamentabilius ostendam vobis venturum super vos. Thren. 4. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. Et *Deut.28.* Obsideberis intra portas tuas & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum

Erasm⁹.

Plutarchus.

Cicero.

filiarum tuarum, &c. Sicut in Samaria *4.Reg.6.* Coximus filium meum & comedimus. Matres fame coactæ in obsidione Samariæ filios ſuos vorantes prodigioſiſſimè, quid aliud quàm id futurum quoque, in Hieroſolymorum excidio, adumbrabant? Sicut factum cuiuſdam mulieris, apud *Ioſephum & Egeſippum, comprobat & teſtatum relinquit. Sed tempus eſt vt finem imponamus, in alteram concionem myſteria in Caluariæ monte geſta reſeruantes & reiicientes ne lectori faſtidium ac tædium, moleſtiámque ob nimiam prolixitatem generemus & excitemus. Chriſto Redemptori, qui pro nobis crucis pertulit ſupplicium, deuotè ſupplicemus, vt per crucem & paſſionem eius ad Reſurrectionis gratiam & gloriam peruenire poſſimus. Amen.

**Ioſeph. libr.6 de bello Iudaico ca. 14.& 15. Nicephorus lib.3. cap.6.*



IN MONTE CALVARIÆ.

Homilia continens quæ ibidem acta ſunt, & quæcunque reliqua ſunt paſſionis Chriſti myſteria ex quatuor Euangeliſtis.



Bi eum crucifixerunt, &c. A Lactantio Cicerone Chriſtiano, libet exordiri. Is diuinarum Inſtitutionum lib.4.ca.18. Chriſti Domini tormenta ſummariè deſcribens: Suſpenderunt eum, inquit, inter duos noxios medium, qui ob latrocinia damnati erant: (crucique affixerunt.) Quid ergò hic in tanto facinore deplorem? aut quibus verbis tantum nefas conquerar? Non enim Gauianam crucem deſcribimus, quam M. Tullius vniuerſæ eloquentiæ ſuæ neruis ac viribus, velut effuſis totius ingenij fontibus proſequutus eſt, facinus indignum eſſe proclamans, ciuem Romanum contra omnes leges in crucem eſſe ſublatum. Qui quamuis innocẽs fuerit, & illo ſupplicio indignus, mortalis tamen, & ab homine ſceleſto qui iuſtitiã ignoraret, affectus eſt. Quid de huius crucis indignitate dicemus, in qua Deus, à cultoribus Dei ſuſpenſus eſt, atque ſuffixus? Quis tam facundus, & tanta rerum verborúmque copia inſtructus

Lactantius.

existet? quæ oratio tantę affluentię vbertate decurrens, vt illā crucem meritò deploret, quā mundus ipse, & tota mūdi elementa luxerunt? Sic ille. Est autem locus apud Ciceronem in decima Verrina: P. Gauius Consanus vocabatur, quem Verres contra ius, contraq; leges virgis cæsum cruci affixerat: hoc est affecerat seruili supplicio. Sic autē Cicero de Gauio ciue Romano. Facinus est vincire ciuē Romanū, scelus verberare, prope parricidiū necare. Quid dicam in crucem tollere? Crudelissimum teterrimumq; supplicium. Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Hactenus Cicero. Quid de filio Dei vnigenito, *quem constituit pater hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula*, *Heb.1.* cui pater testimonium perhibet dicens: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Mat.3.17.* tam indignè à populo Dei, tractato & in crucē acto, dicturi sumus: Ibi crucifixerunt eū, in monte scilicet Caluariæ. O indignū facinus! Mortis ignominiosissimum genus subire fecerunt: *Philip.2. Mortem autem crucis Sapiēs 2. Morte turpissima condemnemus eum. Matth.21.* Agricolæ quibus locata erat vinea, videntes filium à patre missum, inito cōsilio extra vineam eiectum, interfecerunt. Dicebat enim: Hic est hæres, venite occidamus eum: Sic Christus, vt sanctificaret per suum sanguinem populū, extra portā passus est. In cuius rei figurā in veteri lege animalium sacrificatorū pro peccato corpora cremabantur extra castra. *Exeamus igitur ad eum extra castra: improperium eius portātes.* Hęc D. Paul. Ideo etiā crucifixus est, vt Adami lapsum in ligno repararet, qui ex ligno prodierat, *Gen.3. Vt qui i ligno vincebat, in ligno quoq; vinceretur. Per Christum Dominū nostrū*, interpretatur Sācta mater Ecclesia. Impleturq; Prophetis. *Ps. 21. Foderunt manus meas & pedes meos, &c. Zachar. 12. Aspicient ad me quē confixerunt &c. 13. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, his plagatus sum in domo eorū,* hoc est à posteris & progenie, qui me diligebant Patriarcharum scilicet semine & filiis secundum carnem, qui magno supercilio inflatisq; buccis concrepabāt dicentes: *Semen Abrahæ sumus.* Pater noster Abraham est. Ioan. 18 Ab his Hebræis & posteris Abrahæ plagatus est cruciq; affixus Christus. Complentur etiam typi ac figuræ serpentis ænei in deserto exaltati Num.21. Ioā.3. *Sicut exaltauit Moyses serpentem in eremo: ita exaltari oportet filium hominis.* Manuum item Mosis extensarum in modum crucis. Exod.17.

Cum

Cicero. *Heb.1.* *Matt.3.17.* *Philip.2.* *Heb.13.* *Genes.3.* *Psal.21.* *Zach.12 & ca.13.*

Cum leuaret Moyses manus vincebat Israël: Aaron autē & Hur sustentabant manus eius ex vtraq; parte. Ideò autē eleuatur in sublime, vt nos in alta raperet: Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum Significans qua morte esset moriturus. Et c. 8. Cùm exaltaueris filium hominis tunc cognoscetis, quia ego sum.* Porrò quid hæc sacratissimi corporis in cruce positio in se mysterij contineat, Sedulius in Paschali carmine versibus sic expressit: *Seduli⁹. Poëta.*

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis
Splendidus auctoris de vertice splendet Eous,
Occiduo sacræ lambuntur sidere plantæ.
Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem
Cunctáque de membris viuit natura creantis,
Et cruce complexum Christus regit vndique mundum.

Hucusque Sedulius presbyter lib. 5. Carminum, De salutiferæ crucis quadripartita positione. Hic exclamare cum Sybilla liceat: ὦ ξύλον μακαριστὸν ἐν ᾧ θεὸς ἐξετανύσθη. hoc est, si versum versu reddas. *Sybillina oracula.*

O lignum fœlix in quo Deus ipse pependit.

Ex libro 6. Sibyllinorum oraculorum circa finem, Citatur à Sozomeno Hist. Ecclesiast. li. 2. c. 1. ex quo, Cassiodorus in tripartita, li. 2. c. 18. Nicephorus lib. 8. c. 26. ac Eutropius Rerum Romanarum libro vndecimo in Cōstantino, eundem versum expresserunt, & allegauerunt. Impletur illud Psal. 95. iuxta veritatē Hebraicam, quam in hunc vsque diem intemeratam inuiolatamq; sancta conseruat Ecclesia. Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit ligno siue per lignū. Sic enim Leo de Castro vir sane doct⁹, & Theologiæ Salmanticēsis magister, in Isaię 9. c. ad verba, Factus est principatus super humerum eius, Cum legeretur *Hebraicè* יהוה מלך עץ Iehouah malach eets, id est, Dominus regnauit à ligno, vocem illam postremam עץ eets, quæ duabus literis constabat, id est, ligno, Iudæi mutauere in אף aph, quæ etiam duabus literis constat, id est, certè, vel, etenim, Et reddidere sequentibus. Etenim correxit orbem terræ. Siquidem hanc lectionē antiquissimus incorruptæque fidei codex manu exaratus illustrissimi viri D. Didaci henriqui Almancæ Cauriensium Antistitis præferebat, ait ille. Et Iustinus Martyr, Dialogo cum Tryphone Iudæo: Hęc pauca verba, A ligno Iudæi, inquit, exciderunt & abraserunt, cum integrè legeretur in textu. Quemadmodum etiam indicant citati ab eodem de Castro loco præ- *Sozomenus ex quo Cassiodorus in Tripartita. Nicepho. & Europius. Leo de Castro ī Isaiam. Iustinus Martyr.*

Tertulli. fato antiqui Ecclesiæ Patres & Doctores. Tertullianus Latinus Scriptor antiquissimus, lib. aduersus Iudæos §. Quod Patriarchæ ostendunt figuram crucis: Age nunc, si legisti penes Prophetam in Psalmis, Dominus regnabit à ligno, expecto quid intelligas, ne fortè Regem aliquem lignariũ significari putetis, & non Christum, qui exinde à passione Christi superata morte regnauit. Ibidem §. de claritate gẽtium in Christo. Ipse Dauid regnaturum ex ligno Dominum dicebat. Idem libro 3. contra Marcionem: Age nunc si legisti penes Dauid: *Dominus regnauit à ligno*, expecto quid intelligas, vt supra. Cur Christus non regnasse dicatur à ligno, ex quo crucis ligno mortuus, regnum mortis exclusit? Hoc lignum & Hieremias tibi insinuat. *Venite mittamus lignum in panem eius*, vtique in corpus. Hæc Tertull.
D. Cypr. inter D. Cypriani opera, Tractatu de Syna & Syon legitur
Arnobi⁹. etiam Dominus regnauit à ligno. Et Arnobius breuissimis in Psalmos Commentariis, Gens, ait, genti dicat, quia vnus
D. Ambrosius. Dominus regnat à ligno crucis. D. Ambrosius Commentariis in 1. Corinth. 15. cap. De signo crucis disputãs, inquit,
D. Aug. Dauid in Psal. ait, Dominus regnauit à ligno. Et D. Augustinus tom. 8. in Palm. 95. etiam in textu legit, Dominus regnauit à ligno. Et in Commentariis exponit, à ligno, tanquã de textu. D. iterum Leo I. Papa, cognomine Magnus, Sermone 4. De Passione Domini, ad Iudæos sic loquitur: Non quidem legistis, Dominus descendit de cruce, sed legistis, Dominus regnauit à ligno. Sic ille. Quorum patrũ testimonio, liquet textum prætulisse in ipsis fontibus Hebraicis & tractatione 70. seniorum interpretum: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno.* Et multò magis hoc
Versiculus à Paschate decantari solitus. liquet testimonio Ecclesiæ Catholicæ, quæ vsque ad nostra tempora agnoscit hanc lectionem. Canit enim frequenter à Paschate hunc versiculum: *Dicite in nationibus alleluya: Quia Dominus regnauit à ligno, alleluya* Theodulphus iterum Aurelianensis Episcopus supra citatus, in hymno
Theodulphus. qui incipit, *Vexilla Regis prodeunt.*

Impleta sunt quæ concinit
Dauid fidelis carmine
Dicens in nationibus
Regnauit à ligno Deus.

Et è translatione 70. verissimè Iustinus arguit vitiatam esse lectionem, Hebræam, quæ in Hebraicis quæ circumferuntur voluminibus hoc tempore habetur. Siquidem probat

probat Iudæos expunxisse ex lectione Hebræa vocem illam, à ligno, quòd translatio 70. Virorum, vocem illam suis etiam temporibus prætulerit Græcè. Nunc autem neque Hebraicè neque Græcè legitur illud, A ligno in sacris bibliis, vt patet conferenti editiones psalmorum. Tamen de textu est, & Spiritus sancti mysterio, ad peruicaciā perfidiámque Iudaicā retūdendam, & ad Christi gloriam illustrandam vniuersa toto orbe terrarum identidem concinit Ecclesia: *Dicite in gentibus quoniam Dominus regnauit à ligno.* Vt Iudæis oculi doleant & animi. Sed de his iam satis nunc ad textum. Nudauerunt eum vestibus suis antequam crucifigerent, quòd ex sorte missa pro vestimentis colligitur: iuxta quòd à Dauide prophetatum erat: *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Vt impleret Christus typum Noë denudati iacentis in tabernaculo suo, sicque exhausto vino dormientis. Est enim in Christo vinum, charitas, qua ille inebriatus est: Dormitio, somnus in cruce: Tabernaculum ipsius, corpus, aut Ecclesia. Ergo & nudum eum in cruce mori oportuit, vt veritas figuræ responderet.

In medio duorum latronum crucifixus, vt medius limes & reparator vtriúsque populi Iudaïci ac Gentilis intelligeretur, vtque Prophetiam impleret: Et cùm iniquis deputatus est Isaiæ 53. Vt ex societate morientium eius fama etiā obscuraretur. Et figuram denique Aaronis sacrificantis inter viuos & mortuos. Numero 16. adimpleret. Stans enim inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. Alter latronum electus, alter verò reprobatus fuit. Sic consentiunt & consonant figura & veritas. B. Anselmus Dialogo de Passione Domini: Cùm venissent ad locum Caluariæ, dicit Diua virgo & mater Iesu, Nudauerunt Iesum vnicum filium meum totaliter vestibus suis, & ego exanimis facta fui (Gallicè, *comme pasmee*) tamen velamen capitis mei accipiens circumligaui lumbis suis. Post hoc deposuerunt crucem super terram & eum desuper extenderunt, & incutiebant primo vnum clauum vnum brachium configentes. *B. Anselmus.*

Acceperunt postea funes & traxerunt aliud brachium filij mei & clauum secundum ei incusserunt, posteà pedes funibus traxerunt, & clauum acutissimum incutiebant, & adeò tensus fuit, quòd omnia ossa sua & membra apparebant, ita vt impleretur illud Psalm. 21. *Dinumerauerunt om-*

O s *nia os*

nia ossa mea. Sic ille. An verò quatuor clauis fuerit Christus confixus, an tribus tantùm variæ sunt sententiæ. Multæ etenim veteres imagines Christi crucifixi quatuor clauis videntur (quales me in natali solo, & alibi conspexisse memini:) Citat Ioannes Molanus de imaginibus libro eleganti, capit. 24. infra scriptos authores, Gregorium Turonensem de miraculis seu gloria Martyrum libro 1. capi. 6. Vnum ex quatuor clauis deponi iubet in pelagus Helena Regina. Quo facto redditur mare quietum nempe Adriaticum. Clauorum ergo Dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, hæc est ratio. Duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis. Hæc Grego. Et Innocentium Tertium, Sermone de vno martyre: Fuerunt, inquit, claui 4. quibus manus confixæ sunt, & pedes affixi sunt. Quatuor claui sunt quatuor principales virtutes: Iustitia, prudētia, fortitudo, & tēperantia. Sic ille summus Pōtifex. Deniq; sanctā Brigittā li. 4. Reuel. c. 70. Mater loquitur: Peruēto ad locū crucifixionis: Ecce malleus & 4. claui acuti in prōptu sunt, & mox iussus vestes ponit, paruumq; linteū verēdis protexit. Deinde, Pedes ad foramina sua distenduntur, duobus clauis ad crucis stipitem per solidum os, sicut & manus erant, configuntur. Iterum in Extrauagantibus reuelat. B. Brigittæ c. 51. Pedes deorsum tracti, & duobus clauis perfossi, non habebant aliud sustentaculum nisi clauos. Christus ipse loquitur. Hæc ibi. Idem Molanus ca. 75. addit, doctissimi Lindani testimonium: Is Panopliç lib. 4. c. 97. Equidem crediderim verius, inquit, Christū 4. clauis fixū fuisse, nō ex vetustissimis tātùm Louanij, Parisiis, & per Germaniam imaginibus, sed tabellis etiā antiquissimis in Græcia pridem fabrefactis, quod inscriptiones Dominici tituli & θεοτόκου, & Ioan. θεολόγου, aliaque arguebant, vti nostrum musæum itiusmodi nonnullis emblematibus instructum demonstrat. Sic ille. De quatuor clauis est etiam vetus sententia ex Plauto, quàm refert Lipsius li. 1. Electorū c. 18. Ostēdēs ad crucē suffigi corpora solere quaternis clauis. Sic enim Plautus in Mostellaria, incipit: Iupiter supremus, &c.

Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit:
Sed ea lege vt offigantur bis pedes, bis bracia.

Transfigi autem in seruili illo supplicio manus & pedes solere, docent sacræ Historiæ, & Apuleius libr. 4. de Asino aureo. Omnium bipedum nequissimus Chryseros paulatim adrepit, grandique clauo manu ducis nostri immi

Ioan. Molanus. *Gregor. Turo.* *Innocēt. Tertius.* *S. Brigit.* *Lindanus.* *Lipsius.* *Plautus.* *Apulei⁹ & Beroald⁹, ibi.*

immissam in foramen clauis, vt claustrum euelleret, & furaretur quæ in domo erant, repête nixu fortissimo, ad ostij tabulam affigit, & exitiabili nexu patibulum relinquens: gurgustioli sui tectum ascendit contentissima voce clamitans, incendio repentino domum suam possideri. Beroaldus ibi, Patibulum relinquens: id est, ita affixum quemadmodum in patibulo affigi sontes solēt: Patibulum est crux vocabulo notissimo. Agnoscit Nonius Marcellus Patibulum genere etiam masculino. Hactenus Lipsius. Antiquus Auctor apud D. Cyprianū, de Passione Christi, vt obseruat ibi Pamelius, fuit in ea sententia quòd nō vnico, sed duobus clauis pedes Christi terebrati fuerint. Et certè confirmatur idipsum vetustissimis picturis quibusdam. Sic autem habet textus auctoris illius antiqui. Clauis sacros pedes terebrantibus, fossisque manibus. Nec tamen reprehendo, quòd Christus nunc constanter tribus clauis cruci affigatur: Cùm referente Molano c. 24. Gabriel Biel in Passionem annotauerit, incertum esse, vtrum duobus clauis an vno pedes Christi sint affixi. Parum igitur refert vtro modo pingatur. Nec dubito quin sentētia de tribus clauis suam habeat probabilitatem. Sed de his hactenus. *D. Cypr. Pameli⁹.* *Molanus & Gabriel Biel*

Scripsit & titulum Pilatus. Lex à Romanis lata erat vt super damnatos, damnationis causa scriberetur, vt omnibus pateret quòd esset à iudice iurè lata damnatio qualis titulus super crucem Christi à Pilato descriptus fuit. Fiebátque eiusmodi inscriptio, in exemplum aliorum. Suetonius in Caio Cæsare Caligula §. 32. Romæ publico epulo seruum ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confestim tradidit, vt manibus abscissis, atque antè pectus à collo pendentibus præcedente titulo, qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. Et in Domitiano §. 10. Patremfamilias canibus obiecit, cum hoc titulo: Impiè loquutus Parmularius. Est autem, vt obiter attingam istud. Parmularius gladiator, qui parmula vtebatur, siue scuto breui ac rotundo. Dion Nicæus Rom. Hist. lib. 54. circa principia: Cùm pater Cæpionis, inquit, alterum seruorum qui cùm filio eius fugerant, manumitteret, quòd ei ad mortem cùm raperetur, opitulari voluisset: alterum qui herum prodidisset, per medium forum traductum cùm tabula causam supplicij indicante: Nota hæc verba, in crucem tolleret, Augustus id factum indignè nō tulit. Euseb. cōsimiliter de Attalo nobili Martyre, *Suetoni⁹* *Diō Nicæus.* *Eusebius*

lib. 5.

lib.5. Hiſt. Eccle. c.3. ex interpretatione Ruffini, ſcribit: Cùm circumactus fuiſſet in amphiteatro titulo ſe præcedente in quo ſcriptum erat, Attalus Chriſtianus fremere in eum vulgi inſanientis furor vehementius cœpit. Subſcribit Nicephorus Hiſt.Eccleſ.lib.4.c.17. Attalus, inquiẽs, in theatrum ducebatur, cui tabella præferebatur cùm inſcriptione huiuſmodi. Hic eſt Attalus Chriſtianus. Ad hũc morem reſpexiſſe videtur Guaguinus lib.10. Annalium in Ludouico 11. Francorum Rege de Ioanne Audaci, venenum paraſſe necandi Ludouici vndecimi cauſa inſimulato: Aſſeruatus eſt, inquit, Ioannes Audax in publicis ædibus Pariſiorum, deinde capite truncatus. Cuius quatuor exſecta mẽbra, ad quatuor regni extremas regiones, cùm titulo proditionis furcis ſuſpenſa. Omnes eius ædes dirutę ſunt, & natalis domus ſolo tenus, ſine vlla reſtitutionis ſpe euerſa: inſcripta ruinæ cauſa. Sic Guaguinus.

Nicephorus. *Guaguinus.*

Erat autem titulus crucis ſcriptus Hebraicè, Græcè, & Latinè ait *Euãgeliſta, vt omnis lingua confiteatur quia Dominus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Philip.2.* Romanis imperium, Gręcis ſapientia: Hebræis, Lex debebatur. Inde quaſi omnes nationes titulus iſte triumphalis complectitur. Hinc eſt quòd Eccleſia omnibus his linguis in Miſſa vtitur: quòd & id in Crucifixi trophæum memoriam fiat. Quid ergo eſt quòd Hugnoſtici vulgarem Gallicã aut Germanicam obtrudant? cùm illa myſteria niſi lingua Eccleſiæ vſitata pateſieri non debeant vel celebrari? Nunquid erant & Hieroſolymis Cretes & Arabes aliique permulti, quibus nec Græca, nec Hebræa, nec Latina lingua in vſu erat? Ergo debuerat & propter hos vnaquaque lingua titulum deſcribere Pilatus? Verùm præcipuas aſſumpſit, è quibus cæteri inſtrui poſſent à doctioribus, quantò magis in tremendis Miſſæ myſteriis? Nec eos audiamus, ait Beauxamis ad hũc locum, qui obmurmurant, ad inſtar iſtorum Iudæorum. Dicunt iſti: Noli ſcribere. Sic clamant Hæretici: Noli ea lingua myſteria diuina peragere. Verùm vt Pilatus ſuam ſcripturam, ita & nos Eccleſiæ traditionem cõtra eos confirmabimus, atque ſeruabimus. His tribus linguis putat Onuphrius Euangelia deſcripta eſſe: Matthæum Hebraïcè, Marcum aſſerit Romæ ſcripſiſſe Latinè: Lucas & Ioannes in Græcia ſcripſerunt Græcè. Hæc ille. De Marco quòd Latinè ſcripſerit, Richardus ex ordine prædicatorum in confutatione Alcorani c.3. & Armacanus, libro 9. de quæſtionibus

Beauxamys. *Onuphrius.*

ſtionibus Armenorum, Petrus de Natalibus, & Iac. de Voragine, Sermone de Sancto Marco, concorditer ſentiunt, & Genebrardus Pariſiẽſis Doctor Theologus, in ſua Chronographia ex profeſſo agens circa principia 7. ætatis, ſic ſcribit de Marco: Marcus Euangeliſta ſuum Euangelium conſcripſit Græcè ſiue etiam Latinè, vt volunt Rodulphus Armacanus, libr.9. de quæſtion. à Voragine, Sermone de Sancto Marco, & Syri vniuerſi, vt taceam eos qui Latinum archetypum adſeruari putant Venetiis in Marcianis theſauris. Sic ille. Et Ioannes Albertus VVidmanſtadius I.c. Epiſtola dedicatoria in Euangelium Syriacum, ſic circa finem: Marcum Euangeliſtam, ait, non Syri modò, ſed & Rodulphus Armacanus, & Voragenes Ianuenſis, Latina Italica-ve lingua in ſcribendo ſuo Euangelio vſum fuiſſe: Alijque multi ſacroſanctum eius Archetypum in Marcianis Theſauris Latinè conſcriptum adſeruari adfirmant. Nempe Armacanus lib.9. de quæſt. Arm. eſt Voragin. Sermone de S. Marco. Hæc ibi.

Milites partiti ſunt veſtimenta eius poſtquam eum crucifixerunt. Obſeruat Procopius Gazæus Sophiſta in Geneſ. c.28. *Procopi⁹. Gazæus.* ad verba Iacob. Si dederit mihi Dominus panem ad manducandum, & veſtem ad induendum: *ἱμάτιον*, eſt veſtis, qua ornamenti gratia vtimur, ea ſupra tunicam veluti. Quapropter mulier illa, quę attigerat fimbriam veſtis Saluatoris ſanata eſt. Erat enim peculiaris quædam virtus in ipſa. Nimirum ob eandem cauſam inter ſe contendebant milites ſinguli cupientes ea diuiſa habere partem: quaſi vtilis foret non ad induendum, ſed, quia vis quædam medicata in ipſa eſſet. Sic ille. Quam meliùs ergo ſapiunt iſti, prophanis Hæreticis qui omnes ſanctas reliquias deteſtandas cenſent, ignibúſque exurendas tradunt.

Primum verbum.

Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt. Prophetauit Iſaias c. 53. Ipſe pro tranſgreſſoribus orauit. *Cùm clamore valido & lachrymis preces offerens, Heb.5 Exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Sanguis Chriſti, ait idem *Hebr. 12. Melius loquitur quàm ſanguis Abel. Nam Geneſ. 4. Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, nempe vindictam contra parricidam, qui fratrem ſuum necauerat: Sanguis autem Chriſti clamat miſericordiam, & poſtulat pœnitentibus veniam. Ignoſce illis, inquit, Peierant Iudæi per hæc verba, Sanguis eius ſuper nos, &c. quòd condemnarentur,

Chriſtus

Christus contrà postulat vt illis indulgeatur. Patrem vocat non Dominum, quasi dicat: Ne iudices eos, vt Deus vltionum, sed parce eis tanquam pater misericordiarum. Virtute huius orationis Latro statim Christo se commendat: Centurio Christi innocentiam profitetur: alij reuertentes percutiunt pectora sua: multi deinde abiurata perfidia Iudaica ad Petri Coriphæi Apostolorum prædicationẽ conuersi leguntur in Actis cap. 2. & 4. Atque Christi exemplo Protomartyr Stephanus, *Act. 7. pro suis persecutoribus exorauit Dominum.* Similiter D. Iacobus frater Domini, vt de eo Sanctus refert Hieronymus, in Cathalogo scriptorum Ecclesiasticorum. Multa hic dicenda forent, de inimicorum dilectione: sed ex Euangelio quod feria sexta post cineres legi solet repetere poteris quæ fuerint necessaria. Subiungam tantùm memorandum illud, sed impium facinus, vltionis plenum, à Christi mansuetudine longè abhorrens, quòd Guaguinus libro 2. Historiæ Gallicæ commemorat, in Clotario his verbis: Fuit inter familiarissimos Clotarij aulicos Galterus Yuetotus Caletus, agri Rotomagensis apprimè nobilis, regij cubiculi primarius: Huic reliqui aulici inuident, nec desistunt donec irritatum illi Clotarium efficiunt pessimis susurris. Iurat Rex se hominem necaturum. Quo percepto Galterus illustris pugnator, cedere Regi irato constituit. Derelicta Francia in militiã contra Religionis Catholicæ inimicos pergit, vbi decem annis expletis, ratus Clotarium mitiorem effectum, Romam ad Agapitum pontificem se contulit, à quo ad Clotarium literis impetratis, ad eum Successione agentem se protinus confert: Veneris die (quæ Parasceue dicitur) cogitans religiosam Christianis diem ad pietatem sibi profuturam. Verùm literis Põtificis exceptis, cùm Galterum Clotarius agnouit, vetere ira tanquam recenti percitus, rapto à proximo sibi equite gladio, hominem statim interimit. Tam indignam innocentis necem Religioso loco & die celebri Pontifex ægrè ferens, confestim reprehendit: minatúrque excommunicationis sentẽtiam. Quam reueritus Rex Galteri hæredes, & qui Yuetotum deinceps possiderent, ab omni Francorum Regum ditione & fide liberauit. Eius terræ possessor Regem se Yuetoti hactenus sine cõtrouersia nominat. Contigit istud anno Domini 536. Vides Clotarium huius diei religione non motum, vt inueteratum deponeret odium aduersus Galterum: Cui vel hoc solo nomine

D. Hier.

Guaguinus.

nomine debuit reconciliari, & parcere amore Christi hac die pro nobis crucifixi, qui etiam pro crucifixoribus suis patrem exorauit. Tum etiam moueri debuit loci sacri intuitu. Veruntamen in templo die Veneris sancta supplicem sibi Yuetotum aliàs insontem atque innoxium, nec Deum reueritus nec homines crudeliter trucidauit. Rex furore plenus, suis etiam manibus vindictam exercens, prætensamque vltus est iniuriam. Cùm sola inuidia non crimen, eius mortis causa extiterit. Nos contra Christi exemplo inimicos diligere, atque pro persequentibus & calumniantibus nos orare oportet. Alioqui pro vindicta pœnas daturi æternas.

Secundum verbum.

Vnus ex latronibus dixit ad Iesum, Domine memento mei, &c. Cui Christus: *Hodie mecum eris in paradiso.*

Obserua huius beati latronis præclara facinora. Primùm quidem confitetur, dicens: *Nos quidem iustè, hic autem, inquit, quid mali fecit?* Socium item corrigit: *Neque, ait, tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Tum demum Christo se commendat, dicens: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* Quasi dicat: Si socij passionum, & consolationũ, ex diuino iure, Ego verò tibi socius crucis sum: ergo Gene. 40. Memento mei cum benè tibi fuerit, Dum veneris in regnum tuum. Declarauit se credere alteram vitã: Agnouítque illud Christi Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Regnum nimirum Christi per crucẽ agnoscens ex Psalm. *Regnauit à ligno Deus*, de quo supra. Non petit cùm socio eripi à cruce, nec confunditur cum Christo mori. Martyrem fuisse & baptismo sanguinis ablutum testatur D. Augustinus ex sententia D. Cypriani to. 7. lib. 1. c. 9. de anima & eius origine. Nemo fit membrum Christi nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo: vnde & latro ille, non ante crucem Domini sectator, sed in cruce confessor à Cypriano sancto, inter Martyres computatur, qui suo sanguine baptizantur quòd plerisque non baptizatis feruente persecutione euenit. Tanto namque pondere appensum est, tantúmque valuit apud eum qui hæc nouit appendere, quòd cõfessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando discipulorum marcuit, nisi cuius mortis terrore marcuerat, eius resurrectione reuiresceret. Illi enim desperauerunt de moriente: iste sperauit in D. Aug.

commmo

commorientem. Refugerunt illi auctorem vitæ: Rogauit ille consortem pœnæ. Doluerunt itaque tanquam hominis mortem: Credidit ille regnaturum esse post mortem. Deseruerunt illi sponsorem salutis: honorauit ille socium crucis. Inuenta est in eo mensura martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt qui futuri erant martyres. Et hoc quidem oculis Domini clarum fuit, qui non baptizato tanquam martyrij sanguine abluto, tãtam fœlicitatem statim contulit. Quis non consideret quanta fide, spe, charitate mortem pro Christo viuente suscipere potuit qui vitam in moriente quæsiuit? Idem ibi lib. 3. cap. 9. Latro ille quamuis potuerit iudicio diuino, inter illos deputari, qui martyrij confessione purgantur, tamen etiam vtrum baptizatus fuerit ignoras. Audis Beatum latronem inter Martyres computari, ex singulari Dei beneficio & priuilegio, quamuis propter crimina fuerit addictus supplicio crucis. Forte de rigore non dicendus esset martyr, sed quia Deus appreciatur fidem, atque intuetur cor, bonamque remunerat voluntatem, fauorabili causa martyrij, quòd ille perpessus est, computatur ei ad martyrium, ob animi ad martyrium prompti dispositionem & votum atque protestationem publicam. Bona voluntas apud Deum reputatur pro facto, vbi, articulus necessitatis ingruit. Et ad id quod citari solet, ex D. Augustino Martyrem non pœna sed causa facit. In hoc autem latrone elucet magis pœna, quàm pia causa, non enim propter iustitiam, sed propter latrocinia sua apprehensus est patibulo: igitur non est verus martyr. Respondendum esset quòd initio quidem propter crimen iustè damnatus est, sicut ipse ingenuè profitetur: *Nos quidem iustè*, inquit, *Nam digna factis recipimus.* Tamen quia Christum in tormentis veraciter confessus est, &, Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ex maxima Dei liberalitate martyr non incongruè appellari poterit. Nimirum ratione æterni præmij, quòd quasi martyr recepit confitendo, vel ratione confessionis, quàm in patibulo habuit: Sicut enim martyr sic latro inter pœnas Christũ confiteri non timuit. Atque ita ob piam causam, propter Christi nempe confessionem, quęcunque passus est posteaquàm Christum agnouit, illi imputantur, vt Christi martyri & confessori subiiciam D. Cypriani martyris illustre testimonium: Is, ex dispositione Pamelij, Epist. 73. De hæreticis baptizandis, ad Iubaia

D. Aug. lib. 3. cõtra Cresconium graui ca. 47. & in Psal. 34. conc. 2.

ad Iubaianum circa finem, sic scribit: Sanguine suo baptizatos, & passione sanctificatos consummari, & diuinæ pollicitationis gratiam consequi, declarat in Euangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem & confitentem loquitur, & quòd futurus sit in paradiso pollicetur. Idem in sermone de cœna Domini: Latrocinium damnationem meruerat, & supplicium: sed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & sanguinem in baptismum. Nota (amabo) hæc verba. Subiungit: Quid tu, Domine, ampliùs Stephano contulisti? Quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui super pectus tuum in cœna recubuit? Quid ampliùs Pauli meruêre sudores? Quid labores Sanctorum? Quid tot annorum tormenta? Quid martyrum plagæ? Vna hora huic collatum est præmium, ad quòd illi per tot discrimina peruenerunt. Si tu, Domine, armentarios statim facis Prophetas, Opiliones Reges, Telonearios Apostolos, Piscatores Doctores, Dei perfecta sunt opera. Idem de Passione Christi: in cruce latro confitens, non tantùm indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus præmissus est in paradisum, & factus est particeps regni per confessionem factus collegæ martyrij: Aduerte quæso. Illi verò blasphemo, quia de Domini desperauit potentia, nulla potuit subuenire clementia: Nec potuit illi crucis prodesse cōsortium, cuius malitiam non expiabat pœnitentiæ lauachrum. Sic ille, per Antithesim vtrúmque inter se comparans latronem. Iterum, De pœnitentia Dist. 1. c. Importuna ex D. Hieronymi to. 2. Epistolarum, ad Damasum Epistola quæ incipit: Importuna in Euangelio mulier &c. Christus, inquit in paradisum de cruce etiam latronem intulit: & ne quis aliquando seram conuersionem putaret, fecit homicidij pœnam martyrium. Scribit denique Eusebius Emissenus Homilia de Latrone Beato: Et si pœna cœperit in Latrone, nouo genere consummatur in martyre. Sed præstat aliqua ex eodem excerpere valde ad præsentem locum accommoda: Videamus quo tempore fidelis apparuit. Ecce inter signa atque virtutes attestantibus miraculis, & acclamantibus, aliquoties in discipulis mens iam robusta titubauit: Et nunc Christi suppliciis quodammodò contradicentibus, in latrone fides nouella conualuit. Sub ipso passionis tempore ab ancilla interrogatus vnus ex Discipulis Beatus Petrus peculiarius Christo cognitus ita respondit: *Non*

Decretū ex D. Hierony.

Eusebius Emissenus.

noui hominem istum. Et iste qui ante nõ nouerat, exclamat: *Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum.* Quàm singularis, & quàm stupenda deuotio! Sub illo tẽpore credidit reus, quo negauit electus. Aduertamus pleniùs quo tempore Dominum confitetur: Feruebat impietas persequentium, exultabat impietas blasphemãtium, contritio liuoris & vulnera, Christũ solum hominẽ demonstrabant: Sacrarum manuum in lignũ crucis extensio, & reuerenda cõfixio, per omnia infirmitatẽ hominis asserebat, tantùm abscõdebat Dominũ, Apostolis post diuina miracula desperãtibus, sol⁹ hic nõ adquiescit scãdalo crucis & mortis: Solus hic testis est maiestatis, qui soci⁹ probatur doloris.

Memento mei Domine, inquit, Non dixit, Si Deus es, de præsenti supplicio eripe me, sed magis, quia Deus, de futuro iudicio libera me. Videam⁹ quid inter ista respondeat diues & larga Dei bonitas: quæ sicut excidit vota, ita gratiam adiungit ad merita. *Hodie,* inquit, tanquam si diceret, Quid me, ô fidelis meus comes, & vnicus tanti testis triumphi, quid me tantoperè exorandum putas, vt in diem iudicij mei meminerim tui? Quid me ad præsentem retributionem paratum longè dissimulas? Quid in futura sæcula fidem in te perfectam fatigas? *Hodie mecum eris in paradiso,* tanquam in hæreditaria & paterna sede. Posteà subiungit: Christus positus in patibulo velut arbiter in medio damnatorum, negantem repulit, suscipit confitentem, hũc deputat regno, illum relinquit inferno. Post hæc ergo credamus in maiestate judicaturum, quem iam in cruce videmus exercere iudicium. Et post multa tandem subdit: Ne fortè dicat aliquis in corde suo: Non me vsque adeò contristet culpabilis vita: video sub momento, video sub exiguo spatio latroni crimina fuisse donata. Immittit Diabolus securitatem, vt inferat perditionem: Nec dinumerari possunt quantos hæc inanis spei vmbra decceperit. Deterreant quæso vos ab hac persuasione innumerabiles populi, sub tanta securitate nudi & vacui bonis, & malis pleni ex hac luce prærepti. Quotidiè expauescenda transitus nostri & commigrationis incerta hora: præueniendus est dies qui præuenire consueuit. Periculosissima est in vltimum diem promissa securitas. Odibile est apud Deum, quando homo sub fiducia pœnitentiæ in senectutem reseruatæ liberiùs peccat. Paulo supra dixerat. Irremediabile periculum est sic aliquẽ vitiis & cupiditatibus

fræna

fræna relaxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum: quia puto magna sit iam pœna peccati, metum ac memoriam futuri perdidisse iudicij. Caueamus ita peccatis & criminibus vitam ponderare, vt ad nos nõ respiciat prophetia illa terribilis. Nõ est enim, inquit, Deus in conspectu eius: polluuntur viæ eius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius. Ille autem de quo locuti sumus beatus latro, non iam iuxta viam insidias tendens, sed viam ipsam in Christo tenens, ac vitæ prædam subito rapiẽs immutato genere, & noua spolia de morte propria reportans: Ille nec salutis tempora sciens distulit, nec remedia status sui in momenta vltima infelici fraude posuit, nec redemptionis suæ spem in desperationis nouissimum reseruauit, Nec religionẽ ante nec Christum sciuit. Quod si sciisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior est factus in regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo quia ad consequendam fidem non fuit extrema hora illa, sed prima. Opus est ergo vt homo quotidiano actu prouideat & procuret bonam consummationem. Opus est vt tota vita nostra talis sit in conuersatione, vt liberari mereamur in fine, vt incessabiliter diem transitus nostri & tempus iudicij cogitantes, nos quoque cum latrone iugiter proclamemus: *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum.* Hactenus eloquentissimus ille Eusebius Emissenus Episcopus. D. Leo Magnus Sermone 4. de Passione Domini, circa Concionis exordium, sic mysterium explicat: Christus, inquit, filius Dei cruci, quam etiam ipse gestarat, adfixus est duobus latronibus, vno ad dexteram ipsius, alio ad sinistram, similiter crucifixis, vt etiam in ipsa patibuli specie mõstraretur illa, quæ in iudicio ipsius omnium hominum est facienda discretio, cùm & saluãdorum figuram fides credentis latronis exprimeret, & damnãdorum formam blasphemantis impietas prænotaret. Sic ille. De beato iterum latrone ait ibidem rursus: Cui propria impietas intulit pœnam, Christi gratia dat coronam. Sed animaduersione dignum fuerit, quod beatus ille latro exemplum est eorum qui nihil habent purgabile decedentes in charitate qui statim euolant ad cœlum, vt martyres & recens baptizati, qui si ex hac vita excesserint, mox recipiuntur in cœlum. Et, assertore D. Augustino iniuriam facit martyri qui orat pro martyre. Porro hic cum de latrone agitur nobis homo

D. Leo Pa.

D. Aug. serm. 17. de verbis apos.

proponitur, qui statim suscepto fidei & baptismatis sacramẽto in suo sanguine, decesserit. Non qui post susceptum hoc mysterium delicta multa commiserit. Vnde D. Augu. lib. de pœnitentia, quod & citatur de pœnitentia Distinct. 7. can. Nullus. Licet, inquit, latro veniã meruisset in fine, de omni suo crimine, nõ tamen dedit baptizatis peccandi & perseuerandi auctoritatem. Tunc enim baptizatus est, qui tunc primum in cruce Christum confessus est. Pœnitentia enim si in extremo vitæ hiatu aduenerit, sanat & liberat in ablutione baptismi: ita quòd nec purgatorium sentiunt, qui in fine baptizantur. Hæc ille. Non sic de his qui post baptismum peccata admiserunt, qui purgatione indigent, antequam regnum ingrediantur cœlorum. Latronis igitur exemplum nihil facit contra purgatorium, cõtra Caluinum, qui, vt citat Beauxamys ad hunc locum, suis in Euangelicam harmoniam commentariis eludi putat post hanc vitam purgatorias pœnas, simulque concludit cum culpa remitti & pœnam. At verò hallucinatur ille, in latrone isto, & fidelibus, quos commissis post baptismum susceptum peccatis mori contingit. Iste recens fuerat in suo sanguine baptizatus, atque in numerum martyrum ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus, relatus? Quinimò Domini voce primus ille fuit, vt ita dicam, canonizatus. *Hodie mecum eris in paradiso.* Non ergo purgatoriis pœnis opus habuit, cui hoc priuilegium collatum fuit. Sed neque priuilegia paucorũ legem faciunt. D. Gregorius Magnus Papa, lib. 18. Moralium capite 25. Expositione in Iob 28. capite de latrone sic scribit: In cruce claui manus eius pedésque ligauerant; nihilque in eo à pœnis liberum nisi cor & lingua remanserant. Inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberum inuenit: vt, iuxta hoc quod scriptum est, *Corde crederet ad iustitiam, ore confiteretur ad salutem.* Theologas virtutes cunctas subito repletus gratia & accepit latro, & seruauit in cruce: fidem namque habuit, qui regnaturum Dominum credidit: quem secum pariter morientem vidit. Spem habuit, qui regni eius aditum postulauit, dicens, *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Charitatem quoque in morte sua viuaciter tenuit: qui fratrem & collatronem pro simili scelere morientem, & de iniquitate sua arguit, & ei vitam quam non cognouerat prædicauit, dicens: *Neque tu times Deum qui in eadem damnatione es: Et nos quidem iustè: Nam digna factis recipimus:*

Decretũ.

Beauxamis. Caluinus.

D. Greg. Pa.

recipimus: Hic verò nihil mali gessit: Ille qui talis venit ad crucem ex culpa, ecce qualis à cruce recedit ex gratia. confitebatur Dominum, quem videbat secum humana infirmitate morientem, quando negabant Apostoli eum quem miracula viderant diuina virtute facientem. Hucusque vigilantissimus, iuxta nominis sui etymon, Ecclesiæ Pastor Gregorius. Ante illum Leo Magnus summus Ecclesiæ pontifex Sermone secundo de Passione Domini, de eodem scripserat. Insidiator viarum, & saluti hominum semper infestus, vsque ad crucem reus, fit Christi repentè confessor. *Memento*, inquit; *mei, Domine, &c.* Quæ fidem istam exhortatio persuasit? Quæ doctrina imbuit? Quis prædicator accendit? Non viderat prius acta miracula, cessauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum; ea ipsa quæ mox gerenda erant, non aderant; & tamen Dominum confitetur & Regem, quem videt supplicij sui esse consortem.

D. Leo Magnus Papa.

Hodie mecum eris in paradiso. Excedit humanã conditionẽ ista promissio, nec tàm de ligno crucis, quàm de throno editur potestatis. Hactenus ter maximus Leo. Semper plus Dominus tribuit, quàm rogatur. Rogabat latro vt sui memor esset Domin⁹ cum venisset in regnum suum: Dominus autem etiã cum assertione, & asseueratione, *Hodie,* ait, *mecum eris in paradiso*, Ibi Paradisus vbi Christus, vbi visio clara intuitiua atque beatifica verbi seu diuinæ essentiæ. Angeli quãuis versentur in terris nobiscũ, nos custodientes, attamen à paradiso non sunt extorres, neque gloria paradisi vlla in re frustrãtur, dicente Domino Mat. 18. *Angeli eorũ semper vident faciẽ patris mei qui in cælis est.* Sic anima latronis Christum sequuta, & comitata, etiã paradiso donata est, quãuis ad locum cæli Empyrei (qui est paradisus cœlestis) nõ antè Christi ascensum admissa fuerit: *Tunc scilicet cùm Christus ascendẽs in altum, captiuam secum duxit captiuitatẽ: iter pandens ante eos,* vt habent diuinæ literæ. Credidit Abraham Deo, sed de cœlo loquenti: Credidit Isaias, sed sedenti, super solium: Credidit Ezechiel, sed ei quẽ super Cherubin intuitus est: Credidit Moyses cum vidit in medio rubi ardentis: Sed iste credidit videns eum morientẽ in ligno crucis. Obserua bonum latronem, Sãctum Dimam vocari solitum. Horam illam vitæ, quam alij vltimam appellant, ego existimo esse primam appellandam. Non enim antea vixerat, qui mortuus erat in

peccatis & latroniis: vnde in Apocalypsi cuidam dicitur: *Nomen habes quod viuas & mortuus es.* Vnde & bonus latro ab eo puncto quo conuersus est, verè viuere cœpit. O magnam Dei misericordiam! Niniuitæ breui tẽpore sententiam damnationis suæ reuocant: & latro breuibus illis verbis, *Domine memento mei*, eandem reuocat sententiam. Quis de diuina clementia vlla ratione diffidat, cùm misericordiæ eius talia habeamus indicia & pignora, qualia hodie in latrone exhibita vidémus? Prodit Christum Iudas Discipulus, & latro confitetur, alter osculo magistrum suum véndit, alter multis plagis vulneratum, Deum esse prædicat. O fidem latronis admirabilem! vt quem crudelissimè vulneratum videt, ab eo veniam delictorum suorũ humiliter poscat: Magis eum latro diligit in cruce, quàm Iudas in cœna. Sed hæc de latrone sufficiant.

Tertium Verbum.

Stabat iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, &c. Stabat, inquam, corpore, quæ stabat etiam corde per fidem (quæ non vacillauit in ea sicut in Apostolis) & per virilem etiam constantiam firmato, stabat, nihil impotentis animi præ se ferens, nec in terram labens, nec capillos lacerans, neque pectus tundens ex impatientia, nullum immodestiæ signum vultu prodens. *Sic stabat mater dolorosa, iuxta crucem lachrymosa, dum pendebat filius*, vt canit de ea Sancta Ecclesia. Dolorem sanctissimæ virginis Spiritusancto plenius Symeon. *Luc. 2.* prædixerat: *Tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius.* Non autem gladius corporalis seu materialis. De quo in sacra passionis Dominicæ historia scribitur: *Qui acceperit gladium, gladio peribit, Matth. 26.* Sed gladius doloris de quo in Psalm. cùm de Ioseph incarcerato fit mentio: *Ferrum*, ait, *pertransiit animam eius, Psalm. 104.* nempe quia alienigenis, vt pote
Psa. 104. Ismaëlitis venditus, ab hero calumniatus falsóque accusatus, in carcerem item à nimium credulo hero cõiectus, vitam duxit ad tempus calamitosam, *Genes. 39.* Magnoperè exaggeratur apud Tob. capit. 10. tristitia Annæ propter absentiam filij sui iunioris Tobiæ, vbi dicitur: *Flebat mater eius irremediabilibus lachrymis, atque dicebat: Heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis.* Sic illa ô Anna, quid filium tuum deplo

deploras? quē Raphaël Angelus deduxit comitatúsque est, & saluum atq; incolumen in domū tuā reduxit? Relinque lachrymas matri crucifixi, cuius filius illa vidēte & spectāte atrociter à suo populo cruci cōclauatur, ac ignominiosissimè tractatur. Cū iussit Salomō 3. Reg. 3. infantē diuidi, Eius quę verè mater erat commota sunt viscera ait sacra historia: *Non enim potest obliuisci mulier infantē suā.* ✝ Quomodò igitur non mœreret Christi sancta parés, filioq; vteri sui vnicè caro, nō cōpeteretur? Si Sarrę ancilla Agar, Genes. 21. filiū suū moribundū deseruit, dicens: *Nō videbo morientē puerū*, Seditq; ait scriptura è regione procul, quantū potest arcus iacere. Et sedens contra leuauit vocē suam & fleuit. Recogitet pius animus quisnā fuerit, quantusve virginis matris dolor, quū filiū morientē ipsa vidit nec à cruce procul abfuit, *sed stabat iuxta crucē Iesu mater ei⁹*, inquit, testis oculatus, sanctus Euangelista ac Theologus *Ioā. 19. Ruth.* 1. dicebat Noëmi. *Ne vocetis me Noëmi*, id est, pulchrā, *sed vocate me Mara*, id est, *amarā, quia amaritudine valde repleuit me omnipotēs.* Verè Maria est nomē eius, hoc est amaritudinis mare, stella maris. Threnorum 2. *Magna est velut mare cōtritio tua, quis medebitur tui* & c. 1. *Posuit me desolatā tota die mœrore cōfectā.* Quā ob causam ab antiquis patrib. sanctissima Deipara Martyr appellatur. Sic enim to. 4. operum D. Hieronymi; in sermone de eius Assumptione qui Sophronio tribuitur; & apud D. Bernardum; sermone de verbis Apoca. 12. c. Virgo Maria plusquàm martyr dicitur. Quia in ea parte quę passibilis nō est, passa est, ingētes scilicet, acerbissimosq; cordis angores & dolores, cū doloris gladius animā eius pertransiuit. Licet igitur Christus mulieres ne super se flerent monuerit: Non tamen inde consequitur, quòd simpliciter non sit deflenda Christi passio. Monet enim princeps Apostolorum B. Petrus: Christo in carne passo, & nos eadem cogitatione armarit. Monet iterum vas electionis Paulus *Phil.* 2. *hoc sentire in nobis, quod & in Christo Iesu.* Monet & Christo cōpati, vt & ei conregnemus. Hinc sequitur plè & rectè quidem defleri Christi passionem, non tamen eo modo quo istę mulieres, quæ nihil de eius resurrectione sperabant. Non tamen diuinam virginem quæ secundum regulam fidei suos fletus dirigere regulareque nouerat, à lamentis omnino reuocauit. Quis igitur dolorem ac planctum in diua virgine calumniari audeat? Cor virginis doloris gladio transuerberatum est.

✝ *Esa.* 49.

Sophronius.

D. Bern.

1. Pet. 4.

Christũ. Sed accepit eam in sua officia (sub.) quibus ei diligenter & reuerenter obsequebatur, vt filius matri pientissimæ Græcè, *εἰς τὰ ἴδια*, id est, ad se, siue in propria (sub) obsequia gratiosa, vt scilicet illi reuerenter inseruiret.

Quartum verbum.

A sexta vsque ad horam nonam factæ sunt tenebræ super vniuersam terram, &c. Eusebius Emissenus Homil. de Beato latrone sic loquitur: Apertè rerum natura perspicitur cõmoueri, velut in vindictã auctoris sui velit armari. Terra ipsa concussa à fundamentis quasi quæ super crucem Deũ vix sustineat, tanquam ad scelus proprium contremiscit. Dies refugo lumine quomodò potest sumit lamentum, & fusco tristium tenebrarũ habitu more lugentis induitur: Et sicut tota cœli facies Dominicę natiuitatis gloriam noua luce testabatur, ita crucis iniuriam nouis tenebris detestatur. Et quæ durities cordis humani. Væ eis qui inter ista non credunt. Quandoquidem creatura insensibilis, quæ recipere non potest credulitatis affectum, dat tunc Deo confessionis obsequiũ. Et cùm pro solo homine Christus mortuus sit, perhibet ei tamen etiam pars illa mundi testimonium diuinitatis, ad quam non peruenerunt beneficia passionis. Hæc ille. D. Dionysius Areopagita suæ ætatis anno 25. in Eliopoli ciuitate Ægypti agens cũ Apollophane Philosopho, hãc solis prodigiosissimam Eclypsim perspexit, & annotauit, vt idem scribit Epist. 7. ad Polycarpum, & Epistol. vndecima ad Apollophanem. Et Michaël Singellus in eius encomio: Dionysium tunc dixisse refert: Ignotus carne patitur Deus, cuius gratia rerum vniuersitas densa hac caligine obscurata est. Item Atheniẽses Philosophi die Dominicæ Passionis videntes tenebras super vniuersam faciem terræ præter naturam, dixerunt, quia Deus naturæ patiebatur. Et dedicauerunt aram illi Deo cum titulo, *Ignoto Deo*: vt in Acta Apostolica capit. 17. commentatur, nostri instituti doctissimus scholiastes Lyranus, & Petrus Comestor in histor. Scholastica in Acta capit. 93. Gregorius Pachimeres scriptor Græcus ac Paraphrastes D. Dionysij, interprete Tilmanno Carthusiano, Paraph. in 7. Dionysij Epistolam, sic commentatur ad illa verba: Eramus tunc ambo apud Heliopolim, amboque simul incidentem mirabiliter soli lunæ globum notabamus (non enim eiusce coniunctionis tunc erat tempus) ipsamque rursus ab hora nona ad vesperam, ad Solis

Eusebi⁹ Emissenus.

D. Dion.

Michael Singel⁹.

Lyranus, & Comestor.

diametrũ supra naturę vires restitutam, Sic inquã ibi. Prę-ter rationẽ mathematicam cõtigit Eclypsis, & celebre illud deliquium Solis. Luna quippe erat decimaquarta ad Solem relata iuxta diametri rationem, quo quidem tẽpore nunquam aliàs contigit Solis fieri deliquium. Neque enim eclypsis solaris accidit, nisi Soli Luna inciderit, subque Solem intercalaris rectà suum peragat cursum. Tum verò importuna erat, & intempestiua ratio interlunaris Synodi. Sed & hoc admiratione dignissimum. Ab hora siquidem sexta ad nonam vsque ea contigit eclypsis, & à nona adusque vesperam, secundum diametrũ Soli Luna erat opposita. Adiicit Dionysius eam Lunæ incidentiam ab oriente cœpisse, & vsque ad solaris corporis finem peruenisse, ac tum demum resiliisse notauimus ego & Apollophanes. Rursus non ex eadem parte (vt assolet) & incidentia illa & repurgatio facta est, sed ex aduerso diametri. Hæc sunt quæ tunc temporis contigère Naturam profectò superantia ac soli Christo possibilia, qui author est omniũ, facitque magna ad stupenda quorum non est numerus. Ad quæ verba Paraphrasis est eiusdem Pachimeræ. Etenim in Solis eclypsi, quæ suo tandem ordine contingit, ex ipsa eadem parte solaris disci (est autem *δίσκος*, vt obiter istud dicatur, solare corpus) necesse est fieri incidentiam, tenebrarũ videlicet effusionẽ, & ex obliquo repurgationẽ, hoc est illustrationem. Die autem salutaris illius crucis alioqui ab oriente quamminimum coniuncta soli prodigiosam tamẽ illam edidit eclypsim. Oportebat autem illam rursus inferiori sibique proprio loco restitui, vt ordo illi connaturalis asseruaretur: Hinc contigit, vt sole rursus relicto abierit deorsum. Et hæc quidem eclypsis facta est, obscurata prius parte solaris disci respicientis orientem, deinde Luna totum subtercurrente Solem, cùm iã cœpisset inferiori sedi suæ restitui. Conueniebat hanc ipsam occiduam partem disci primùm deserente Luna, vt qua esset parte Orientem assequuta, secundum illam imprimis fraterno lumine perfunderetur. Hucusque Pachymeres. Tribus itaque rationibus docet ille non naturaliter factam esse eclypsim. Primò ex tempore Lunę quo ipsa soli opponitur, cũ tamen eclypsis fiat ex coniunctione Lunę ad Solem. Secũdò, quia obscuratio semper ab occidentali parte prouenit: Atqui tunc Luna ab Oriente venit vsque ad corpus Solis & tunc retrocessit. Tertiò, Quoniam ab eadem parte

inci

incipit obscuritas,& redit illuminatio, quod tunc minimè obseruatum est. Idem Pachymeres paraphasi in decimam Epistolam eiusdem Dionysij, sic ait: Solaris illa eclypsis, quo tempore Dominus Iesus à salutari cruce pendebat: hoc inquam prodigium incidit in annum regni Tiberij octauum & decimum. Exorsus enim est lucem effundere suę prædicationis Dominus noster Iesus Christus, Anno istius Tiberij quinto & decimo, quemadmodum Euangelium Lucæ planè diuinum declarat. Tribus autem annis vnà cum mensium aliquot accessione, vbi prædicationis munere perfunctus est, vltroneus se offert passioni Dominus simul & Deus noster Iesus Christus. circiter annum Tiberij octauum & decimũ: quo celebre illud Solis deliquium contigit. Sic ille. Comestor quoque in historia Euangelica c.175. scribit ad hũc modum: Athenis cùm inquisissent Philosophi causam tenebrarum nec inuenirent, dixit Dionysius Areopagita quòd Deus naturæ patiebatur. Et fecerũt ei aram,& superscripserunt, Ignoto Deo: de qua in Actibus Apostolorum cap.17. Legitur quoque in Eusebij chronico hoc modo: Scripsit Phlegon Olympiadum egregius supputator in 14. libr. dicens: Magna inter omnes, quæ ante eam acciderant defectio Solis est facta, Quarto anno 202. Olympiadis. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ cœlo visæ sint, terræque motus, in Bithinia Nicenæ vrbis multas ædes subuerterit. Hæc supradictus vir. Quæ omnia his congruunt, quæ in passione Saluatoris acciderunt, Anno, nimirum, vt patet ex eodem chronico Tiberij 18. quo tempore & in aliis Ethnicorum Commentariis hæc ad verbum scripta reperimus Solis facta defectio,& tenebræ super vniuersam terram, Bithinia terræ motu concussa & in vrbe Nicena ædes plurimæ corruerunt. Hæc ibi. Refert istud Phlegon scriptor Græcus Asiaticus (cuius etiam Suidas meminit) qui à Christi Ascensione anno circiter centesimo floruit vixitque. Suidas in Dict. φλέγον scribit. Phlegon Trællianus, libertus Augusti Cæsaris (quidam Adriani dicunt) historicus, scripsit Olympiadas libris 16. Sunt autem vsque ad Olympiadem ducentesimam vigesimam nonam, res vbique gestæ. Sic de Phlegõte Suidas Olympiade 229. vt patet ex Eusebij chronico, Moritur Adrianus. Imp. Ergo ad tempora illius peruenit hic Phlegon. Consentiunt,& in idem conspirant Plinius & Cornelius Tacitus, Prior lib.2. Nat. Histor. cap.84.

Comest. *Act.17.* *Chronicon Eusebij.* *Plinius & Tacitus.*

Maximus

Maximus terræ memoria mortalium extitit motus Tiberij Cæsaris principatu, 12. vrbibus Asiæ vna nocte prostratis. Posterior autem libro secundo Annalium de Tiberio agens: Eodem anno, inquit, duodecim celebres Asiæ vrbes conlapsæ; nocturno motu terræ, quo improuisior grauiorque pestis fuit. Neque solitum in tali casu effugium subueniebat in aperta prorumpendi, quia deductis terris hauriebantur: Sedisse immensos montes: Visa in arduo quæ plana fuerint: Effulsisse inter ruinam ignes memorãt. Quæ Taciti verba proferuntur ab antiquario doctissimo Sebastiano Erizzo (qui Italicè scripsit, *D'elle medaglie*) in eum finem, cum agit de nomismate Tyberiano pag. 173. & 194. Tiberiani nummi extant, monumentum beniuolentiæ & liberalitatis in adflictas vrbes, quibus inscriptum: Ciuitatibus Asię restitutis. Qua de re Suetonius in Tiberio §.48. Neque prouincias quidem vlla liberalitate subleuauit, excepta Asia, disiectis terræ motu ciuitatibus. Hæc ibi. Terræ motum verò huiusmodi in Christi passionis tempus incidisse, existimat nobilis Historicus Paulus Orosius presbyter Hispanus, Historiarum lib. 7. c. 4. sub finem, de Tiberio scribens, & Domini nostri crucifixione his verbis: Patibulo suffixus est, maximo terræ motu per orbem facto. Eadem quoque die ad horam diei sextam Sol in totum obscuratus, terraque nox subitò obducta terris est, & sicut dictum est.

Sebast. Erizzo Ital. *Suetoni⁹* *Paulus Orosius.*

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

Vsque adeò autem neque Lunam lumini Solis, neque nubes obstitisse manifestũ est, vt decimaquarta ea die Lunam tota cœli regione interiecta, longissimè à conspectu Solis abfuisse, & stellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte, toto cœlo fulsisse referatur. Quod non solùm sanctorum Euangeliorum fides, sed etiam aliquanti Græcorum libri attestantur. Deinde subdit: Sanè Asiæ ciuitates illo terræ motu dirutas, tributo dimisso, propria etiã libertate (legendum coniicio liberalitate ex Suetonio supra citato) donauit: Tiberius scilicet. Hæc Orosius, quæ rectè, an secus ad computationem Taciti quadrare possint paulò fusiùs expendendum: inquirentes primùm quo anno contigerit Terræ motus ille quo 12. Asiæ vrbes euersæ referuntur, Annalibus? Ex Tacito constat, Anno vrbis conditæ septingentesimo. Eodem, inquam, anno, duodecim vrbes conlapsas, qui annus vrbis. Ex Chronologia Gerardi

Gerardi Mercatoris exactiſſima, cõcurrit cum anno Chriſti 20. Chriſtus autem annum circiter 34. agens mortem in cruce ſubiit, feria ſexta luna decimaquinta, Anno quarto Olympiad. 202. Græca ſupputatione, ait idem. Quo poſito, videtur apertè totis quatuordecim annis, poſterius accidiſſe terræ motum illum qui contigit tẽpore paſſionis. Quod diligenter in ſuis Notis ad librum ſecundum Annalium Taciti obſeruauit Lipſius, dicens: Terræ motus huius mẽtio, Plinio (ſupra citauimus) &c. Bonum Oroſium quam fugit ratio, qui hunc tremorem terræ ad tẽpus refert mortui noſtri Seruatoris? Quod nos quidem ſcimus totis decima quarta annis poſteriùs fuiſſe ſcilicet agebant hoc fuco ſacræ literæ. De eodem Strabo lib. 12. ſub finem ex verſione Latina: Neque ea pro fabulis habenda ſunt, quæ de Sipylo & ſubuerſione eius dicuntur. Nam & noſtra ætate tremores terræ Megneſiam deiecerunt: quando & Sardes, & aliæ nobiliſſimæ vrbes ab iiſdem ſunt grauiſſimè adflictæ multis partibus. Imperator tamen inſtaurauit, pecuniã largitus, quod beneficij antè etiam Trallianus præſtiterat pater eius, cum eorum corruiſſet Gymnaſium: Itemque Laodicẽſibus, Sic Strabo qui illis vixit temporibus, vt verba eius declarant. Reſolutoriè ergo dicendum Plinium & Tacitum de illo terræ motu tempore Paſſionis Chriſti, nõ fuiſſe loquutos, ſed de alio quodã, qui per quatuordecim præceſſerit annos, vt ſuperiùs deductum eſt. Ex Phlegone autem & Dionyſio Areopag. ſupracitata eleganter conueniunt cum his quæ in paſſione Saluatoris acciderunt. Cum à ſexta ad nonam vſque, hoc eſt, à meridie vſque ad tertiã pomeridianam, vt eſt Matth. 27. & Marc. 15. idque tempore oppoſitionis Solis & Lunæ, factæ ſunt tenebræ moriente Chriſto ſuper vniuerſam terram. Quod nedum de Iudæa intelligendum eſt, vt aliqui reſtringunt, ſed longè rectiùs de vniuerſa terra, in tota latitudine & amplitudine ſua. Nam & in Ægypto, vt probat Dionyſius, & Athenis, vt ſuperiùs allegatum eſt viſa eſt eclypſis illa Solis prodigioſa. Mercator in Chronologia ſua cap. 3. De tempore paſſionis Domini: Lucianus, inquit, Antiochenus Martyr (quem citat Onuphrius in faſt. comment. pag. 909. a) cum iudicibus quorum tribunalibus aſtabat diceret: Perquirite in Annalibus veſtris, & inuenietis temporibus Pilati Chriſto patiẽte, fugato Sole interruptum tenebris diem: de eadem proculdubiò Solis obſcuratione atteſtatur. Quę quantùm ad ecly

Gerard. Mercat.

Lipſius.

Mercat.

Onuphr.

ad eclypsim illam pertinet, suffecerit commemorasse.

Circa horam nonã exclamauit Christus: Deus meus, vt quid dereliquisti me? Se derelictum à Deo dicit, non quantùm ad vnionem naturæ, nec quantùm ad gratiam, sed quãtum ad passionem. Poteſtque adaptari illud Isaiæ 54. Ad punctũ in modico dereliquite, scilicet vt patiaris ad extremũ de potentia, vt loquuntur scholæ. Tertullianus contra Praxeam Hæreticum Patripassianum Reliquit pater, dũ non parcit: *Proprio filio nõ pepercit ait Apostolus.* Reliquit dũ tradit, vt ait Isaias: Dominus eũ tradidit pro peccatis nostris. Rom. 4. *Traditus est propter peccata nostra.* Ita relinqui à patre, mori fuit filio.

Tertull.

Reliquisti me, &c. quia passus est ad extremum, sine vllo refrigerio in carne. Retinebat se diuinitas, nec succurrebat vel impediebat carnem & humanam naturam à perpessione. In aliis martyribus redundabant consolationes in tormentis. Ruffinus Hist. Eccles. lib. 1. c. 36. Adolescens, inquit, sub Iuliano Apostata Theodorus nomine, à prima luce vsque ad horam decimam tortus est, tamen lætus psalmum cantabat: Hunc ipsi nos postmodum apud Antiochiũ vidimus, Et cum requireremus ab eo si sensum doloris habuisset ex integro, dicebat se quidem dolores parum sensisse, adstitisse autem quendam iuuenẽ, qui sudanti sibi lintheo candidissimo & sudores abstergeret, & aquam frigidã frequenter infunderet, & ita se etiam delectatum, vt tũc mœstior factus sit, quando deponi de eculeo iussus est. In Martyrologio Adonis, tertio idus Augusti, de Sancto Tiburtio Martyre, Ante pedes eius carbones ardentes effusi, vt pedibus super eos nudis incederet, faciens signum crucis constanter super eos ingressus dixit ad Tyrãnum: Disce miser, quia mihi in nomine Domini mei Iesu Christi videtur, quòd super roseos flores ingrediar, quia creatura ipsa creatoris famulatur imperio. Hæc ibi. Sic in Martyres diuina cõsolatio radiabat, quę animũ à supplicis abduceret & diuerteret. Nõ sic in Christo. Etsi enim secũdũ superiores animi partes beatissim⁹ esset, ea tamẽ quę in fruitione est voluptas, in inferiores partes minimè resultauit. Sic diuina maiestas inferiores vires angi, mœrore & lãguore confici voluit, vt dũ superiora deliciarẽtur, inferiora quasi deserta essẽt vt esset copiosa per Christũ generis humani redẽptio.

Ruffinus.

Vt quid dereliquisti me? Nunquid Deus dereliquit Christum, Cum esse Deus in Christo, *mundum reconcilians sibi,*

vt ait

vt ait Apostolus? Cum esset Christus Deus, ex Iudæis quidem secundùm carnem, qui est supra omnia benedictus Deus in sæcula. an Deus dereliquit eum? Absit. Non enim reliquit pater filium, in cuius manibus filius spiritũ suum posuit. Sed nec sic derelictus est à Deo, vt separaretur diuinitas ab humanitate in ratione suppositi, verùm id tãtùm in ratione auxilij. Dicit enim Doctor Damascenus: Quod Deus assumpsit nunquam dimisit, quod scholæ Theologorum exponunt, quoad partes hominis essentiales. Semper enim verbum cum corpore & anima, & tridui tẽpore, verbum vniebatur corpori in sepulchro, & animæ ad inferos seu lymbum descendenti, nec hypostatica illa vnio disiunctis à se partibus separatáq; anima à corpore per mortem vllo modo violata est, sed illæsa permãsit. Hæc ergo verba non fuerunt diffidentis animi, vt blasphemantes dixerunt quidam hæretici: quam blasphemiam Caluinus ipse, ait Beauxamys ad hũc locum, ex sentina illa hausit & exsuxit. Dicit enim esse desperationis vocem in suæ institutionis cap.7.sect. 29. Sic enim habet. Hæc est miserrima abyssus sentire te à Deo derelictum & alienatum, & cum inuocaueris non exaudiri, perinde ac si in tuam perniciem ipse cõspirasset. Eò Christum videmus fuisse deiectum, vt coactus fuerit vrgente angustia exclamare: *Deus meus vt quid &c.* Sic ille. Atqui hanc impietatem retundit Psaltes, sic inducens Christum: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper quoniam à dextris est mihi ne cõmouear.* Sic idẽ Christus in Euangelio Ioannis cap.14. dicit. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam* Hactenus Beauxamys. F. Feuardentius nostri ordinis, doctissimus Theologiæ lector ac professor in facultate Parisiẽsi in suis aduersus hæreses Hugnosticorum Dialogis Gallicis, Dialog.5. aduersus 9. errorem. De filio Dei patiente, Caluinum ita scripsisse refert: Diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis Christus pertulit. Atqui Christus ἀναμάρτητος seu impeccabilis est, *qui peccatũ non fecit*, qui semper est in sinu patris, & sicut ipse Ioan. 8. dicit: *Qui me misit mecũ est: & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper*, Cui pater testimonium fert, dicens: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene cõplacui, Matt. 17.* Quomodò ergo perditi hominis cruciatus in anima pertulisset? Hic libet D. Polycarpi in Hæreticorum blasphemias Epiphonema, ex D. Irenæo apud Eusebiũ lib.5.c.19. Hist. Eccles. vsurpare: ὦ καλὲ θεὲ εἰς

2. Cor. 5. *Damas.* *Beauxamys.* *Caluin.* *Psal. 15.* *Ioan. 14.* *F. Feuardentius.*

ἐις

εἰς οὓς με καιροὺς τετήρηκας, ἵνα τούτων ἀνέχωμαι, hoc eſt: O bone Deus, in quænam ſeruaſti me tempora, vt iſthæc blaſphema ſuſtineam: Si hæc Apoſtolicus vir Polycarpus exclamaſſet, aures ſuas continens ad Florini cuiuſdam dogmata impia, ſi illum blaſphemantem audiſſet, qui ſolebat ad Hæreticorum blaſphemias in familiarem illam ſibi prorumpere vocem, quid nos facere conuenit, vbi Chriſti innocentia, ſanctitas, & iuſtitia, temeratur, conculcatur, & impiè proſcinditur? O crimē læſæ maieſtatis diuinæ! Idem amicus noſter Feuardentius contra hæreſim decimam tertiam præfato loco, diſertè explicat, Nunquam omnino filium à patre ſuo tempore paſſionis fuiſſe deſertum & derelictum. Secūdùm corpus quidem omni deſtitutus eſt miraculoſo auxilio, diuinóque contra perſecutores præſidio. Neque enim in his doloribus ſecucurrit ei pater cæleſtis, neque eum defenderunt legiones Angelorum: de quibus Petro dixerat, Matth. 26. *An non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum? Sed oportet ſic fieri.* Neque illi adfuerunt Apoſtoli, *ſed derelicto eo omnes fugerunt. Mat. 26.* Non fuit qui eum conſolaretur. Nec diuinum verbum carni prębuit auxilium, contra liuores, vulnera & cruciatus, ſed pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, omnium acerbiſſimam mortē, vt D. ſcribit Petrus, & ad patrem exclamauit, *Vt quid me dereliquiſti?* tam atrociter & contumelioſè ac indignè ab impiis tractari? omnis generis moleſtias & tormenta perpeti extremos ſuſtinere dolores, & mortem ipſam crucis? Sed placet hunc elegantem diſcurſum gallicum inſerere. Sic enim piè meditatur memoratus noſter Feuardentius.

Mon Dieu qui ſauua Noë du deluge, Abraham de Chaldee, Iſaac de l'eſpee de ſon pere, Iſraël de la tyrannie d'Egypte & de l'Ange exterminateur, Iacob de la main d'Eſau, Ioſeph de celle de ſes freres, Dauid de celle de Goliath & Saul, Ionas du ventre de la Balene, trois hommes compagnons de Daniel de la fornaiſe embraſee, & Daniel des dents & griffes des Lions, Suſanne des faux iuges & bourreaux, Tobie du crocodil & eſprit maling. Ezèchie de la mort, Ieremie de la baſſe foſſe & ſaccagement Ieroſolymitain: Pourquoy as tu abandonné, & ſans aucun ſecours miraculeux totalement expoſé toutes les parties de mon corps, en toutes eſpeces de tourmēts & douleurs, & ſelon l'inferieure partie de mon ame, en toutes angoiſſes & detreſſes mortelles? Iuſques icy eſt le diſcours. Interſeram quæ Porchetus in ſua contra

Daniel.

Hebræos

Hebræos victoria par.1.ca.16.ſcribit ad verba illa:vt quid me dereliquiſti? Nempe, ait ille, Iudæis ad illudendum, conſpuendum,flagellandum, crucifigendum, & occidendum,quod eſt Pſalm.21.principium, *Eli eli lamma ſabatani?* Non quærit hoc Chriſtus, à Deo ſuo ignorando, vel conquerendo,vel Deum arguendo:ſed vt audientes excitaret ad ſalubrem ſuæ paſſionis conſiderationem & fidẽ, Cuius prædictus pſalmus expreſſiuam cõtinet qualitatem. Sicut dixit Deus Iudæis Ezech. 33. Et quare moriemini domus Iſraël?Non vt ab eis hoc addiſceret,ſed vt eos ad conſiderationẽ ſuæ perditionis ſalubriter excitaret: Sic Chriſtus ſecundum quod erat homo, vociferando quæſiuit à Deo, vt quid eum dereliquit Iudæis?Sic ille vbi ſupra Feuardẽtius Dialogo 5.Rurſus contra decimam quartam hęreſim, Quòd Chriſtus non ceciderit in deſperationem contra Caluinum, Har.in 27.Matt.dicentem illum deſperatione obreptum &c. Quòd tam à ratiõe alienũ eſt,& à vero abhorrens,vt mera ſit blaſphemia,adeò prophanè de Chriſti innocentia loqui. Quis vnquam ex Turcis in Alcorano: Quis ex Iudæis perfidis in Thalmud vel Cabala: Quis ex paganis in Comediis aut ſcriptis theatricis adeò impiè Seruatorem omnium Chriſtum, vnicum Dei filium blaſphemauit vnquam? Annon Sanctus Euãgeliſta Ioan.13.diſertis verbis de Chriſto profitetur,ſciẽs quia à Deo exiuit & ad Deum vadit, *Venit hora eius,vt tranſeat ex hoc mundo ad patrem ibidem.* Iterum ca.16. *Relinquo mundum & vado ad Patrẽ,* Et, *Vado ad eum qui me miſit, & rurſus De iuſtitia quia vado ad Patrem & iam non videbitis me*: quòd ſic D. Chryſoſtomus interpretatur, de iuſtitia non mundi, ſed ipſius Chriſti, quòd ſcilicet irreprehenſibiliter vixerit. Cuius ſignum eſt:quia vado ad patrem.Cùm enim Iudæi frequenter accuſarent Chriſtum quòd à Deo non eſſet dicentes: Ioan.9. *Non eſt hic homo à Deo &c.* Et peccatorem, tranſgreſſorémque illum aſſererent, ibidem: *Da gloriam Deo, ſcimus quia hic homo peccator eſt,* hinc omnis calumnia amouebitur, quia ad patrem vado, & apud illum permanebo: ille me gratanter excipiet. Cui interim exoſi ſunt peccatores & impij. *Non enim Deus volens iniquitatem eſt, Pſa.5.& odio eſt Deo impius & impietas eius,Sap.14.* Qui fieri ergo potuit vt in deſperationis barathrum ac voraginem prolaberetur, horret animus vel id ſolùm cogitare, qui certiſſimus erat de ſua apud patrem æterna manſione,

Caluin⁹.

D.Chryſoſtomus.

glorificatione, & consolatione inanissibili perpetuóque
Ioan. 12. duratura. Venit vox de cœlo Ioan. 12. dicens: *Et clarificaui & iterum clarificabo. Nunc princeps huius mūdi eiicietur foras,* ait ibidem Christus. Quòd si foret peccato obnoxi⁹, quomodò expugnasset & vicisset diabolum? qui dicit c. 16. De iudicio autem, *quia princeps huius mūdi iã iudicatus est.* Rursus c. 12. *Omnia traham ad meipsum,* quomodò ergo detractus esset excidissetque à sua in patrem fiducia? qui est nostræ prædestinationis, electionis & sanctificationis atque salutis author, & caput, nunquamque destitit esse mundi saluator, *Nec aliud est nomē sub cœlo datū hominibus,* ait vertex Apostolorum Petrus Actuū 5. *in quo oporteat nos saluos fieri,* quomodo de sua potuisset dubitare salute? Tã impossibile est in sanctū sanctorum cadere desperationē, *quàm quòd sit societas luci ad tenebras & couentio Christi ad Beliab: Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Qui autē cōsensus templo Dei cū idolis?* Vt scribit Apostolus. *2. Cor. 6.* Nō secompatiūtur summa benedictio & extrema maledictio, infernus inferior perditorum & dānatorum, atque cœlestis paradisus. Qui certiorem reddidit beatum latronē effecítque securum his verbis: quæ procedūt de labiis eius, nec irrita fieri vlla potestate possunt: *Fidelis est enim Deus, negare seipsum non potest. 2. Tim. 2. Est autē Deus verax,* sicut scriptū est, Psal. 50. *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas*
Rom. 3. *cùm iudicaris*, ait Paulus, Rom. 3. *Et impossibile est mentiri Deū. Heb 6.* Dixit autē & pollicitus est latroni: *Hodie mecū eris in paradiso.* Ergo eo ipso die Christus erat in gloria Dei patris in paradiso, & beata fruitiōe diuinæ visionis. *Omnis igitur lingua confiteatur,* aduersus ἄθεον δόγμα, *quia Dominus*
Philip. 2. *Iesus Christus in gloria est Dei patris, Philip. 2. Exurge Domine, & iudica causam tuã,* inquit Diuinus ac Regius Vates. *Qui*
Gen. 27. *maledixerit tibi, sit ille maledictus Genes. 27.* Hæc sufficiant.

Hic opportunè subiiciam quod in Patrum scriptis legitur Dæmonem stetisse super brachium crucis, & considerasse an aliquid peccati in Christo inueniret. Vnde dixerat Dominus Discipulis in cœna, Ioan. 14. *Venit princeps mundi huius,* hoc est amatorum mundi, *& in me non habet*
D. Greg. Papa. *quicquam.* Vbi Diuus Gregorius homil. 39. Versans illud, ait: Cogitãdum nobis quàm rabidus, quàm terribilis sua in nobis opera requirēs in die nostri exitus princeps mundi huius veniat, si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæsiuit, in quo suum inuenire nihil potuit.

potuit. Sic ille. Arrige aures Caluine, nihil quod suum esset inuenire potuit Dæmon, tametsi quæsierit in Christo. Si in desperationem prolapsus fuisset & diffidentiam, vt tu impudētissimè & impiissimè garris & debiateras, quomodò, cùm desperatio grauissimum sit peccatorum, nihil in eo inuenisset Diabolus? Venerabilis Beda tom. 4. operum, expositione allegorica in Tobiam ad verba: exiuit Tobias vt lauaret pedes suos ad fluuium Tigrim, Et ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum. Occurrit, ait ille, Tobiæ piscis, deuorare illum cupiens: Et Domino passo in cruce venit Diabolus qui eum crucifigi docuerat, quęrēs si quid fortè in eius anima sceleris inueniret. Idem habetur in Scholastica historia super Tobiam, ex Comestore. Eusebius iterum de demonstratione Euangelica libro 10. Demōstrat. 8. quum adhuc Christi corpus in ligno esset suspensum, circa hunc aërem versantes incorporeæ potestates circum ipsum, quasi crudiuoræ aues & feræ aduoluebantur, & ad mortuum citò futurum corpus ipsius, vndique confluebant Dæmones circum terram in aëre volitantes. Credibile autem est vidisse infernas quoque ac tartareas belluas agrestes. Hæc itaque omnia conspiciens suum extrinsecùs cruci affixum corpus in orbem cingentia, multitudinem eorum collectam describit dicens: *Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me: Aperuerunt super me os suum &c* Etenim dum animam humanam & cæteris similem, nec amplius præterea quicquam arbitrantur, quòd in corpore Iesu habitabat, beluæ aperuerunt ós suum, vt quemadmodum alias hominum animas cōsueuerant, ita etiam hanc deuorarent. *Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens. Erue à framea Deus animam meam: Salua me ex ore Leonis, & à cornibus vnicornium vnicam meam.* Quibus verbis illum arbitror significare infernas potestates. Ex his alia framea dicitur, intenta in animam Saluatoris nostri: alia ipsi morti est canis: alia item maligna quædam potestas: Omnium illic ferarum princeps, quæ Leo appellatur, latum habens mortis os diductum, vnà cum cæteris quæ ad inferos descendunt: illius quoque animam deuorare conata sit: Aliæ prætereà quædam malignæ & Deo rebelles potestates aduersus Dei vnicornem nitentes. Hactenus Eusebius vltimo capite & fine totius illius operis. In hoc quòd Dominus confidenter orauit: *Erue à framea &c.*

Venerab. Beda.

Comestor. Eusebius.

Iterum, *Salua me ex ore Leonis*, atque etiam ex postremis eius verbis, *Pater in manus tuas &c.* Patet contra Caluinum non deposuisse Christum suam erga patrem diuinam fiduciam: Sicut ergo Tobias iunior exenterauit piscem, & interfecit, præualuitque aduersus illum, Tob.6. Sic Christus, benedictum illud semen mulieris, de quo Genes. 3. *Ipsum conteret caput tuum, contriuit capita Draconum*, vt scribit Psalmographus. Nempe fortior eo superuenit, & vniuersa arma eius diripuit Luc.11. *Vicit Leo de tribu Iuda*, Radix Dauid, vt dicitur in Apocalypsi cap.5.

Tob.6. Genes.3.

Tenebræ tribus horis durauerunt. Sic & figuram Christus impleuit quæ de Moyse legitur, *Exod.c.10. extendit Moyses manum in cœlum, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco vbi erat.* Vbicunque autem *habitabant filij Israël, luxerat.* Istæ autem tenebræ breuiores fuerunt, sed horribiliores, quia nedum in Iudæa, nedum in Ægypto contigerunt, sed per vniuersum terrarum orbem, vt fusiùs supra diximus, inuectæ sunt in vltionem sanguinis Christi ac mortis eiusdem horrorem. Vt implerentur vaticinia & Prophetiæ. *Amos c. 8. Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis, & conuertam festiuitates vestras in luctum &c. Ezech. 32. Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum, Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus.* Sed tempus est, vt ad sequentia pergamus.

Exod. c. 10. Amos c. 8.

Quintum verbum.

Sitio &c. Dicebat Sampson, Iud. 15. En siti morior. Verùm ô ingratitudinem! loco aquæ datur ei acetum felle mixtum, impletúrque illud Psalm. 68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto:* pro manna scilicet fel, pro aqua de petra, datur ei acetum. O mortalium nequissimos & ingratissimos: Quis inter tot tormenta vel aquæ guttulam, aut calicem aquæ frigidæ sitienti Christo porrexerat? Quis non diuturnis afflictionibus languens & siti aridus non conficeretur? Esaias quidem (vt in Euangelio de cæco nato me dixisse memini ex Epiphanio) cùm Manassis Regis mandato, medius serra dissecaretur: de quo illud Pauli: Heb.11. intelligitur, & ab antiquis patribus exponitur: Secti sunt, in occisione gladij mortui sunt, siti laborans quasi deficiebat: Sed tu, ô bone Deus, ei fontem aquæ viuæ aperuisti, qui fons Siloë, de quo Ioan. 9. in hunc

Psal. 68.

hunc vſque diem nominatur: Ecce ſiti languet filius tuus nec à quoquam illi conſolatio præſto eſt. Et Sampſon quidem vnde biberet ac refocillaretur, ex maxilla aſini, inſigni quodam miraculo, habuit: Chriſtus verò pro aqua acetum deguſtauit, & cùm guſtaſſet, ait Euangeliſta, noluit bibere. Puero Iſmaëli ſiti deficienti, demonſtratus eſt ab Angelo puteus aquæ, ex quo Agar mater eius hauſit, & impleuit vtrem deditque puero bibere: Nunc autem ſitit Ieſus, & denegatur ei aqua ad refrigerium 2. Reg. 23. Cùm eſſet Dauid in præſidio porrò ſtatio, Philiſtinorum eſſet in Bethleem, deſiderauit Dauid aquam de lacu & ait; O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna qui eſt in Bethleem iuxta portam.

Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethleem, & attulerunt ad Dauid, At ille noluit bibere: ſed libauit eam Domino dicens: Num ſanguinem hominũ iſtorum qui profecti ſunt, & periculum animarum bibam? Mirum dictu! Dauidi attulerunt aquam cum periculo animarum ſuarum viri fortes, quàm ebibere noluit, ſed Domino libauit: Chriſto autem Dauidis filio, nullus aquam in refocillationem retulit, Sed (vt Doctores contemplantur) noſtram potiùs ſitiebat ſalutem, quàm aquam materialem. Ille quondam dicebat Samaritanæ Ioann. 4. mulier da mihi bibere. Ille apud quem eſſet fons vitæ (vt ait Pſalmographus) quique omnes ſitientes inuitat ad ſe, dicens, *Ioan. 7. Si quis ſitit, veniat ad me & bibat:* ille ipſe eſt qui nunc clamat: *Sitio,* & datur ei acetum. Habet victoria Porcheti contra Hebræos parte 1. cap. 16. ſequentia. *Victoria Porcheti.*

Scribitur in libro Samſedrin in Perek. mugmar hadim, id eſt, condemnatus iudicio, Dixit Rabbi Hazda Egreſſus ad occidendum potabatur puluere incenſi in cypho vini, quaten⁹ repararetur ſenſus ei⁹ ab eo, ſicut dictũ eſt. *Prou. 31. Date ebriatiuũ perdito, & vinum amaro animo.* Mulieres honeſtæ erant in Hieruſalẽ quæ ſponte mittebant eiuſcemodi hæc Talmud. Nota quòd bonũ vinũ ad hoc miſſum Domino Ieſu, & aliis crucifigendis cũ eo biberunt Iudæi. Sicque impleta eſt Prophetia, quam lõgè ante dixerat *Amos, c. 2. Et vinum damnatorum bibet domus Dei eorũ.* Quaſi dicat: Vinum dãnatorum, id eſt duorum latronum bibet domus Iſraël: & quod maioris erit facinoris vinũ Dei eorũ. Non debet aliquis incõueniens reputare, quòd factum

adınodùm paucorum Iudæorum, attribuitur domui Israël vel Iuda. Erant namque ibi non solùm multitudo populi facientibus quod dictum est, cõsentientis, sed etiam eorũ, de quibus Mat. 27. legitur: Similiter & principes sacerdotũ illudentes cum scribis & senioribus dicebant: *Alios saluos fecit &c* Modus quoque est Scripturæ diuinæ ascribere quandoq; multitudini, quod etiã ab vno solo factũ est, vt habetur in Iosue c. 7. *Et dixit Dominus ad Iosue: Peccauit Israël, & transgressi sunt pactum meum quod præcepi eis, & acceperunt de anathemate.* Ecce qualiter Dominus atttribuit Israëli, quod solus Achã perpetrauerat. Myrrhã igitur pro incẽso & bono vino bibito, & acetũ cũ felle mixto, propinauit Iudaïca falsitas Domino Iesu Christo. Et tũc impletum est, quod Psal. 68. hoc modo scriptum est: *Et dederunt in escam meam fel, & ad sitim meam potauerunt me aceto.* Hactenus Porchetus. Antequã Lyranus adnotauerat in Matt. 27. ad verba illa.

Lyran⁹.

Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, &c. Scribitur in quodam libro Hebraico, qui apud eos inscribitur, liber iudicum ordinariorum, Quòd quia Salomon dixerat, Prouer. 31. *Date ciceram*, id est, potũ inebriatiuũ mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo, vt bibant & obliuiscantur egestatis suæ & doloris sui non recordẽtur amplius: Ideò ex occasione huius verbi, seniores Iudæorum statuerant, vt condemnatis ad mortem daretur vinum aromaticum ad bibendum, vt faciliùs tolerarẽt passionem. In Hierusalem autem erant matronæ deuotæ & compassiuæ quæ hoc vinum dabant ex deuotione. Iudæi igitur ex nimia crudelitate moti, tale vinum datum pro Christo, & aliis duobus cum eo crucifixis, acceperunt sibi, secundum quod dictũ est, *Amos 2. Vinum damnatorum bibebant, &c.* Et loco eius posuerunt acetum cum felle mixtum. Sic ibi.

Sextum Verbum.

Cum accepisset Iesus acetum, dixit, *Consummatum est, &c.* Consummatę atq; impletę sunt scripturæ Prophetarũ de me, vaticinia ac oracula. *Luc. 24. Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me.* *Luc.* 18. anteà prędixerat ipse, *Consummabũtur omnia quæ dicta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gẽtibus & illudetur*, quę sequũtur. *Heb. 5. Cõsummatus factus, est omnibus obtẽperantibus sibi causa salutis æternæ.* Psal. 118. *Omnis cõsummationis vidi finẽ. Heb. 2. Decebat authorẽ salutis per passionem*

sionem consummari. Christus ad patrem dicebat, *Ioan 17. Ego te clarificaui super terrã: opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam.* Consummatú est Christi sacrificiú in cruce: Consummata hominis redemptio atq; salus per Christi mortẽ: Cõsummata quęcunq; Sibyllinis oraculis pręd icta fuerant, quorũ fragmenta (quæ Christi passionẽ concernunt) à Lactantio† & D. Aug. libr. de Ciuitate Dei referuntur. In summa, Christus ad finẽ & consummationẽ omnia perduxit. De quibusdã dicitur: *Hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare.* Luc. 14. Sed Christus. *Ioan. 13. vsque in finẽ dilexit eos. Finis coronat opus.* Ideoq; authorẽ fidei & cõsummatorem Iesum appellat D. Paul. Heb. 12. Nã, vt idẽ ca. 10. scribit, *vna oblatione consummauit in sempiternũ sanctificatos.* Sed hoc loco obiiciunt Hęretici: Consummata est omnis sanctificatio vnico sacrificio: Sit ita: At quid ergo Missa valet, cùm Christus consummauerit omnia? Respondeo, Ipsam sanctificationẽ applicari oportere per Sacramenta & liturgiã siue Missam. At quia cõsummauit in cruce omnia, non iam opus baptismo: Quorsum ergo ipse disertis verbis in cœlũ ascensurus mandauit, *præcipiens baptizare omnes gentes in nomine Patris, & Filij & Spiritussancti:* Matt. vltimo, & Marc. vltimo quoq; capitibus. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit,* Annon *lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo? Apoc. 1.* Cur ergo opus *lauachro regenerationis & renouationis Spiritussancti?* vt scribit Apostolus, *quomodò suam ipse sanctificauit Ecclesiam mundans eam lauachro aquæ in verbo vitæ?* Ephes. 5. Nisi quod consummatio quidẽ in cruce facta est sed applicatur quotidie in baptismo qui efficaciã suã haurit ex sanguinis Christi merito, & thesauro passionis. Quæ enim ei inest sanctificatio, ab illa in cruce consummatione dependet. In cuius rei confirmationẽ & cõprobationẽ, de Christi latere exiuit sanguis & aqua, vt posteà obseruabimus. Consummatio igitur illa quotidianã applicationẽ non tollit, quæ fit in sacrosancta & incruenta oblatione cùm per illam Christi pro nobis semel mortui meritum applicetur. θυσία ἀναίμακτος ἐξιλάσμος, ait sanctus Athanasius Hæreticorũ malleus, & fidei orthodoxæ columnæ atque murus inexpugnabilis, immortali nomine (iuxta vocabuli etymon) dignissimus. Qui plura de sacrificio voluerit, ad concionem de sanctissima Eucharistia recurrat. Nunc ad septimũ & postremum domini verbum accingamur.

† *Lact. lib. 4. de vera Sapientia.*

Septimum Verbum.

Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, &c. D. Antonius, c. 6. de Passione Christi tit. 5. §. 7. Commẽdo, inquit, in manus tuę potestatis, ad carnẽ resumendũ: In manibus tuæ misericordiæ & benignitatis, ad visitandũ animas quę erant in pœnis tenebrarum. In manibus tuæ voluntatis: vt semper tibi ab ea deseruiatur. Sic ille. Patrem inuocando seipsum Dei filium esse declarat: spiritum verò commendando non defectum suę virtutis, sed confidentiam eiusdẽ cum patre potestatis insinuat. Hæc Venerab. Beda lib. 6. in Lucam, c. 94. ad 23. c. interpretans hęc verba: *In manus tuas.* Addit insuper: Commẽdatq; patri spiritũ, iuxta hoc quod delectato corde, & exultantibus spe resurgendi labiis in alio psalmo loquitur: *Quoniam non derelinques animã meã in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Sic ille. Quæ psalmi verba apertè indicãt animã Christi in infernũ descendisse: sicut habet expressus fidei in Symbolo Apostolorum, articulus, *Descendit ad inferos.* Vt scilicet inde patres in sinu Abrahæ seu lymbo detentos educeret, & ad cœlos vnà secum perduceret, sempiterna diuinæ visionis fruitione gauisuros. Quò referenda est Prophetia Zachariæ nono interprete doctissimo Lyrano nostro: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo nõ est aqua.* Ad Christum sermo est, qui virtute sanguinis sui in cruce effusi, qui quidem confirmatio est & obsignatio noui testamẽti Mat. 26. Eduxit patres in inferni limbo detẽtos. Hęc paraphrasticώs Lyran⁹. Adde quod apud D. Cyprianum sermone de Passione Domini legitur: Impossibile erat illam sanctam animam tuam teneri ab inferis, & corrumpi carnem tuam in sepulchro: quia vbi in præsentia illius effractis inferis est captiuata captiuitas, pręsentata victrice anima in conspectu partis, ad corpus suum sine dilatione reuersa est, & appropinquauerunt saluti qui lõgè erant à salute, & inter mortuos liber, morti obnoxios perpetua libertate donauit. Sic ille. Vetustus auctor. Tantum ergo abest vt secundùm Caluinicam blasphemiam, Christi anima in inferno seu limbo patrum, quicquã passa, vel ad modicum, fuerit: vt inde potenter captiuam illã patrum captiuitatem eduxerit limbum seu sinum Abrahæ prorsùs auferendo: vt scribit Franciscus Sonnius Theologus & Episcopus, in Expositione Symboli, loquens de infernis ad quæ descendit Christus capite secũdo. Mox post cruci

D. Ant.
Psal. 15.
Lyran⁹.
Sonni⁹.

crucifixionem suam confringens illius portas, vectes ferreos atque repagula, hoc est omnem vim & potestatẽ vltra retinendi purgatas animas Sanctorum: quemadmodũ à multis retrò sæculis canit Ecclesia: *Inferni claustra penetrans, tuos captiuos redimens, victor triũpho nobili, ad dexteram patris residens*. Idem ca. 11. Limbus redemptione Christi ex toto sublatus est, cum descenderet ad inferna. Sed hęc obiter de Christi descensu dicta sunto. Ipsius exemplo Protomartyr Stephanus *Act. 7. exclamauit: Domine Iesu suscipe spiritum meũ*. Et quamplurimos sanctos hæc habuisse postrema in ore verba, in probatis sanctorũ vitis legimus, In manus tuas, Domine commendo spiritum meum. Sint & mihi, per te Iesu Christe, supplex obsecro, hæc vltima nouissimáque verba, cum salutiferæ crucis munimento. Amen.

Inclinato capite emisit Spiritũ &c. Ideò inclinat caput bonus Iesus, vt significaret, quòd propter patris obedientiã moreretur. Prius inclinauit caput, posteà emisit spiritũ vt significaretur, quòd nisi pater sibi per obedientiam mandasset, ex hac vita nõdum excessisset, licet immẽsi essent labores, quos ibi patiebatur, vt sui erga nos amoris magnitudinem declararet. Sic edocemur perseueranter obedire Christi Domini exemplo: Philip. 2. *Factus est patri obediens vsque ad mortem*. D. Bernardus Epistola 42. Christus, inquit, dedit vitam, ne perderet obedientiam. D. Bern.

Clamans voce magna expirauit. Quod diuinum fuit potiusquàm humanum. Morientes enim quando spiritum emittunt nec minimum verbum valent proferre. Christus autem cum clamore valido dicẽs: *Pater in manus tuas &c. expirauit*. Vnde sequitur.

Centurio videns quia hic clamans expirasset, ait: *Verè hic homo filius Dei erat*. Marc. 15. Fatetur hominẽ & sanctũ, atque etiã verè Dei filium, & coram ingenti multitudine confitetur. Vides effectũ & energiam siue fructũ vberẽ orationis Christi, *Pater ignosce eis*, in huius Centurionis admirãda stupendaque conuersione, & fidei publica professione.

Monumenta aperta sunt &c. Præcesserat in Eliseo figura, 4. *Reg. 13*. Quidam sepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, reuixit homo, & stetit super pedes suos. Sicq; mortuum prophetauit corpus eius, vt dicitur Eccl. 48. hoc est propheticã exibuit virtutem & per exhibitam virtutem declarauit eum verum fuisse Pro-

phetã, dum iniectũ fortè cadauer in sepulchrũ ipsius reuixit ad tactũ ossium ipsius. Sic Iensenius ad hunc locum dilucidè interpretatur. Christus autẽ per quem veritas facta est, Ioan. 1. adimpletæque veteres figuræ, cum emisisset spiritum, eo tertia die resurgente, *Multa quoq; corpora sanctorũ qui dormierant surrexerunt & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatẽ, & apparuerunt multis*, ait sacer Euangelista Mat. 27. Nota, post resurrectionem eius, quia primitiæ dormientium Christus, vt dicit Apostolus, primus ille qui ad immortalitatem resurrexit, & iam non moritur. Cuius resurrectionis testes omni exceptione maiores sunt isti, qui cum eo, & per eum ad immortalitatem quoque resurrexerunt: Vt sanior, melior, atque probabilior tenet sententia & opinio. Et quidẽ constat, quosdam excitatos fuisse, qui denuò in terræ puluerẽ reuersi sunt. Talis Sareptanæ & Sunnamitidis filius: Talis adolescens filius viduæ ex Naym, & Lazarus &c. aliisque à Prophetis in veteri Testamento, & à Christo in nouo, eiusque Discipulis suscitati. Verùm hic longè alia ratio est de istis. Nimirum resurrexerunt, vt Christi (*qui est primogenitus mortuorum Apocalip. 1.*) resurrectionem confirmarent. *At verò resurgens ille iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur* assertore Apostolo: †Ergo neq; istis. Adde quòd si iterum in terram rediissent, non esset eis beneficium exhibitum, sed potiùs detrimentum. Surrexerunt igitur tanquam intraturi cum Christo in cœlum. Hanc tenet sententiam Remigius apud D. Thomam in cathena aurea super Matth. 27. ad hæc verba: Quæret, ait, aliquis, quid de illis factum sit, qui resurgente Domino surrexerunt? Credendum quippe est quoniam ideò surrexerunt, vt testes essent Dominicæ resurrectionis. Quidam autem dixerunt quòd iterum mortui sunt, & in cinerem conuersi, sicut & Lazarus & cæteri, quos Dominus resuscitauit. Sed istorum dictis nullo modo est fides accõmodanda, quoniam maius illis esset tormentum qui surrexerunt, si iterum mortui essent, quàm si non resurgerent. Incunctanter ergo credere debemus, quia qui resurgente Domino à mortuis resurrexerunt, ascendente eo ad cœlos, & ipsi pariter ascenderunt. Sic ibi Remigius. Et D. Anselmus Commentariis in Matth. c. 27. ad verba illa: *Exeuntes de monumentis &c.* Qui resurgente Domino resurrexerũt, Beda testante, etiã cum illo ascendente simul ascendisse credendi sunt: nec vlla ratio

Corn. Iẽsen. in Ecclesi.

† ad Ro. cap. 6.

Remig. apud D. Thomã.

D. Anselmus

Beda apud eundem.

ratione illorum temeritati fides accommodanda est, qui postea illos reuersos in cinerem dicunt. Quod verò dicitur: *Et apparuerunt multis*, ostenditur, quòd non fuerit illa resurrectio generalis, quæ omnibus appareret, si generalis esset: sed specialis fuit ad plurimos, vt hi viderint qui digni erant. Sic Anselmus ibi. Ex hoc loco D. Eusebius Emissenus, Homil. 10. De Pascha, resurrectionem mortuorum confirmat, his verbis: Audiamus per Prophetam resurrectionis præsentiam ante tot sæcula velut sub oculis depingentem: Hæc dicit Dominus Deus: *Ossa arida audite verbum Domini: Ecce ego mitto in vos spiritum & viuetis, & accesserunt, inquit, ossa ad ossa, vnumquodque adiuncturam suam.* Hoc Propheta* ante annorum milia faciendum loquitur, quod surrectione Christi factum Euangelista testatur, dicens: *Et multa, inquit, Sanctorum corpora resurrexerunt, & visa sunt sancta in ciuitate.* Cùm hæc ita sint, quæ iubebamur quondam sequuturis temporibus implenda fiducialiter expectare, nefas est ea cum iam sint impleta non credere. Ait ergo: *Ossa arida, audite verbum Domini, &c.* vt supra, & in consequenti: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris.* Hucusque Eusebius.

Eusebius Emissen.

**Ezech. cap. 37.*

Quoniam Parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato: Erat enim magnus dies ille Sabbati, & cætera Consuetudo erat Iudæorum tollere, suspensorum cadauera, ne in magno die sabbati in cruce manerent, vt scribitur Deuterono. 21. *Non permanebit cadauer eius in ligno, qui adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, sed in eadem die sepelietur.* Vnde id fieri à Pilato Iudæi postulant. Idque propter crucis ignominiam, & magni Sabbati venerationem.

Non fregerunt Christi crura: Iuxta illud: *Os non comminuetis ex eo*, ad complendum agni paschalis typum, cuius nullum os confringebatur: Exod. 12. *Nec os illius confringetis*, ait Sacer Contextus.

Vnus militum lancea latus eius aperuit, &c. Magna vtique crudelitas, qua in mortuum aliquis sæuire audet, Vnde canit Ecclesia: *Quo vulneratus insuper Mucrone diræ lanceæ,* Diram vocans lanceam, quippe quæ cor virginis vulnerauit & trãsfixit. Præcessit eius rei typus in Absalom, de quo 2. Reg. 18. Tulit ergo *Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon.* Accommodatio est eiusmodi: Absalon filius Regis, Christus autem verè filius Dei, Dominus gloriæ pro nobis crucifixus. Absalon erat speciosus. *at Christus*

speciosus

speciosus forma præ filiis hominum. Psalm.44. Absalon à Ioab confixus seu transfixus in corde, & Christus à proditore Iuda traditus, à populo Iudaïco morti ignominiosissimæ expositus fuit. Tres lanceas infixit in cor Absalon, *& miles ille lancea latus eius aperuit, Ioan.19.* Tres lanceas nominat, vt exprimat & adumbret tres præcipuos Christi dolores: Alter quidem propter peccata mūdi, alter specialis propter scādalum Discipulorum suorum, & tertius specialissimus, ob compassionem matris vnicè dilectæ. In morte Absalon cecinit *Ioab buccina & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël: volens parcere multitudini*, Et propter Christi mortem Pater diuinus generi pepercit humano.

Exiuit sanguis & aqua. Euidenti raroque miraculo. À mortui siquidem corpore sanguis exire non potest: cum iam per mortem congelatus sit. Et sicut de Adæ dormientis latere, sumpta est Eua:* Sic de Christi in cruce dormiētis latere quoque ædificata est Ecclesia, & suam sumpserunt efficacitatem Sacramēta. Sanguis in pretium redemptionis, & aqua in lauachrum regenerationis.

* *Ex senten. August. sententia 328*

Cum serò esset, venerunt Iosephus & Nicodemus. Ruth.2. *Benedictus à Domino, quia eādem gratiam quam viuis tribuerat, seruauit & mortuis.* In Propheta extat vaticinium, *Erit sepulchrum eius gloriosum* Isaiæ 11. *Ioseph nobilis Decurio*, Græcè βουλευτής, hoc est consiliarius aut senator in Hierusalem: Nicodemus legisperitus siue magister in Israël, Ioan.3. Illi duo Discipuli quidem Christi, sed occulti, tamen in tempore necessitatis suā demonstrant in præceptorem & bonū magistrum pietatem, reuerentiam, atque gratitudinem.

In sindone munda: vt nos doceant nisi munda conscientia ad sacram non accedere mensam, ad communicandum Christi corpori: *In sepulchro item nouo*, nec vllus foret tergiuersationi locus, neue calumniarentur alium esse qui resurrexisset: ac sicut in vtero virginis nemo ante eum nemo post, habitauit: Ita neque hic. Vt denique renouandam doceat conscientiam quę eum excipiat. Sic enim monet Apostolus Rom.6. *Nos in nouitate vitæ ambulemus.* capite septimo. *Seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ.* capite 12. *Reformamini in nouitate sensus vestri.* 1. Corinth.5. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. Etenim* (quod ad mysterium Paschæ attinet) *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Galat.6. *In Christo neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* Ephes.4. *Renouamini*


mini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem. Colos. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouabitur in agnitionem*, sicut serpens exuit veterem pellem, sic vult Christus, vt serpentis imitemur prudentiam, Matth. 10. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*, ait psaltes Regius. * Ezech. 18. *Facite vobis cor* * *Psal. 102.* *nouum & spiritū nouum*. Hæc est monuměti noui allegoria.

Quod erat excisum in petra, ad tollendam calumniam de ablato corpore, aut immisso alio per quædam abdita. Adde quod obsignatum fuit sepulchrum, & saxum grāde aduolutum cum custodia militari. Sicque omninò erat munitus locus, ne quis illius corpus furaretur diuina ita prouidentia disponente, ne qua Christi corpori fieret iniuria.

Altera die quæ est post Parasceuem dixerunt Pilato: Seductor iste adhuc viuens &c. Magna vtique cordis obduratio & cęcitas! Visis enim tot prodigiis ac miraculis, vnde compungi & emendari debuerant, in pertinacia tamen adhuc perseuerant, Seductorem post mortem illum etiam appellant, de quo cum viueret Ioan. 7. dicebant: *Seducit turbas.* Nunquid & vos seducti estis? ô blasphemiam!

Ite, custodite sicut scitis. Id sanè factum est ad maius Christi resurrectionis argumentum, & inimicorum Christi confusionem *Territi sunt custodes & facti sunt velut mortui*, nec in resurgentem præualuerunt: Sed iidem milites viribus postea resumptis testes resurrectionis fuerunt: dicente Euangelista Matth. 28. *Ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerūt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et consilio inito & accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia Discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus.* Rectè hìc exclamat Ecclesia: Dicant nunc Iudæi quomodò milites custodiendes sepulchrum perdiderunt Regem? Quare non seruabant petram iustitiæ? Aut sepultum reddant, aut resurgentem adorent nobiscum. Verè mentita est iniquitas sibi. Quomodò dormientibus vobis Discipuli corpus furati sunt? Vnde testes dormientes id probare possent? Si dormiebant, vnde id à Discipulis factum rescire potuerūt? Quomodò testes sunt oculati, & non potius mendacissimi talia comminiscentes? Non dissoluto signaculo aut reuoluto lapide Christus surrexerat. Cum essent igitur salua signa, cùm timore militum non ausi fuissent propiùs ad sepulchrum magistri accedere discipuli, cum inermes essent

& tunc



IN DIE SANCTO PASCHAE.

Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome, emerunt aromata. Marc.16.



ESVRRECTIO Domini basis est Catholicæ & orthodoxæ fidei:&, sicut ait Tertullianus, li. de Resurrectione carnis exordio: Fiducia Christianorũ, resurrectio mortuorum: Illam credentes sumus, hoc credere veritas, cogit, veritatem Deus aperit: sed vulgus irridet existimans nihil superesse post mortem.Planè cum vulgo interdum & sapientes sententiam suam iungunt. Nihil esse post mortem Epicuri schola est. Deinde,si & apud Deũ aliqua secta est,Epicureis magis adfinis quum Prophetis,sciemus quid audiant à Christo Sadducæi.Christo enim seruabatur mortuorum resurrectionem non modo per semetipsum,verumetiam in semetipso probare. Et paulò post,Diutiùs creditur resurrectio carnis, quàm vna diuinitas. Sic ille. Synesius Cyrenensis Episcopus vir cum aliis in rebus disertus, tum in philosophia excolenda eximius,cętera religionis Christianę facilè imbiberat,verùm iamiam factus Episcopus non poterat sibi resurrectionem mortuorum persuadere.Euagrius Histor. Ecclesiast. lib.1. cap.15.sic de illo: A Christianis in magna habebatur veneratione. Itaque illi persuadent, vt licet nondum doctrinam de resurrectione carnis admisisset neque ita censere vellet, salutari regenerationis lauacro tingeretur, & iugum susciperet sacerdotij: rectè admodum de eo augurantes, quòd hæc res alias eius virtutes sequerentur, diuinaque gratia nihil pateretur in eo desiderari. Quæ spes illos minimè frustrata est. Tempore Imperat. Theodor.floruit.Sic ibi.D.Paulus Act.17. cum apud Athenienses dissereret de ea, eorum aliqui Dæmoniorum nouorum præconem nuncupabant alij σπερμολόγον, id est, seminiuerbium.

Tertull.

Euagri. Hist. Ecclesf.

Siqui

Aristoteles. Siquidem docti in Lycæo Peripateticorum, qui sciebant ex post prædicamentis, à priuatione ad habitum non esse regressum, vix in animum inducebant, naturaliter euenire, quod supra naturæ vires Dei virtute fieri debebat.

At Christi Resurrectio fidem nostram spemque cõfirmat quàm maximè. Ideò 1. Cor. 15. *Tradidi vobis quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundũ Scripturas, & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim, deinde visus est plusquam 500. fratribus simul, deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus: Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi.* Ibi rursus idẽ Apostolus: *Si Christus non resurrexit, inanis est fides vestra. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autẽ Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientiũ. Quoniã quidem per hominẽ mors, & per hominẽ resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine, Primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi.* Sic B. Paulus. *Non potest solui scriptura* Ioan. 10. Ideo Ioan. 2. *Cùm surrexisset ipse à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, nempe Soluite templum hoc, de templo corporis sui, & crediderunt scripturæ & sermoni quem dixit Iesus:* Psal. 3. *Ego dormiui & exurrexi.* Psal. 56. *Exurge gloria mea, exurgã diluculo.* Prȩuiderat Abrahã in spiritu hũc Domini Resurrectionis diẽ: Ioan. 8. *Abrahã exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est.* Tum scilicet quando Hebr. 11. obtulit in monte filium suum vnigenitum: *Arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus.* Sic Abraham Christi Resurrectionem in mysterio agnouit. 1. Pet. 1. *Regenerauit nos in spem viuam per Resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. Scimus Christum surrexisse à mortuis verè, canit Ecclesia.* Ipse etiam fatetur Apo. 1. *Fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum.* Psalm. 138. *Exurrexi & adhuc sum tecum.* Testatur quoque Angelus verax præsenti Euangelio: *Surrexit non est hic.* Apostoli palam idipsum prædicauerunt, Actor. 4. *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi.* Consentiunt Sibyllæ oracula, apud Lactãtium lib. 4. c. 19. Triduum sopitus, à mortuis egressus, in lucem veniet. Ipse denique Iosephus lib. 18. antiqui. c. 4. Christus hic erat. Quem Pilatus cùm addixisset cruci, apparuit tertia die viuus. ô diei

Sibillæ apud Lactantiũ.
Iosephus li. 18. c. 4. antiqui.

veneran

venerandam lætitiam! Vnde canit Ecclesia: *Hac dies quem fecit Dominus*, *Psalmo centesimo decimo septimo*, *Exultemus & lætemur in ea* Lactātius hos versus hac de die cōposuit.

Salue festa dies tota venerabilis æuo
Qua Deus infernum vicit & astra tenet.

Lucæ 15. *Epulari & gaudere oportebat, quia hic frater noster mortuus erat & reuixit, perierat*, in hominum opinione, *& inuentus est: Quando morietur & peribit nomen eius? Psal. 40.* Dicebant eius hostes Iudæi increduli. Confertur autem Christus, citra iniuriæ aut blasphemiæ notam dixerim, prodigo filio, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos. Nimiā vocauit Apostolus Ephes. 2. quasi dixisset, excessiuam & prodigam dilectionē erga nos immeritos, Christi τὸ φιλανθρώπος. 1. Cor. 5. *Epulemur in azimis sinceritatis, &c.* Psalm. 67. *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum.* Instar custodientium sepulchrum, impiorum militum, qui timore correpti aufugerunt. *Et contra iusti epulentur & exultent in conspectu Domini*, propter Christianos hac sanctissima die Corpori Christi deuotè communicantes, & Dominico epulo saginatos. Hoc illis est gaudium, *quia surrexit Dominus verè*, Luc. 24. Dicunt cum Iacob, Genes. 45. *Sufficit mihi si*, pro quia, *filius meus Ioseph, viuit.* Sic de Beatissima Deipara æstimare licet & cōuenit, iuxta deuotam illam in Ecclesia decantatam Antiphonam: *Regina cœli lætare, &c.* Narrant Sigonius lib. 1. de Regno Italiæ, & Durādus in rationali diuinorum officiorum lib. 6. ca. 89. historiam eiusmodi Anno Domini 591. vt in Ritualibus scribitur, tempore D. Gregorij Magni cum pestilentia sæuiret, multi cùm sternutarent, alij cùm oscitarent, repentè spiritū emittebant. Quod cum sæpius eueniret: Consuetudo inducta est, quæ nunc etiā obseruatur, vt sternutantibus salutem precando, oscitantibus signum crucis ori admouendo præsidium quærerent. Quibus rebus permotus Gregorius, Religiosam in die resurrectionis supplicationem, instituit, atque solemni in pompa sanctam, Dei genitricis imaginem extulit, Lucæ Euangelistæ manu affabrè ad viuum expressam, ipsam quacunque ferretur, pestilentia cedente, optata salubritas sequitur. Ecce Angelus sanctam virginem his vocibus è cœlo eloquens, est auditus: *Regina cœli lætare, &c.* Statim Gregorius diuino instinctus spiritu, sic orationē expleuit: *Ora pro nobis Deū.* Exinde Antiphona solēnis Ecclesiæ, Paschalis argumēto

Sigonius & Durandus.

lætitiæ mãſit. Neque ita multò poſt Angelus ſuper Adriani molem aſtans, ac ſtrictum mucronem vagina recondens conſpectus eſt, Gregoriuſque ad populum cõuerſus: Bono omnes, inquit, animo eſtote: Nam optatus diuinæ iræ & peſtilentiæ finis. Deo ipſo annuente oſtenditur. Sic ipſe morbus elanguit. Ab hac re moli, ſancti Angeli nomen eſt inditum. Sic Sigonius conſentiens, loco præcitato, Durando. Ea eſt huius diei ſolemnitas & lætitia, vt ad eam celebrandam omnia ſiue in cœlo, ſiue in terra inuitet Eccleſia dicens: *In reſurrectione tua Chriſte, cœli & terra lætentur.* Sarra filia Raguelis dicebat: Tob. 3. *Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fletum exul-*
Pſal. 29. *tationem infundis.* Pſalm. 29. *Ad veſperum demorabitur fletus? & ad matutinum,* (Chriſto nimirum diluculo reſurgente, lętitia. Vnde Sanctis mulieribus in hodierno Euangelio dicit Angelus: *Nolite expaueſcere vos.* Sicut autem in tranſmigratione Babylonis non poterant cantare canticum Domini: Dicebant enim illi à patria ſua extorres, exuleſque patriis pulſi ſedibus: *Quomodò cantabimus canti-*
Pſa. 136. *cum Domini in terra aliena? Pſal. 136.* Sed poſt tranſmigrationẽ expletis ſeptuaginta annis poſtliminio reuerſi Domino gratias agentes cecinerunt, laudeſque decantarunt: Sic & nos quodammodo in Babylonica captiuitate detenti, per totos 70. dies, hoc lætitiæ canticum *Halleluia* intermiſimus, vocem ſcilicet iucunditatis, lugubri cantu in diuino officio vſi ſumus, præſertim in Sancta Hebdomada. Sed ſeptuaginta dierum euoluto curriculo, à Septuageſima videlicet ad Paſcha vſque excluſiue: Nunc quidem & à modo lætitiæ canticum reſumimus cum modulo concinentes *Halleluia.* & à cætero identidem replicantes, *Halleluia, Halleluia.* Sed de his hactenus nunc ad textum.

Maria Magdalene, Maria Iacobi (nempe Minoris, ſcilicet mater) & *Salome* (quæ putatur eſſe mater filiorum Zebedæi) Hæ tres ſanctæ mulieres æquiuocæ, eiuſdemque appellationis cum Sanctiſſima Deipara. Tres Mariæ: Numerus ſacer & myſticus, quia de tribus dicitur omne, iuxta
Ariſtoteles. Eccleſ. 4. Apophtegma Pythagoricum, ab Ariſtotele libris de cœlo relatum, & *funiculus triplex,* ait Sapiens *difficile rumpitur.* Quamuis quidam opinẽtur quod Salome non vocaretur Maria, ſed ſolùm Salome. Nec Marc[9] vocat eam Mariam, ſed tantum Salome. Multi tamen opinati ſunt, & populus communiter credit ad monumentum veniſſe tres Marias.

Vnuſquiſ

Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet in hoc puncto. Tres, inquam, inuiſere pergunt corpus Dominicum vt vngerent Ieſum, ait Sacer Euãgeliſta. In Chriſto tres ſunt ſubſtantiæ, Corpus, Anima, & Verbum, vno in ſuppoſito eoque diuino. Magdalena nobilis illa peccatrix, quin potiùs inſignis illa pœnitens, dulcis amica Chriſti, quam Chriſtus ſemper, vt eius patronus, aduocatus atque protector defendit, contra Symonem Phariſæum, aduerſus ſororem Beatam Martham, & contra Iudam proditorem in illam murmurantem, vt cæteris feruentior prima nominatur. Ideoque (vt de ea canit Eccleſia) *prima meretur gaudia, quæ plus ardebat cæteris.* Et Marc. vltimo: *Surgens Chriſtus primò apparuit Magdalenæ.* Illa ob ſedulitatem & ardorem fidei turritæ nomen accepit, ait D. Hieronymus to. 1. Epiſtolarum, Epiſtola ad Principiam: Marcellæ viduæ conſcribens Epitaphium, Mariam idcirco propriè Magdalenem vocatam ait, מגדל migdal ex Pſal. 61. Hebraicè, turris exponitur. Turris fortitudinis, ob virilem animum & cõſtantem eius erga Chriſtum ſanctumque amorem non incongruè appellari poteſt Magdalena, Cui accommodari poteſt illud idiomatis Etruſci: *Come la torre ferma, da cui non crolla giamai la cima per ſoffiar di venti*, hoc eſt, ſicut firmiſſima turris, cuius neutiquam turbine ventorum euertitur culmen. Et vt Chriſtus Matth. 7. ait: *Domus ſupra petram fundata, flauerunt venti, & irruerunt in illam & non cecidit, quia fundata erat ſuper petram.* Quam ſedula fuit ad vngendum *Magdalena. Vnxit in domo Phariſæi, in domo Symonis leproſi,* & antea in Caſtello Bethaniæ apud Martham ſororem ſuam, Inſuper vult etiam nunc vngere in ſepulchro corpus Domini Ieſu. Miretur fortaſſis quiſpiam cur non hîc nominetur Sacerrima Deipara, cùm in paſſione prima exprimatur? *Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius, &c.* ait Theologus oculatus & ipſe teſtis Ioan. 19. Reſponſio in promptu eſt: Quia Dei genitrix de filij ſui Reſurrectione certa erat, nec aliqua ex parte hęſitauit in fine, ſed fixa permanſit. Nec igitur opus habuit vt vngeret cum cæteris Mariis Chriſtum in ſepulchro, quem ſciuit certóque credidit tertia die, ſicut dixit, reſurrecturum. *Reſurrexit ſicut dixit.*

D. Hier.

Simile Italicũ ex Boccatij Decã-mero.

Emerunt aromata. En liberalitas! *vt vngerent Ieſum*, Ecce charitas! Curare mortuum, vt de Stephano Protomartyre ſcriptum eſt. Act. 8. *Curauerunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.* Quid eſt,

 Curauerunt?

Curauerunt? id est, Curam sepeliendo corpori D. Stephani impenderunt, iusta illi fecerunt tãquam viri religiosi, parentarunt, & funeris officium exequiasque celebrarunt. Hæc pietas & religio in defunctis corporibus nobis est imitanda, vt & ipsi ij & religiosi inueniamur. In planctu morem gentis veterẽ sunt æmulati, qui magna cura sepelierunt Stephanũ. Ad hunc ferè modum hæ sanctæ mulieres quasi non sufficerent quæ exhibuerant *Ioseph Arimathæus & Nicodemus, myrrhæ & aloës quasi libræ centum, sicut mos est Iudæis sepelire,* cùm sepulchro conditus fuerat, Aromata etiam nunc alia compararunt, vt perampliùs vngeretur ac perfunderetur corpus Iesu in monumento, ne vlli pateret aut obnoxium fieret corruptioni, sed diutius incorruptum perseueraret. Meminerunt quidem quod pietatis in mortuos officio clari Iudæorum patres euasissent.

Gen. 23. *Sic Abraham Saram coniugem in spelunca duplici sepeliuit:* Sic Patriarchæ ipsi à superstitib⁹ filiis ibidem sepulti sunt: Sic magnis impensis magnoque sumptu iussu Ioseph, pater eius Iacob curatus est post mortem. Sic enim Gen. 50. Præcepit seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem. Quibus iussa explentibus transierunt 40. dies: Iste quippe mos erat cadauerum cõditorum. Quin & ipse Ioseph conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto, donec egressi filij Israël de Ægypto, populo, inquam, barbaro, secum asportarunt ossa Ioseph, Geneseos cap. postremo. Quæ sepelierunt in Sichem in parte agri quem emerat Iacob, à filiis Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph. Iosue item vltimo: Sic Thobias senior ob pietatis illius in defunctos officium maximè commendatur. Sic denique & istæ aromatibus perfusum corpus Christi, à corruptione vindicare pro viribus & facultatibus satagunt, atque contendunt: Ductæ quidem zelo, sed non secundum scientiam. Quis enim non commẽdarit hanc in defunctorum, maximè verò electorum corpora, pietatem? dicente scriptura. Ecclesiastici 7. *Mortuo ne prohibeas gratiam.* Etiã pretiosis vnguentis ea perfundere solitos veteres Christianos idque in tesseram nostræ de resurrectione certæ expe-

Prudentius. ctationis, scribit Prudentius Poëta Christianus, hymno suo in exequiis defunctorum in hunc modum.

Venient cito sæcula, cum iam
Socius calor ossa reuisat,

Animatã

Animatáque sanguine viuo,
Habitacula pristina gestet
Quæ pigra cadauera pridem
Tumulis putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur, hinc resolutos
Honor vltimus accipit artus
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersáque myrra sabæo
Corpus medicamine seruat.
Quidnam sibi saxa cauata?
Quid pulchra volunt monumenta?
Res quòd nisi creditur illis,
Non mortua sed data somno?
Hoc prouida Christicolarum
Pietas studet, vt pote credens
Fore protinùs omnia viua,
Quæ nunc gelidus sopor vrget.
Deinde
Sancti sator ille Tobiæ,
Sacer ac venerabilis heros
Dapibus iam ritè paratis
Ius prætulit exequiarum.

Sic Prudentius ostendens propter resurrectionis spem: olētem funera myrrham (quòd ait Martialis alicubi) aliáque suprema munera vltimósque honores parare solitos Christianos, quòd nunc imitātur piç istæ & deuotç fœminæ. Nec abs re vel sine causa, Sācta Ecclesia deuotum vocat fœmineum sexum. Commendanda est itaque isthęc in Christum pietas, si mortem & humanitatem attendamus: Verùm altius eas meditari conueniebat, & quanta Christi sui esset maiestas perspicere. Quid enim est quòd corpus illius à corruptione vindicare volunt, ignaræ huius Prophetiæ & oraculi: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem:* & verbi Archāgeli, Luc. 1. *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei:* qui solo verbo iam fœtentis & putrescentis Lazari cadauer excitarat & ad vitam euocauerat? Quare Christi de sua Resurrectione nō attendebāt verba *Martialis Poëta.* *Psal. 15.*

ac promissa? Laudetur quidem pius earum erga Christum
Ioan. 11. affectus, sed fidei reuincitur imbecillitas, & dubitatio de resurrectione. Quis non suis defunctis parentauerit, & iusta fecerit? At parens noster Christus. Proinde laudata hæc mulier primo ordine nominata, quæ Christo accumbenti pedes capútque perunxerit, vt quæ hoc officium sepulturæ præuenisset.

Emerunt aromata. Non enim quibusuis liquoribus, sed pretiosis aromatibus eum perfundere satagunt. Quid scilicet non magnum Christo impendamus? *ab eo omnia. In eo salus, vita, & redemptio nostra* Et quidem hæc aromata sibi pretio sanctæ mulieres compararunt. Noc de superfluis erant, quibus ipsæ vterentur in corporis delicias & voluptates, ad carnis luxum, qualia lasciuis mulieribus abundant. Vt & hinc quæ Prouerb. 7. *Aspersi, inquit, cubile meum myrrha & aloë & cinnamomo, veni inebriemur vberibus. Sic fatur mulier garrula, vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, procax & lasciuiens, & procaci blāditur vultu, apprehensúmque deosculatur iuuenem, cúmque seducens dicit: Fruamur amplexibus capitis donec illucescat dies. Non est enim vir in domo sua, abiit via lōgissima.* Hęc ibi. Et ipsa Magdalena similia prorsus egerat, *sed alabastrum vnguenti preciosi ad pedes Christi,* pœnitentiam & exomologesim peccatorum suorum faciens in cordis contriti penetralibus, coram Domino, qui intuetur cor, non sine lachrymarum imbribus, effregit & effudit maxima cùm deuotione. Hîc tu liberalitatem demirare Sanctarum mulierum. Largitæ sunt viuenti & de facultatibus suis ministrarunt, vt scribit Euangelista. Iam & in mortuum nouas parant impensas. Tu & in viuos & in defunctos esto beneficus. Habes enim
Isai. 58. vtrosque membra Christi. *Si videris nudum operi eum,* inquit Isaias c. 58. *& carnem tuam ne despexeris.* Nudum operi non tantùm eum qui eleemosynam petit, sed & qui iā vita functus est. Hoc pietatis opus sūma laude dignatur Deus. Sed de sepulturis aliàs affatim diximus.

Valdè mane vna Sabbatorum, Orto iam sole: Hic loquendi modus videtur iā vsurpatus fuisse 4. Reg. 3. *Moabitæ primo mane surgentes, & orto iam Sole, viderunt aquas rubras quasi sanguinem.* Exierant domo cùm adhuc tenebræ essent & perueniunt ad monumentum orto iam Sole. En diligentia! Veniunt ad monumentum, Ecce fortitudo! Nō apprehendunt

hendunt militum custodiã, non ingentis saxi aduoluti obstacula: *sed perfecta charitas foras mittit timorem*. 1. Ioan. 4. & Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatẽ, nec flumina obruent illam.* Sicut Ioseph statim à Christi morte, audacter *accessit ad Pilatum, & petiit donari sibi ad sepeliendũ corpus Iesu, vt* ait Euangelica Historia: Sic sancta quadam audacia hæ mulieres veniunt ad monumentum. *Valde mane*, ait Euangelista. Nam Hierem. 48. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*, ex tralatione 70. ἀμελῶς, incuriosè, negligenter. Vulgata & communis editio ab Ecclesia recepta habet fraudulenter: Qui formidolosus est, non est idoneus vel aptus militiæ: nec timidos esse conuenit Christi bonos milites. Degeneres animos timor arguit, ait quidam: *Audaces fortuna iuuat timidósque repellit*, canit Poëta Et Christus ipse Matth. 8. *Quid timidi estis?* Ac rursus: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, Matth. 10 Mulierum istarum liberalitas & charitas nostram arguit tenacitatem, qui pauperes, Christi membra negligimus, qui etiam benefactores, parentes, & amicos vita functos, obliuioni tradimus: iuxta illud Psalmographi Psalm. 30. Obliuioni datus sum tanquam mortuus, à corde? Erga nostros benefactores ingratissimos nos ostẽdimus & exhibemus. Earum fortitudo nostram condemnat timiditatem, & quòd non habemus zelum pro Dei honore palam conuincit. Earum diligentia nostram redarguit socordiã. Sap. 16. *Oportet præuenire Solẽ ad benedictionẽ tuam*, Prou. 8. *Qui manè vigilant ad me inueniẽt me*, c. 11. *Benè consurgit diluculo qui quærit bona*. Psalm. 5. *Manè astabo tibi & videbo, &c.* 87. *Mane oratio mea præueniet te.* Supra in Historia Passionis, de incommodis superueniẽtibus iis qui stertunt, atque in vtramque, quod dicitur, aurem dormiunt, fusè satis. Contra acediam & pigritiam quorundam inuehitur Persius Sat, rographus Satyr. 3. sic exorsus.

Poëta. *Psa. 30.* *Persius.*

Nempe hoc assiduè: Iam clarum mane fenestras
Intrat, & angustas extendit lumine rimas.
Stertimus.

Et Salomon suis in prouerbiis capit. 6. *Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo?* Sed vt quidam ex amicis Iob. capit. 8. *Si diluculo, ait, consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, statim euigilabit ad te.* Et Sap. 6. *Qui de luce vigilauerit ad illam* (nempe Sapientiam æternam) *assidẽtem illam foribus suis inueniet.* Vnde illud: *Re-*

Psal. 89. *pleti sumus: manè misericordia tua, exultauimus & delectati sumus.* Nec perfunctoriè & leuiter obitérque tractandum illud: *Veniunt ad monumentum &c.* Hæc est enim mortis recordatio, *Memento mori.* Habe mortem præ oculis. In eum finem Ioseph Arimathæus exciderat viuens, sepulchrum sibi in quo reconderetur mortuus, mortis imminentis, inque ceruices nostras impendentis, vel potius nobis insidiantis cogitatione nunquam deposita. Narrat item Laërtius lib. 9 in Democrito, quòd sæpe solitarius viuens atq; sepulchra incolens philosopharetur. Et quidnam aliud est philosophia Christiana, quàm assidua quædam mortis meditatio? Vt scilicet hic sanctam agamus vitam, hinc autem decedentes per mortem ad vitam transeamus beatam, vt in nobis compleatur illud Christi Ioan. 5. *Qui verbum meum audit & credit habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transibit à morte in vitam.* Refert Surius tomo primo ex Symeone Metaphraste, de sancto Ioanne eleemosynario: Vt mortis memoriam semper haberet præsentem, iubet sibi extrui sepulchrum, & semiperfectum relinqui: Eos qui præfecti erant operi, cùm esset festum insigne, coram omnibus apertè dicere iussit: Monumentum tuum in hodiernum vsque diem est imperfectum: Iube ergo vt id finem accipiat: Incertum est enim qua hora fur ingrediatur, nempe mors. In vitis patrum ex Leontio Episcopo Neapolitano in eiusdem vita capit. 123. Cùm olim coronaretur Imperator, Sepulchrorum constructores quatuor aut quinque ad eum deferebant marmoris frustra, varij coloris, inquirentes ex quo vellet sibi cōstrui sepulchrum. Quo suæ mortalitatis admonebatur, & vt prudenter imperaret. Hoc Ioannes prædictus sibi proposuit imitandum. Sed cùm prima omnium concione de Cineribus benedictis ageremus, hæc attigimus ac delibauimus. Hinc Ioan. 11. dicebant de Magdalene Iudæi: *Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.* Monumenti autem etymon est, quia mentem moneat, vt meminerimus, scilicet nos esse conditione ac natura mortales, & propter primi parentes delictum mortis debitores, vtque nostræ conditionis memores, vitam nostram ad regulam Euangelij instruamus ac dirigamus: facientes cum Dei adiutorio Domini voluntatem. In regula Saluatoris reuelata S. Brigittæ. capit. 27. Fossa quædam in monasterio instar sepulchri habeatur, quotidie aperta ad quàm quotidie

Laërti⁹.

Surius.

S. Brigit.

egre

egrediantur sorores, & ferettrum ante ingressum Ecclesiæ, vbi ab ingredientibus semper videri possit, vt vel sic memoriā mortis in mente habeant. *Terra es & in mortem seu puluerem reuerteris.* Sicut autem magnes ferrum attrahit: sic mortis meditatio homines ferrei cordis cōpungit: Et sicut sanguis hirci recens & calidus adamantem rūpit, aliàs durissimæ naturæ, sic corda adamantina mortis recordatio viuáque apprehensio extremi iudicij, frangit & emollit. De adamante lapide scribit non semel Plinius lib. 20. in Proëmio: Adamas infragilis omni cætera vi & inuictus, sanguine hircino rumpente ipsum. Et lib. 37. cap. 4. Illa inuicta vis, duarum violentissimæ naturæ rerum ferri ignisque contemptrix, hircino rumpitur sanguine, nec aliter quàm recenti calidóque macerata, & sic quoq; multis ictibus. Et denique inter opera Diui Cypriani, Tract. de duplici Martyrio: Qui naturæ causas scrutantur, narrant adamantem nullæ chalybis duritiei cedētem hircino sanguine maceratam, ictu malleorum dissilire. Nullus autem adamas corde saxeo peccatorum durior. Sic ibi. Hoc igitur cor ferreum, cor saxeum, cor plusquam adamantinum emolliat ad salutarem pœnitentiam mortis frequens meditatio. Scribit Pepinus, sermone de Lazaro suscitato: Quia nihil sic reuocat hominem à peccato sicut mortis memoria: Ideo in religioso Monasterio Clareuallensi, Cisterciensis ordinis, in communi cœmiterio fratrum, semper est vna fossa totaliter parata ad receptionem humani corporis: & altera semiparata. Qui autem primus decedit in dicto Monasterio, illic sepelitur. Quo facto mox secunda perficitur, & altera inchoatur pro parte ad instar prioris. Et sic consequenter. Sed quare hæc ceremonia ibi obseruatur: Certè vt fratres dicti Monasterij, qui ex ordinatione domus habent singulis diebus visitare ipsum cœmiterium, orantes pro defunctis fratribus, magis imprimant & arctius infingant suis mentibus memoriā mortis. Item in dicto Monasterio, est aliud quod fratres admoneat mortis futuræ: Nempe quidam lapis concauatus, in quo ferunt, corpus sacrum D. Bernardi examine factum, fuisse lotum. Vnde talis lapis siue vacuus, siue aqua plenus, semper præse fert effigiem dicti corporis Beati Bernardi, eo modo quo se habebat dum ibi lauabatur. Apparet autem dicta effigies ad modum vmbræ. Ecce, certè, duo magna mortis monimēta. Sic ibi Pepinus in suo Quadragesimali.

Genes. 2.

Pepinus.

Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat quippe magnus valde. Chrysologus, Sermone 82. Ab ostio monumenti an cordis? à se pulchro an ab oculis? Mulieres, obseratum est pectus, oculi sunt clausi, & ideo patefacti sepulchri gloriã non videtis. Sic ille. Et rursus ibidem. Planè magnus, & magnus valde erat lapis, plus iam magnus merito, quẽ forma: quia Creatoris mundi corpus & claudere & operire suffecit. *Quis reuoluet?* Sic liquet nullum inter eundem alium mouisse sermonem sanctas mulieres, quã de Christo: sicut & illi duo discipuli (de quib. sequenti cõcione) pergentes in *Emauntem castrum loquebantur de omnibus quæ acciderant.* Cumq; ex eorum quæ contigerant commemoratione, ad ipsam sepulturã narratio progressa esset, in memoriam aduolutum monumento ingens saxũ reuocantes, de eo reuoluendo inter se conferunt: vires suas & saxi grauitatem sic expendunt, vt facilè huic negotio impares esse sentiant. Tertio tamen in Christum ardent affectu, vt neque etiam istud eas moretur, vel ab incepto deterreat.

Chrysologus.

Angelus autem Domini reuoluit lapidem &c. Gregorius Nyssenus oratione 2. de resurrectione Christi: Antea, inquit, Christus surrexerat, clauso quidem sepulchro, quemadmodum clausis ianuis penetrans in domicilium ad Discipulos accessit. Ioan. 10. Comestor in Historia Euangelica c. 184. & Iac. de Vitriaco semone de Paschate, authores sunt, quòd anno Domini 1111. Cuidã monacho sancti Laurentij extra muros, cogitanti de resurrectione, cum miraretur de cingulo suo nõ soluto, & tamen ad pedes proiecto, vox in aëre audita est:

Gregor. Nyssen⁹.

Comestor & Iac. de Vitriaco.

Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.

Simile quiddam narrat Pater & Doctor Ecclesię D. August. to. 5. lib. 22. de Ciuitate Dei, c. 8. de Petronia Carthagine habitante, quæ à quodam Iudæo dicit fuisse persuasum vt annulum capillatio vinculo seu cingulo insereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur, qui annulus haberet sub gẽma lapidẽ in renibus inuentũ bouis. Hoc alligata quasi remedio ad sancti Steph. mart. limina veniebat. Sed profecta à Carthagine, vt iter perageret, ante pedes suos illum iacentem annulum vidit, & capillatiã zonam qua fuerat alligatus, mirata tentauit. Quàm cum omninò suis nodis firmissimis, sicut fuerat, cõperisset adstrictam, crepuisse atque exiliisse annullum suspicata est.

D. Aug.

Qui

Qui etiam ipse cum integerrimus fuisset inuentus, futuræ salutis quodammodò pignus de tanto miraculo, se accepisse præsumpsit, atque illud vinculum soluens, simul cum eodem annulo proiecit in flumen. Non credunt hoc, qui etiam Dominum Iesum per integra virginalia matris enixum, & ad discipulos suos ostiis clausis ingressum fuisse non credunt. Sed hoc certè quærant, & si verùm inuenerint, illa credant. Clarissima fœmina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat: ampla ciuitas, ampla persona, rem quærentes latere non sinunt. Martyr certè ipse, quo impetrante illa mirabiliter ex magno atque diuturno, in quo medicorum adiutoria cuncta defecerant, languore sanata est, in filium permanentis virginis credidit, in eum, qui, ostiis clausis, ad Discipulos ingressus est, credidit. Postremò propter quod omnia ista dicuntur à nobis, in eum qui ascendit in cœlum, cùm carne in qua resurrexerat, credidit: & ideò per eum tanta fiunt, quia pro ista fide animam posuit suam. Hucúsque D. Augustinus. Suffragatur & D. Hieronymus to. 3. de Quæstionibus ad Hedibiam quæst. 6. Angelum non putemus idcirco venisse vt aperiret sepulchrum Domino resurgenti & reuolueret lapidem: sed postquàm Dominus resurrexit, hora qua ipse voluit, & quæ nulli mortalium cognita est, indicasse quòd factum est: Et sepulchrum vacuum reuolutione lapidis, & sui ostendisse præsentia. Sic D. Hieronymus. *D. Hier.*

Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida & obstupuerunt, &c. Multa hîc occurrunt obseruanda. Nempe, Quare iuuenili apparuerit ætate? Quare sedentis, potiusquàm stantis habitu? Cur in dextera, potiusquàm in læua parte? Et denique cur in vestibus albis? *Sicut duo etiam viri, Domino ascendente Act. 1. astiterunt in vestibus albis, dicentes: Viri Galilæi quid admiramini aspicientes in cœlum?* Notate verba, signate mysteria. Primùm quidem in resurrectione, *quando renouabitur vt aquila iuuentus singulorum:* Iuxta propheticũ oraculum, *Psal. 10.* *nemo senescit, sed erunt electi, Matth. 22. sicut Angeli Dei, Et in regeneratione cum venerit filius hominis, ætas singulorum ad mensuram perueniet ætatis plenitudinis Christi,* quòd ait Apostolus, ad annos nimirum ętatis, circiter 34. Quòd vt significaret Angelus, in iuuenili floridáque apparuit ætate, qualis futura est bonorum resurgentium in corporibus glorificatis. Deinde, quoniam in illa vita perpetua erit quies & *Ephes. 4.* sessio.

sessio. Apoca. 14. *Amodo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Ideò Angelus sedentis comparet habitu. Cùm tamen olim apparuerint Angeli Abrahæ in similitudinem viatorum Genes. 18. Stetit etiam in via Angelus contra Balaam: Num. vigesimosecundo. *Raphaël quasi præcinctus ad iter* Tobiæ. c. 5. *visus est, ac peregrinationis eius dux ac comes assumptus est.* Dauid in libris regum vidit Angelum *stantem & habentem gladium euaginatum. Et Gabriel stans à dextris altaris incensi, Zachariæ apparuit:* Luc. 1. Nunc verò in resurrectione Christi sedere visus est, quoniã status ille est quietis, non defatigationis. Cùm adhuc esset Christus Rex Angelorum & Dominus, mortalis, fatigatus & lassus legitur Ioan. 4. Resurgens autem immortalis, amplius defatigari nequit, sed sedet: Quòd vt indicet Angelus, etiam sedens apparet. Item quia per dexteram significatur æterna delectatio, & gloria nedum animæ sed etiam corporis, iuxta illud Canticorum c. 2. *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Et rursus: *Delectationes eius in dexterâ eius.* Ideo Angelus à dexteris visus est. Nunciabat eũ etiam resurrexisse qui ad dexteram Dei patris sedet, vt ex Symbolo Apostolico habet fidei articulus. Resurrectio, ait D. Petrus Chrysologus Sermone 82. recipit nihil sinistrum. Vias, inquit, *Quæ à dextris sunt nouit Dominus: Prouerb. 4. Peruersæ autem quæ à sinistris:* & Matth. 25. *Tunc statuet iustos ad dexteram suam.* In stola candida tum demum apparuit, & meritò cum statũ immortalitatis, & resurrectionis gloriam nunciaret, eodem quo Dominus eius habitu & colore indutus, apparere dicitur. In Christi transfiguratione Matth. 17. *Facta sunt eius vestimẽta alba sicut nix.* Qui etiam in Apocalypsi dicit: *Ambulabunt mecum in albis*, de quo & diuina ait scriptura: *Candor est lucis æternæ.* Interim cùm talis apparuerit mulieribus, affabilis, iucundus & benignus, placidóque vultu, impiis tamen militibus visus est terribilis & formidabilis. *Erat autem*, inquit sacer Euangelista *aspectus eius sicut fulgur. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, facti sunt velut mortui.* Terrentur malæ conscientiæ, & perditi sceleratíque homines, secundum quòd Iuuenalis de huiusmodi Satyra 13. cecinit.

(Margin: *2. Re. 24* — *Sap. 7.*)

Iuuenalis Poëta

Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cæli.

Suetoni⁹

Sic impius Caligula apud Suetonium §. 51. Qui Deos contemnebat, ad minima tonitrua & fulgura caput obuoluebat,

uebat, ad maiora ſub lectum ſe condere ſolebat. Vt autem plenius intelligas, illum contemptorem fuiſſe Deorum, commemorare placet quod à Seneca lib. 1. de Ira cap. vltimo circa finem, memorię de illo proditum eſt, in hunc modum. C. Cæſar (Caium Caligulam intelligit) iratus cœlo quòd obſtreperet. Pātomimus, quos imitabatur ſtudioſius quàm ſpectabat, quòdque commeſſatio ſua fulminibus terreretur prorſus parum certis ad pugnam vocauit Iouem, & quidem ſine intermiſſione Homericum illum exclamans verſum. *Seneca.* *Homer⁹.*

Ζεῦ πάτερ οὔτις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος.

Hoc eſt, vt verbum verbo reddam. Iupiter pater, nullus alius ex Diis te nocentior, vel deterior, pernicioſiórque. Nota Poëticè ex Ionica Dialecto poſitum *σεῖο*, pro, *σοῦ*, pronomine. Quanta dementia fuit. Putauit autem ſibi noceri, ne à Ioue quidem poſſe, aut ſe nocere etiam Ioui poſſe. Non puto parum momenti hanc eius vocē ad incitandum coniuratorum animos addidiſſe. Vltimæ enim patientiæ viſum eſt eum ferre, qui Iouem non ferret. Sic Seneca. Qui autem tantoperè Deos contemneret ad minima tonitrua & fulgura, vt dictum eſt, ſeſe abſcondebat: ſic Gallicè breui compendio dixeris : *Caligula menaçoit le Ciel s'il pluuoit ſur ſes farceurs ou bateleux, & cepēdāt au moindre eſclair s'enueloppoit de ſa cappe, ou ſe cachoit deſſouz le lict.* Ad hunc ferè modum, glorioſi iſti Thraſones, & minaci vultu, in ſpeciem quàm audaciſſimi, ad aſpectum tamen Angeli, exanimes facti, reſumptis deinde paulatim viribus in fugam ſe dederunt, & ita pauidi & timidi effecti, vt Angeli præſentiam ſuſtinere nequiuerint.

Nolite expaueſcere & timere vos, &c Illi, ſcilicet milites, timeant, hoſtes gloriæ Chriſti, *fugiant qui oderunt eum, à facie eius, Pſal.* Terreantur & paueant illi, *at nolite timere vos :* Vos potius gaudere conuenit ob lætum iſtud nuncium, *Quia ſurrexit Dominus*, vt conſolemur vos hic adſumus, teſtes reſurrectionis aduenimus. *Nolite igitur expaueſcere.* D. Athanaſius, in vita B. Antonij tom. 1. apud Surium : Bonorum & malorum, inquit, ſpirituum hęc eſt diſcretio : ſi poſt timorem ſucceſſerit gaudium, à Domino ſciamus veniſſe auxilium, qua ſecuritas animæ præſentis eſt maieſtatis indicium. Si autem incuſſa formido permāſerit, hoſtis eſt qui videtur pauorem duplicat. Et Theophylactus in Lucam cap. 1. ad verba : *Ne timeas Zacharia,* & *B. Athana. apud Surium.*

ad vir

ad virginem: *Ne timeas Maria, &c.* Hoc indicio, inquit, discernuntur visiones, Eadémque ferè repetit quæ suprà ex Athanasio protulimus. Sed quid designat illud: *Et obstupuerunt?* Ob Angelicam scilicet pręsentiam homines etiam sancti terrentur. Sic Iudic. 13. *Vxor Manne marito suo dixit, de Angelo: Vir Dei venit ad me habens vultum angelicum terribilis nimis.* Et Daniel. c. 10. *Domine mi, in visione tua, dissoluta sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. Et quomodò poterit seruus Domini mei loqui cùm Domino meo? Nihil in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur, sed confortauit me & dixit: Noli timere vir desideriorum, pax tibi, confortare, & esto robustus. Cúmque loqueretur mecum conualui, & dixi: Loquere, Domine mi, quia confortasti me.* Sic de Angelo Daniel. Multa faciebāt ad timorem incutiendum. Primùm omnium nouum hominum genus, iuuenes faciè maximè decori, albis induti: Deinde locus ipse, vtpote segregatus ab vrbe, & in quo mortuus repositus esset: Sed & lapidis tam magni reuolutio, & custodum absentia: At verò Angeli eas alloquuntur & consolantur.

Chrysologus. *Nolite expauescere, &c.* Hoc est dicere, inquit Petrus Chrysologus, Sermone 80. Timeat Iudæus qui tradidit: Pilatus qui addixit: qui illusit, miles: Quæ crucifixit impietas: Crudelitas, amara pocula quæ propinauit: Sæuitia, quæ obsedit sepultum: Perfidia, quæ emit mendacium: fidem, quæ vendidit inhumanitas: quæ Dominum suum resurrexisse dolet, non dolet occidisse: Vos autem gaudere conuenit, non timere: quia resurrexit quem quærebatis mortuum, viuit quem lugebatis occisum. Bonos amor possidet, malos pauor, & impios timor terret, pios solatur affectio. Hæc ille. Vos quid timetis, qui vestros conciues videtis?

Iesum quæritis Nazarenum crucifixum. Non horrent crucem Angeli boni, quia est gloria Christi. En alterū signum quo internoscas & secernas bonum à malo Angelo. Crucem fugiunt tenebræ & Dæmones. Iesum etiam nominauit, quia Psalmographo teste, *Sanctum & terribile nomen eius.* Bonis est affamabile, malignis verò spiritibus tremendum atque terribile. Timent ac reformidant maligni crucifixum, qui contriuit capita draconis. Crux est signum fidelium, & terror Dæmonum, vt D. ait Cyrillus Hierosolymitanus. *D. Cyrillus. Hier.*

Surrexit, Non est hic, &c. Surrexit vtique propria virtute. Ipse

Ipſe reſurrectio & vita. Qui Lazarum aperto leuatoque lapide excitauerat: ipſe ſeipſum clauſo ſepulchro, quod longè mirabiliùs eſt ſuſcitauit. Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus, excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Quod autem legitur Act. 2. *Quem Deus ſuſcitauit, &c.* Sic intelligendũ eſt, quòd ipſe idẽ verus Deus ſeipſum excitauerit. Hinc dicebat, *Poteſtatẽ habeo ponẽdi animã meã, & iterũ ſumendi eam.* Pſal. 20. *Exaltare Domine in virtute tua.* Ioan. 10.

Surrexit, mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit. Rom. 4. *Traditus propter peccata noſtra, Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Gregorius Nyſſenus Oratione ſecunda de Reſurrectione Chriſti, ſignificãs ante aduentum ſuum admirabiliter accidiſſe reſurrectionem Saluatoris. Non dixit Angelus: *Ecce reſurgit*, ſignificãs id quod ſtatim fieret: ſed quoniam ante factum erat præterito tempore vtens dixit: *ſurrexit.* Chryſologus vbi ſupra. Sic dixit Angelus, qui aperuit ob hoc ſepulchrum, non vt inde exiret Chriſtus, qui ibi iam non erat, *Non eſt hic*, ait idem: ſed vt ibi Chriſtum iam non eſſe monſtraret. *Surrexit enim ſicut dixit,* Matth. 28. Gemina virtus eſt, & redire à mortuis, & futura præſcire. Nota & pondera illud: *ſicut dixit: ſicut dixit,* inquam, per ſeipſum in Euangelio, Per ſcripturam nempe Propheticam, *Reſurrexit ſecũdum ſcripturas,* vt ſupra diximus. *ſicut dixit,* per ſuos Apoſtolos: *qui virtute magna reddebant teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Actor. 4. *Sicut dixit,* Per Eccleſiam: *ſicut etiam dixit,* per viridicos, primóſque eiuſdem reſurrectionis teſtes Angelos. *Surrexit non eſt hic, aut qualis à vobis quæritur mortuus:* aut ſecũdum carnis præſentiam viſibilem, qui tamen vbique eſt, ſecũdum diuinitatem, qui nuſquam deerat per præſentiam maieſtatis. *Non eſt hic,* ſicut mortui dormientes in ſepulchris: *ſed ipſe ſolus inter mortuos liber*, quia ex mortuis reſurrexit in gloria. Ex hoc vt ſecundum exẽplar Græcorũ Apoſtolus Rom. 1. prædicat τοῦ ὁρισθέντος, *& ſchola Græca habent*, τοῦτ' ἐστιν ἀποδειχθέντος, *id eſt qui declaratus, & demõſtratus eſt, ac definitus filius Dei* (vbi vulgata & cõmunis editio ab Eccleſia recepta habet, *qui prædeſtinatus eſt filius Dei*) ex reſurrectione mortuorũ, ſiue, ex eo quod reſurrexit à mortuis. Si quæritur qua hora ſurrexit Chriſtus? Cùm non expreſſerit Angelus quando? Reſpondet D. Auguſtinus tomo tertio de Trinitate, libro quarto, capite ſexto, in diluculo reſurrexiſſe Dominum. Quæ probabilior ſanè

Gregor. Nyſſe.

Chryſologus.

Pſal. 87.

D. Aug.

eſt ſen

est sententia ac opinio, ex hymno illo Ecclesiastico: *Aurora lucis rutilat, cœlum laudibus intonat, mundus exultans iubilat, gemens infernus vlulat: Cùm rex ille fortissimus, mortis confractis viribus &c. Triumphans pompa nobili victor surgit de funere.* Consonant & oracula: *Exurgam diluculo.* Iterum
Psal. 56. Marc. vlt. *Surgens Iesus mane prima sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ.* Licet aliqui circa mediam noctem surrexisse censeant. Cuius rei in fortissimo Sampsone typus præcesserat, ex historia Iudicum, ca. 16. *Dormiuit Sampson, in vrbe Gaza, à Philistæis, postquàm percrebuisset apud eos intrasse vrbem, positis in porta ciuitatis custodibus, obsessus & circumuallatus, vsque ad medium noctis, & inde consurgens apprehendit ambas portæ fores, cum postibus suis & sera, impositásque humeris suis portauit ad verticem montis.*

Lactantius. *Surrexit.* Lactantius, Carmine de Phœnice, Christum adumbrante (qui vnicus Phœnix est) ita cecinit:

(sub.) auis.
Vnica, sed viuit, morte refecta sua. Rursus
Nam perit vt viuat se tamen ipsa creat. Iterum:
Vt possit nasci, hæc appetit ante mori.
Aeternam vitam mortis adepta bono.

Nyssen⁹. *Dicite Discipulis eius & Petro.* Nyssenus oratione secunda. Oportebat, inquit, primùm muliebrem sexum ab Angelo bonum resurrectionis accipere nuncium, quoniam mulier prima audierat fraudem serpentis. Discipulis gaudium annunciare debebat, quia mulier tristitiæ ministra Adamo fuerat. Sic ille. Quæ plus iterum cæteris permanserant, & inquisierant priores, nuncium accipiunt Angelicum. Neque hîc mulieribus, ait Chrysologus, ser. 80. Apostoli postponũtur, sed mulier absoluitur à reatu, dum portat vitæ, portat resurrectionis auditum, quę auditum mortis portauerat & ruinæ. Hæc ibi. Non dicit mulieribus Angelus: Prædicate per totum mundum: sicut dixit Apostolus Christus Marc. vltimo.

Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, sed vt annunciarent domesticis: *Dicite*, inquit, *discipulis eius & Petro.* Petrum specialiter nominat, ne ob lapsum & abnegationem Christi, animum desponderet, &, vt alter Iudas penit⁹ desperaret. Itẽ quia specialiter ipsum statuerat Ecclesiæ suæ præficiendum, Matth. 16. *Super hanc Petram*, vel, quod idem est super te Petrum, *ædificabo Ecclesiam meam: Et dabo tibi claues regni cœlorum.* Vt igitur ipsum quasi

quasi præ cæteris honoraret, quem monuisset, *vt conuersus fratres confirmaret*: Luc. 22. illius maximè nunc meminit. Sed obiiciet aliquis, Quare non ait Angelus, Dicite matri Iesu, discipulis eius & Petro? Responsio in promptu est: Quia enim ipsa certa erat de filij sui Resurrectione ac secura. Nunquam enim de illa dubitauit: Non oportebat eam vlteriùs certiorari per Angelum. Lege. 1. Digestis, De actionibus empti & venditi, ait Vlpianus Iurisconsultus: Neque certiorari debuit qui nõ ignorauit. Et in sexto Decretalium, De regulis iuris, Reg. 31. Eum qui certus est, certiorari vlteriùs non oportet. Quòd autem Christus primò matri apparuerit: quòdque prima à filio suo resurgente visitata fuerit pia mater, virgo Deïpara, & ratio suadet, comprobantque antiqui Doctores. D. imprimis Ambrosius, libro tertio de virginibus: Vidit Maria nempe virgo) prima Resurrectionem Domini & credidit: Vidit & Maria Magdalena, quamuis adhuc ista nutaret. Symeon item Metaphrastes apud Surium tom. 4. de vita & dormitione Mariæ. Videnter virgini primæ esse datæ boni nuncij Resurrectionis, & quoad eius fieri potuit, ab ea conspectus fuisse splendor filij, Licet Euãgelistæ nullam eius fecerint mentionem: Cauentes fortasse maternũ adferre testimonium ne videretur suspectum, & propter eius coniunctionem: fides ei minus haberetur. Sic ibi. Et Sedulius Poëta libro quinto, Carminum de B. Virgine cecinit:

Lex. *D. Ambros.* *Symeon Metaphrastes apud Surium.* *Sedulius Poëta Christianus.*

----Huius se visibus astans,
Luce palam Dominus priùs obtulit, vt bona mater
Grandia diuulgans miracula, quæ fuit olim
Aduenientis iter, hæc sit redeuntis & index.

In Canticis Paschalibus Græcorum, interprete P. Morello Turonensi, Cantic. 1. in Laudem Virginis: *Discipulis congaudebas, virgo Dei genitrix, Quoniam Christum videras, tumulo surrexisse, triduanum, vt dixerat.* Cantico iterum 9. in Laudem Virginis: *Natum conspicata tuum, surrexisse tumulo, Triduanum, sponsa Dei, ô sanctissima virgo, Omnem dolorem fugasti, Quem, vt mater tuleras, Quòd crucifixũ vidisses, Gaudioque perfusa, Hunc vna cum discipulis venerata laudabas.* B. Anselmus, de excellentia Virginis, c. 6. ita etiam sentit, ac Respondet, Cur Euangelistæ non referunt primò Virgini apparuisse? Nihil, inquit, superfluum in Euangelio. Si autem hoc dicerent, sicut alij cuilibet apparuisse matri, Quis non superfluum diceret, Reginã cœli & terræ

Cantica Paschalia Græcorum. *D. Anselm.*

Rupert⁹. coæquare aliis? Consentit Rupertus lib.7. De diuinis officiis c.25. Rediuiuus filius matri ante omnes mortales, materno virginem non defraudans honore, victoriam suam annunciauit. Dices, Quomodò ergo Marc. ca. vlt. dicitur: *Primò apparuit Magdalenæ?* Respõdet ibidem: B. Virginem excipim⁹. Sed prima fuit Magdalena ex omnibus testibus præordinatis, scilicet inter omnes Discipulos. Libro iterũ *S. Brigitta.* 6. Reuelat. B. Brigittæ, c. 94. Mater loquitur: Mihi apparuit filius meus priusquàm aliis, quamuis hoc nõ sit scriptum. Et serm. Angelico, De Virginis excellentia c.19. Sine dubio credendum, quòd mater ante omnes viuum resurrexisse *D. Anton.* vidit. D. Antoninus prima parte Chronicorũ c.7. de Christi Resurrectione titu.5. de Christi apparitione §.1. sic scribit: Creditur licet in Euangelio non habeatur, quòd antè omnes primò apparuit Mariæ matri suæ, vt quæ plus omnibus doluit: citiùs, & magis consolaretur de eius visione. Et quia plus hoc meruit, cum omnibus aliis deficientibus in fide eius diuinitatis & resurrectionis, ipsa sola firma, in fide permãsit. Et hæc potest esse ratio, quare ipsa cum aliis Mariis, ad sepulchrum non accessit, non solùm quia nimis *D. Bernard.* debilitata erat ex dolore mortis filij secundũ Bernardum: sed quia certa de eius Resurrectione, illa die fienda, vnde *D. Ambros.* noluit quęrere viuentem cum mortuis. Hoc etiã expresse dicit Ambrosius, scilicet priùs apparuisse matri suæ. Hoc & tenere videtur Ecclesia, eo quod manè celebrat Papa, in sancta Maria maiori. (Est enim eo die statio ad sanctam Mariam maiorẽ, vt patet in Missali Romano) Ideò autem Euangelistæ nõ curauerunt de hoc dicere, vel quia vt præsuppositum, & ab omnibus creditum consuerunt, vel quia vt testes describentes huius Resurrectionis, ne suspectum haberetur testimonium matris pro filio, ex naturali affectione, nõ ipsam, sed alios quibus apparuit insinuauerunt. *Baptis. Mant. Poëta.* Sic D. Anton. ordin. prædic. Et tum demum Mantuanus Carmelita Parthenices Mariane lib.3. de matre virgine ita piè cecinit: *Natum Prima resurgentem vidit.*

Ioã Gerson. Gerson quarta parte, sermone in die Paschæ: Non est dubium, ait, quin ipso die apparuerit, gloriosę virgini matri suæ, sicut dicit Ambrosius, de Virginibus supra citatus. *Honori⁹. Iacob. de Vitr.* Hanc sequuntur sententiam, Honorius Augustodunensis dicens: stellæ maris dolenti de Passione, sol de morte oriens apparuit: & Iacobus de Vitriaco, Feria 3. Paschæ: Matri dolenti, inquit, Christus apparuit. Quod autem Marc.

vlt.

vlt. dicitur primò apparuiſſe Magdalenæ, Reſpondet intelligendum, ex iis, qui aliquando peccauerant. Dicitur enim in conſequentibus: *de qua eiecerat Dominus ſepte Dæmonia.* Iterum inter omnes Diſcipulos prima fuit quæ dominum vidit. Veriſſimè ergo, ſcribit Rubertus vbi ſupra, Chriſtus reſurgēs matri apparuit. Quod ſi idcirco verum non videtur quia nullus Euangeliſtarum ſcriptis hoc atteſtatur, Conſequens eſt quòd nunquam poſt Reſurrectionem ſuam viſus ſit matri, quia quando, vel vbi apparuerit illi, nullus eorum nominatim dixit: Sed abſit hoc ab illo qui in lege ſua patrem & matrem honorare præcepit: abſit, inquam, vt matrem propter ſe doloris gladio tranſuerberatam, tam dura negligentia talis filius inhonorarit. Sic vir ille pius ac doctus. Quibus & Doctoribus magnæ certè notæ, & probatis ſcriptoribus, cōcurrente ratione nunc citata, liquidò conſtat Chriſtum quum primùm reſurrexit matrem inuiſiſſe, illam ſua recreaſſe glorioſa præſentia, atque lætificaſſe. Credendum igitur primùm apparuiſſe Chriſtum matri ſuæ: eandemque viſitaſſe. Etenim ſi Magdalenæ apparuit propter amorem quo Chriſtum proſequebatur: an non primùm omnium ipſum apparuiſſe credemus ipſi matri, quæ tantò maior erat in dilectione, quantò mater erat, & talis mater in cuius rei typum, Tobiæ iunioris mater, priùs vidit filium ſuum venientem, quàm viderit ſenex Tobias. Quæ dicta quoad hunc articulum ſufficiant. Reliqua proſequamur. *Luc. 8.* *Ratio.* *Tobiæ 11.*

Præcedet vos in Galilæam, Sicut dixerat Matth. 26. *Poſtquàm autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam*: vt vbi fuit initium ſplendoris gratiæ (Nam in Galilæa prædicare cœpit) ibi eſſet initium ſplendoris gloriæ, & apparitio Reſurrectionis. Galilæa autem Volubilis, vel, Rota, vel tranſmigratio exponitur, vt ſcilicet à peccatis ad virtutes faciamus tranſmigrationem, in huius vitæ volubili rota: Tunc Chriſtum reſurgentē videre poterimus. D. Auguſtinus to. 4. de conſenſu Euāgeliſtarū lib. 3. c. vlt. *Præcedet vos in Galilæā*, Quæ trāſmigratio exponitur: quia Chriſti gratia de populo Iſraël trāſmigratura erat ad gentes. Sic ille. *D. Aug.*

Et quidem hactenus de ſacri Euangelij expoſitione, quod potius ex D. Marco, quàm alio Euangeliſtarum hodie legitur, nec ſine myſterio huic negotio valde appoſito. Inter Euāgeliſtas ſiquidem, ſicut Matthæus, per faciem hominis, & Lucas, per faciem vituli ſiue bouis, ac Ioannes

Theologus, per aquilam ſublimius cæteris auibus volantem ac auium reginam: Sic Marcus per Leonem fortiſſimum beſtiarum congruè deſignatur. Matthæus quidem à Genealogia humanitatis Chriſti exorditur: Lucas à ſacerdotio Zachariæ in templo (Sacerdotis autem legalis erat offerre victimas & ſacrificia, vt oues, vitulos, vitulam ruffam, agnos &c.) Ioannes de æterna filij Dei ſeu verbi generatione (quod eſt aquilam irreuerberatis alioqui oculis ſolem ipſum in ſuo contueri ſplendore) verba facit in ſuo

Marc.1. illo Euangelio: *In principio erat verbum, &c.* At Marcus, vocem Leonis rugientis & clamantis in deſerto: *Parate viam Domini, in ipſo deſcribit exordio:* Sed Leonis quoque in periodo eiuſdem ac fine, expreſſit ſimilitudinem, in Chriſti Reſurgentis hiſtorica narratione, quam interpretati ſumus. Vnde eſt illud Patriarchæ de Chriſto, ex tribu Iuda ordo vaticinium ac oraculum Gene.49. *Catulus Leonis Iuda: Requieſcens accubuiſti vt Leo, quis ſuſcitabit eum?* & Apoc.5. *Vicit Leo de tribu Iuda, Radix Dauid,* Res miranda. Chriſtus agnus eſt & Leo: Agnus moriendo, Leo reſurgendo: Agnus in paſſione, Leo in victoria: Agnus in ſacrificio, Leo in præda. Ad prædam, fili mi, aſcendiſti, Geneſ.49. Leonis inſtar. Quid fortiùs Leone? Iudic.14. Iure itaque longè optimo, Ex Marco deſumitur Euangelium hodiernum. Supereſt vt de præſentis ſolemnitatis myſteriis fuſiùs eloquamur.

D. Gregor. Papa. Gregorius Magnus Homilia vigeſima ſecũda: Hæc, inquit, feſtiuitas ſolemnitates cæteras antecedit: Sicut in ſacro eloquio, Sancta Sanctorum, vel Cãtica Canticorum, pro ſui magnitudine dicuntur: Ita hæc feſtiuitas rectè dici poteſt, ſolemnitas ſolemnitatum. Ex hac quippe ſolemnitate exemplum nobis Reſurrectionis datum eſt ſpes cœleſtis patriæ aperta. Quod ante paſſionem ſuam dixit Dominus, in ſua Reſurrectione impleuit Ioan.12. *Si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipſum.* Omnia traxit qui de electis ſuis apud inferos nullum reliquit: Omnia abſtulit, vtique electa. Sic ille. Variis præterea figuris adumbrata eſt Chriſti Reſurrectio in Scriptura: Hic enim eſt ſanctiſſimus Patriarcha Ioſeph eductus è carcere, atque magnifico curru regio vectus: ac Saluator mundi lingua Ægyp-

Pſa.104. tiaca acclamatus. Geneſ. 41. de quo iterum in Pſalm. 104. Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Hic eſt Sanctus Moyſes ſumptus ex aquis, qui grandior factus vniuerſam Pharaonis potentiam,

tiam, tyrannidemque destruxit, in Exodo cap. 2. Hic est Mardochęus ille exutus sacco & cilicio, indutusque vestibus pretiosis, equo iterum regio circunductus, qui tātam de hoste capitali Aman reportauit victoriam, vt in eodem patibulo pro Mardocheo erecto, Aman suspensum viderit, liberauítque vniuersum Iudæorum populum à crudelissima internecione coniuratorum in Historia Hester. Hic est Sanctus Daniël, qui è lacu Leonum incolumis educt⁹, ferocissimarum belluarum famelica euasit ora. Hic est Sampson ille fortissimus, qui à suis obsessus inimicis, vt supra diximus, media nocte portas sustulit ciuitatis, atque sospes hostium manus effugit, præter eorum spem & existimationem. Hic est Ionas ille mysticus, qui seipsum morti opposuit, vt socios liberaret: suóque naufragio nauem seruauit sociorum. *Sicut autem fuit Ionas in ventre ceti, sic erit filius hominis in corde terræ. Ecce plusquàm Ionas hic Matt.12.* Ionas tertio demū die viuus ac incolumis de vētre ceti eductus est, & Christus tertia die resurrexit à mortuis. Quid plura? Resurrectionis huius gloria singularis in hoc primùm innotescit: Quia cæteri quidem resurrexerūt mortui, iterum morituri, *Christus autem resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur,* Rom. 6. Meritò proinde Resurgentium primitiæ Christus, qui ita resurrexit, vt cadere nō adiiciat, qui solus attigit immortalitatem. Deinde, Quis suscitauit aliquādo semetipsum? Singulare hoc est, nō est qui faciat, non est vsque ad vnum. Eliseus Propheta mortuum suscitauit, in 4. lib. Regum ca. 4. sed alterum non seipsum. Nec verò, vt finem faciamus dicendi, Christus Resurrectionem distulit vltra tertium diē, vt Propheta fidelis inueniatur qui dixit: Osee 6. *Viuificabit nos post duos dies & in die tertia suscitabit nos.* Qua de Resurrectione Sāctus Clemēs Romanus de Cōstitutionibus Apostolicis lib. 5. cap. 8. fusissimè agit: Quòd si, inquit, Græci derident nos, nō credentes nostris scripturis, saltem fidem habeāt vati suæ Sibillæ, quæ ad verbum ita cecinit.

Exod. 2. *Hest. c. 7.* *Daniël. cap. 4.* *Iudic. 16.* *Iona. c. 1.* *4. Reg. 4* *S. Clemens 1. Papa.* *Sibylla.*

Atque vbi cuncta cinis fuerint tenuisque fauilla
Atque idem Deus extinguet quem incenderat ignem
Ossaque restituet rursum ciner ésque sepultos:
Et genus omne hominum (vt fuerant) *Deus ipse reponet.*
Tunc graue iudicium veniet quo iudicet orbem:
Ipse iterum Deus, hósque iterum iam terra recondet.
Sed quoscunque pios, viuos suscipiet orbis

Inspirante Deo vitam, gratumque fauorem,
Mutuaque inter se cumulabunt gaudia læti.

Adiicio, Ex his facilè illustrari, quæ in Prosa seu Sequētia pro defunctis canere solet Ecclesia: *Dies iræ, dies illa, soluet seclum in fauilla, teste Dauid cum Sibylla.* Sequitur apud Clementem. Cum igitur illa Resurrectionem affirmet, corporumq; renouationem non neget, piosque ab impiis discernat: temerè hi (nempe Ethnici & Philosophi) nostratibus aduersantur. Quāquam aiunt in vnica specie, se Resurrectionem ostendere, non credētes iis quæ ipsimet narrant. Aiunt enim auem quandam esse soligenam, vberem præbentem Resurrectionis demonstrationem, quā dicunt comparem non habere: solamque in mūdo reperiri, Phœnicem appellant: Narrantque eam post quingentesimum annum in Ægyptum aduolantem, secumque copiam cinnamomi Cassiæ, Xylobalsami adducentem, in loco qui dicitur, Solis ora, consistere. ibique conuersam ad aspectum Solis, &, vt aiunt, supplicem, sponte conflagrare, redigique in puluerem. Ex cineribus autem vermem existere, eúmq; concalefactum in nouam Phœnicem formari, alitemque factam in Arabiam, quæ est vltra Ægyptiacum saltum, aduolare. Cum ergo (vt ipsi aiūt) per auem rationis expertē, probetur Resurrectio, cur temere nostratia calumniātur? cùm fateamur, qui potentia sua effecit, vt quod non erat, esset, eum quoque facere posse, vt id post eius interitum restituatur? Non propter hanc persuasionem verbera, persecutiones, mortes perferimus. Nam frustra ea didicissemus, nisi firmiter nobis hærerent, quæ aliis prædicanda suscepimus. Sic ibi D. Clemens vir Apostolicus & Apostolorum Amanuensis seu secretarius & scriba. Clementi subscribit & suffragatur Diuus Epiphan. in Ancorato, post media, agens ex professo de Resurrectione, & in hunc modum scribens: Historia de Phœnice Arabica auicula talis apparet: Quingentesimum annum agens, & vbi cognouerit tempus mortis suæ instare, rogum ex aromatibus sibi construit, eaque in vrbem Ægyptiorum Heliopolim appellatā defert, & propriis pedibus suis ac alis pectora sua valde pulsans, ignemque à corpore suo proferens, subiectam materiam in loco incendit, atque sic seipsum exurit, & omnes carnes suas vnà cum ossibus. Verùm ex Dei dispensatione nebula demittitur, quæ pluuiam effundit, & flammam corpus alitis consumentem

D. Epiphanius.

extin

extinguit, quum mortuus iam sit Phœnix, & extremè tostus. Extincta autem flamma, reliquiæ carnis ipsius adhuc crudæ restant, quæ ad vnum diem dissipatæ vermem gignunt. Vermis autē pennas producit, pullus euadens. Tertia verò die crescit, & accepto incremento, his qui in eo loco versantur, seipsum ostendit, & rursus ad propriā patriam recurrit ac quiescit. Sic de ipso Phœnice præfatus doctor Græcus, ex eo contra incredulos Resurrectionem arguens ac persuadens. Figuratur Christi Resurrectio prçclare quidem apud Danielem, cap. 6. vbi legimus, quod ex iussu Darij Regis coniectus fuit Propheta Daniel in lacū Leonum, vt ab eisdem dilaniaretur, & discerperetur, reliquitque Rex ostium lacus obsignatum sigillo suo. Cogitabant vtiq; aduersarij ipsius Prophetæ, ibi forç Prophetam interficiendum & dilacerandum ibique honorem eius extinguendum, cui hoc nomine tantoperè inuidebant, & eò miseriarum eundem coniecerant. Verùm lōgissimè aberrarunt: Siquidem Propheta in Leonum lacu existens, preces suas fudit ad Dominum: Cuius deprecatio exaudita est, ita vt incolumis & illæsus euaserit Leonum ora, dicente B. Paulo Heb. 11. *Obturauerunt ora Leonum*, Quod de Daniele exponunt interpretes, ampliorémque honorē postmodum consequutus fuerit: Ita Christus maiori cum triumpho & trophæo euasit ora hostium suorum, atque infensissimorum inimicorum. *Hæc est dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*, Psal. 117. Causam Propheta subiecit, dicēs: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Quæ verba D. Petrus Apostolorum Coriphæus, in Resurrectionis memoriam repetēs, in Actis Apostolicis sic cōcionatur: *Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, & factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus.* Quis salutē speraret à Crucifixo, & vitam à mortuo? Hoc nomine deridemur à Turcis & infidelibus, Nescientibus nos nō magis mortuo quàm viuo cōfidere. Quē è morte reuixisse certò didicimus: *Simus Christū surrexisse ex mortuis verè*, Credo, dicit, cū Iob Propheta, quilibet Christianus, quia *Redemptor meus viuit.* Cum ergo Historiæ asseuerent Christum passū esse sub Pilato, Resurrexisse cū consequens est, sicq; viuere Christus ipse loquitur, Apoc. 1. *Ego sum primus & nouissimus & viuus, & fui mortuus & ecce sum viuēs in sæcula sæculorū, & habeo claues mortis & inferni.* Hunc Deū viuū esse non dubitamus, cui securi credimus

Act. 5.

Iob. 19.

dimus,& absq; vllo speramus errore. Exurge anima Christiana, exurge: Ecce Iesus Nazarenus Crucifixus, Redemptor tuus: Surrexit, nõ est hic, in sepulchro iacẽs mortuus, Reuixit: Lamentationes depone, & lætitiæ Canticũ Halleluia, assume: *Tu quoque, Regina cœli, lætare, quia quem meruisti portare, Resurrexit à mortuis verè.* Quã meritò potuisti illud, Luc. 15. vsurpare! *Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram.* Perdideras quando in cruce animam exhalauit, *quando opprobrium hominum & abiectio plebis fuit:* iuxta Psalmographum. Psalm. 21. Hodie illum cũ inæstimabili gloria rediuiuũ recuperasti. Et nos de ei' Resurrectione collætemur. Hoc loco monendum duxi lectorem, ne Sedulij versibus & carminibus persuasus & illectus, minus reuerenter de Mariæ Sanctissimæ matris excellenti spe ac certa fide, firmáque, circa Christi filij sui Resurrectionẽ persuasione, quàm oporteat ac deceat ipse sentiat, Sic enim cecinit: lib. 5. Carminum.

Sedulius Poëta.

Hoc luminis ortu.
Virgo parens, aliaque simul cum munere matres
Messis aromaticæ, noctu venêre gementes
Ad tumulum, vacuúmque vident iam corpore factum
Sed plenum virtute locum.
De Angelo ibi apparente subdit:
Flammeus aspectu, niueo præclarus amictu
Qui gemina specie terrorem, & gaudia portans.

Iterum de custodibus pecunia corruptis, subiicit optimam instantiam, siue mauis, obiectionem:

Fare improbe custos:
Responde scelerata cohors: Si Christus (vt audes
Dicere) concluso furtim productus ab antro
Sopitos latuit, cuius iacet intus amictus,
Cuius ad exuuias sedet Angelus? Anne beati
Corporis ablator, velocius esse putauit
Soluere contectum, quàm denectare ligatum?
Cum mora sit furtis contraria. Cautius ergo
Cum Domino potuere magis sua lintea tolli.
Mentita est vox vana sibi, tamen ista figuram
Res habet egregiam, Iudæis constat ademptum
Quem nos deuoto portamus corpore Christum.

Sic Sedulius de Resurrectione Christi. Verùm hæc opinio de Sanctissima Deipara ad sepulchrum cum cæteris Mariis pergente ad videndum & vngendum corpus

Do

Dominicum, non videtur probabilis, vt fusiùs & latiùs supra prosequuti sumus: Nec enim iuit Maria ad monumētum, quæ certa securáque maximè erat de filij charissimi iuxta pollicitationes suas resurrectione. Cautè ergo legēdus est Nicephorus Historiæ Ecclesiasticæ libro primo capite trigesimo tertio. *Maria Magdalena & altera Maria venerunt videre sepulchrum.* Matt. 28. Alia Maria, inquā (Dei vero genitricem hanc esse, sacri nobis prodidère libri) vt reliquis fœcundiores vehementioréque affectæ dolore, vnguenta quædam ritè præparata habentes, adueniebant, de Iudæorum consuetudine Iesum vncturæ: atque ex matutino tempore comploraturæ: Ecce autem lapidem conspiciunt deuolutum. Hæc ibi. Ac rursus: Magdalena cum ipsa Dei genitrice ad sepulchrum Christum vidit, vt D. commemorat Matthæus. Sic ille. In fine, Obserua & transfer ad mores, verba ista: *Surrexit, non est hic.* Non inuenitur Deus in his sæculi vanitatibus, & insaniis falsis, vt dicit Psaltes. Non in commotione Dominus, ait visio Prophetica: Non in lectulo molli: Non inter cognatos & notos: Non in deliciis & voluptatibus, honoribus ambitiosè quæsitis: Non, inquam, in hoc mundo & sæculo nequam, inuenitur Dominus. Non est hic. Heb. 13. *Non habemus hic ciuitatem permanentem, ed futuram inquirimus.* Ne ergo in hoc mundo spem nostram collocemus, sed ad Christum suspiremus: *Surrexit nō est hic.* Amplificare facilè poteris. Nos igitur diligentes & impigros præbeamus, satagamúsque per bona opera Christo resurgenti configurari. Exemplaris enim causa est, vt spiritualiter quidem primò à peccatis ad vitam & gratiam resurgamus, in qua quotidie maiores progressus faciamus, atque tādem per ipsum, qui est nostra Resurrectio, Per quē & nos resurgere deuota mente credimus, ad vitā venturi sæculi resurgamus, in corpore & anima, gloria fruituri sempiterna.

Amen.

Niceph. lib. 1. c. 33

*



FERIA SECVNDA

PASCHAE.

De peregrinis, Luc. 14.

Duo ex Discipulis Iesu, ipsa die ibant in castellum nomine Emaus.



Vinque Christi Domini apparitiones in die resurrectionis commemorant Euangelistæ. Apparuit enim primo Magdalenæ seorsim, deinde aliis Mariis cum ea existentibus, quando mulieribus illis dixit, *Auete*, Mat. 28. Tertiò, Petro, vt spē ei certissimam veniæ de præterita negatione exhiberet: Luc. 24. *Surrexit Dominus verè & apparuit Symoni* Quartò, duobus Discipulis eadem die in Emauntē proficiscentibus, de quibus præsenti Euangelio. Quintò, serò cùm fores essent clausæ decem Apostolis præsentiam sui exhibuit Thoma absente, vt indicat D. Ioannes c. 20. & Dominica proxima, Deo fauente interpretabimur latius.

Qui essent isti duo, variant sententiæ & suffragia Doctorum. De altero, nulla potest esse ambigendi occasio, proprium enim eius nomen ab Euangelista exprimitur: Cleophas scilicet: Alterius verò reticetur nomen. Et quidem D. Ambrosius, Commentariis in Lucam capite vltimo, Ammaontem vocat. Quo vno excepto, omnes ferè reliqui tam Græci quàm Latini, ipsum Euangelistam Lucam, de seipso suppresso nomine loquutum fuisse existimant. Surius to. 5. de probatis sanctorum vitis, ex Symeone Metaphraste de B. Luca agens, Resurrectionis, inquit, conspector fuit cum Cleopha. Eusebius iterum Emissenus Homilia præsenti: Lucas putatur, ait, comes ille & socius Cleophæ. Mos siquidem est scriptorum de se quasi de alio loqui. Sic Moses Matthæus. Ioannes, & Paulus 2. Cor. 12. *Scio hominem raptum vsque ad tertium cœlū* de se loquens

D. Ambros. *Surius.* *Sym. Metaphrastes apud eum.* *Euseb.*

loquens. Cantica iterum Paſchalia Græcorum P. Morello Turonenſi interprete id imprimis affirmant. Canti. quintum proceſſionale ſic. *Cantica Paſchalia Græcorum.*

Chriſtus, & vita & via,
Poſt mortem cum Cleopha
Et Luca peregrè iuit,
Quibus & innotuit
In Emmaus frangens panem.

Cantic. iterum quintum Matutinale conſonat ad Chriſtum conuerſo ſermone,

At Luca Cleophaq́;
Comes itineris ambulas,
Et ambulans
Non ipſe ſtatim qui ſis aperis. Sic ibi.

Extat & Cyri Theodori Prodromi Epigramma Græcum, id comprobans, cuius ἐπιγραφὴ & eiuſmodi, ſiue inſcriptio & titulus. Εἰς τὸ κατὰ Κλεόπαν καὶ Λουκᾶν, id eſt, in illud, quod de Cleopa & Luca legitur: Dominum videlicet illis viſum fuiſſe. *Cyrus Prodromus.*

Ἔκλας τὸν ἄρτον καὶ πρὸ τοῦ πάθους λόγε
Κλᾷς καὶ πάλιν τὸν ἄρτον ἐξεγηγερμένος,
Ἐκεῖ σεαυτὸν ἱερουργεῖς τῇ κλάσει:
Ἐνταῦθα σαυτὸν ἐμφανίζεις τοῖς φίλοις.

Hoc eſt, vt verbum verbo reddamus:

Fregiſti, ò Verbum patris, panem & ante paſſionem:

Nempe in cœna: Matth. 26.

Frangis & rurſum panem rediuiuus ſiue reſurgens ex mortuis, præſenti nimirum loco:

Illic teipſum in fractione ſacrificas.

Nota ergo, in cœna Chriſtum ſeipſum ſacrificaſſe.

Iſthic teipſum demonſtras pateſacisq́; amicis:

Duobus illis apparens diſcipulis, Cleophæ nempe & Lucæ de quibus in titulo. Sic cenſent Græci, Lucam fuiſſe alterum ex Diſcipulis.

Hi duo Diſcipuli non erant ex Apoſtolis, quod ſatis ex calce Euangelij colligitur. *Surgentes eadem hora reuerſi ſunt in Hieruſalem, & inuenerunt congregatos vndecim, &c.* Vnde apparet eos ex 70. fuiſſe Diſcipulis. Nonnulli autem ſunt qui aſſerant Diſcipulum illum qui non nominatur, appellatum eſſe, Emaus, (Poſuit Ambroſius non diſſimile nomen Ammaon dicens: Ammaoni & Cleophæ legitur veſperè apparuiſſe) inſtar nominis ipſius caſtelli *D. Ambroſ. vbi ſupra.*

ſtelli quo ibant: atque idcirco non exprimi eius nomen, nē bis idem nomen eſſet inculcandum. Latini ſcriptores in ea ſunt ſententia. Alterum ex Diſcipulis duobus Lucam fuiſ-ſe. B. namque Gregorius Papa, præfatione Moralium in Iob. c. 2. eiuſdē prologi. Moris Scripturæ ſacræ eſt, inquit, vt ipſi qui ſcribunt, ſic de ſe in illa, quaſi de aliis loquantur. Hinc eſt enim quod Moyſes ait: *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra:* Nume. 12. Hinc Ioānes dicit: *Hic eſt Diſcipulus ille quem diligebat Ieſus.* Hinc Lucas ait, quòd ambularēt duo ex Diſcipulis in via: Cleophas & alius. Quem profectò alium dum tam ſtudioſè tacuit (vt quidam dicunt) niſi ſeipſum fuiſſe monſtrauit? Scriptores igitur ſacri eloquij, quia impulſu ſancti Spiritus agitantur: ſic de ſe in illo teſtimonium, quaſi de aliis proferunt. Sic ille. Nicephorus quoque Hiſt. Eccleſiaſt. li. 1. c. 34. Prima Reſurrectionis die à Luca & Cleopha, iter carpentibus apparens, ad cœnam per panis nimirum fractionem cognitus eſt. Sic ille, Et Theophylactus, argumento in Euangelium ſecundum Lucam: Sanè, ait, Domino noſtro docente (vti quidam tradunt: In his ego numero Epiphanium Græcum contra Hæreſes ſcribentem) vnus ſeptuaginta Diſcipulorum factus eſt: Chriſtóque cum ſurrexiſſet à mortuis, cum Cleopha occurrit. Sic ibi. Idē in Lucam 24. c. Nonnulli inquit, vnū ex duobus illis Lucam ipſum fuiſſe dicunt. Idcircò & abſcondit nomen ſuum Euāgeliſta. Hęc ibi. S. Pater Anaſtaſius Synaita lib. 10. Commentariorum in Hexaëmeron, ſiue in ſpiritualem anagogem ſex dierū circà finem: Audi quid facit Chriſtus poſtquam reſurrexit à mortuis. Cleopha enim & qui cum eo erat Luca, vt dixerūt myſtæ ad Emaus ab Hieruſalem, ſicut Adam & Eua, ſeparatis & lucem veram non videntibus, *Ieſus appropinquans ambulabat cum eis: & oculi eorum adhuc tenebantur ne eum agnoſcerent, ſed in fractione, eorum aperti ſunt oculi & agnouerunt eum.* Ecce habes eſcam, habes etiam per eſcam viſus recuperationem, & Dei agnitionem, quē per eſcam ignorauerunt protoplaſti. Sic ille ſanctus Monachus ac presbyter, Gentiano Herueto interprete, in appendice Bibliothecæ Sanctorū Patrū. Opinio igitur valde probabilis, quamque primæ notæ, claſſicíque ſequuntur Doctores, hæc eſt, Lucam fuiſſe alterum illum cui in via Dominus apparuit. Quæ inde lōgè probabilior redditur, quòd Lucas ex Chriſti Diſcipulis ſeptuaginta ſelectis, vnus fuerit. Quòd ſi obieceris

D. Greg. Magnus.
Nicephorus.
Theoph.
Epipha. to. 1. li. 1. in fine tomi.

obieceris eundem sui Euangelij prologo profiteri se scribere, *Sicut*, inquit, *tradiderunt nobis hi qui ab initio suis oculis viderunt, & ministri fuerunt sermonis*: Respondeo cum eodem Theophylacto ibi, hinc manifestum quidem esse Lucam ab initio non fuisse Discipulum, sed posterioribus tẽporibus. Alij enim ab initio didicerant, vt Petrus, & Filij Zebedæi, qui & tradiderunt hinc, quæcumque ipse non viderat, neque ipse audierat. Sic Theophylactus. Intelligamus etiam eum hic notare non tantùm Apostolos, sed & Christi matrem Mariam. Non ob hoc tamẽ negatur Christum in carne vidisse, cùm fuerit ex discipulis vnus. Referam postremò Didaci Stellæ in hoc Euangelium sententiã: *Didacus Stella.* Is erat nostræ Minoritanæ familiæ Salmãticensis eximius Theologus. Qui fuerint isti duo, inquit, graues Doctores senserũt, quòd fuit vnus illorum Lucas, & alter Cleophas. De Luca dubiũ est. Hieronymus enim ait, quòd Lucas Dominum nõ vidit in carne. Sic ibi. *D. Hier.* In prologo autẽ eiusdem Lucę, ad verba: *Sicut tradiderunt nobis, &c.* censet errare eos qui dicunt Lucam alterum fuisse istorum duorum quibus Dominus apparuit hoc loco, cùm audita referat non visa. Dixisset enim: Sicut ipse magna ex parte vidi. Sed salua huius viri Docti reuerentia: Quamuis sic Lucas loquutus fuerit: Sicut tradiderũt nobis qui ab initio viderũt, Et non dixerit: Sicut magna ex parte vidi aut audiui, tamen infirmum inualidúmque est hoc argumentandi genus, per locum ab authoritate negatiuè, vt idem ipse ibidem agnoscit. Deinde quod ex Hieronymo ponit, Lucam Dominum non vidisse in carne: Dico præfatũ patrem Ecclesiæ ac Doctorem, in Catalogo scriptorũ Ecclesiasticorum, vbi de S. Luca agit, dicere quidẽ Lucam nõ solum ab Apostolo Paulo, didicisse Euangelium, qui cũ Domino in carne nõ fuerat, sed à cæteris Apostolis, quod ipse quoque in principio sui voluminis declarat, dicens: *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, &c.* Igitur Euang. sicut audierat scripsit. Sic quidem D. Hierony. *D. Hier.* Quæ verba: Qui cum Domino in carne non fuerat, &c. Stella ad Lucã retulisse videtur: cùm tamen ad D. Paulum post Christi in cœlos Ascensionẽ conuersum & vocatum Apostolum, referenda sint: qui cũ Domino in carne non fuerat. Nihil ergo conuincit aut efficit, per hæc verba citata ex Hieronymo contra nostram sententiam. Non debuit igitur censuram apposuisse huiusmodi: Errare nempe eos, qui asserunt Lucam fuisse, socium Cleophæ.

Cleophæ. Cùm in problemate hoc Theologico liberum sit quam velis, sine fidei iactura ac detrimẽto seu præiudicio, sequi sententiam cum omni modestia & sobrietate. Finem facio in citatione Doctissimi & lucidissimi interpretis Lyrani ordinis nostri qui ad hunc locum sic scribit: Duo scilicet ex septuaginta Discipulis, Quorum vnus fuit Lucas Euangelista, propter quod & nomen suum tacuit. Sic ille. Cum quo me sentire profiteor. Sed de his iam satis.

Lyran⁹.

Cassiod. in Tripartita. *D. Hier.*

Emmaus. In Tripartita Histor. lib. 6. c. 42. dicitur, quòd est ciuitas Palæstinæ Nicopolis nomine. Hanc Emmaus Euangelium appellat. Quam Romani post vastationẽ Hierosolymorum Nicopolim ex euentu victoriæ appellauerunt. Et D Hieronymus to. 3. Epistolarũ, De locis Hebraicis: Emaus, inquit, de quo loco fuit Cleophas, cuius Lucas meminit Euangelista, hæc est nunc Nicopolis insignis ciuitas Palestinæ. Sic ille. Refert Nicephorus, Hist. Eccles. li. 10. c. 31. hoc modo: In Palestina ciuitas est Nicopolis nomine, quæ vicus antiquitùs fuit sacro Euãgeliorum libro cognitus, in quo Emaus nũcupatur. Eã quippe Romani posteà, Iudęis fortissimè deuictis, metropolíque eorum Hierusalẽ capta, atque euersa ex euentu nomine imposito, Nicopolim vocarunt. Ante ciuitatem istam in triuio, vbi videlicet Christus post resurrectionẽ à mortuis, cùm Cleopha comitéque eius iter faciens, in vicum alium se properare finxit: Fons quidã est morborũ hominibus omnium, atque etiã variorum animantibus ipsis laborum, auxilium. Hîc Christum dicunt cum discipulis suis, vbi de itinere lõgiore fessus esset, cùm nobiscum in terris versaretur, (intellige cùm esset in statu mortali ante resurrectionem, nempe suam, cùm ęsset fatigatus ex itinere, sicut & in Sichem ad puteum Iacob illi cõtigit olim) pedes lauisse: atque ex eo tempore salubrem ad ægritudines dispellendas eã vndam esse factam: Sic Nicephorus Historiographus Græcus de Castello illo scribit. Distabat hic locus à Hierusalem stadiis sexaginta, quæ faciunt septem miliaria Italica cum dimidio. Nam stadium octaua pars est miliarij. Lyranus noster dicit sexdecim stadia facere vnã Leucam: Ex quo patet quòd non distabat à Hierusalem per quatuor Leucas integras. sed deficiunt quatuor stadia. Sic ille. Gallica computandi ratione & forma, *Trois lieues trois quarts.*

Lyranus

Loquebantur adinuicem de omnibus quæ acciderant, &c. Nẽpe quomodò fuerat à Iuda proditus, ab Apostolis derelictus,

lictus, à Petro negatus, apud Annam alapa à Malcho ingratissimo percussus, à Caïpha illusus, consputus, velatus, ab Herode in veste alba derisus, ad præceptum Pilati flagellatus, spinis coronatus, tandémque crucifixus inter duos latrones, felle & aceto potatus, lancea confossus, quo moriente prodigia consequuta visa sunt. Postremò honorificè sepultus, & ita per singula. O sancta colloquia? *Omnis sermo vester sale conditus sit*, ait Apostolus. Inter sic loquentes medius astitit Iesus, qui ait: *Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum sum.* Rursus Luc. 24. *Dum hæc loquuntur stetit Iesus in medio, &c.* Isaiæ 32. *Stultus fatua loquetur.* Et Apostolus ex Menandro. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.*

Collo. 4. *Matt. 18* *Menander.* *1. Cor. 15*

Factum est dum fabularentur, &c. Hîc Lyranus non à fabula dici fabulari sed à fari, id est loqui, existimat, quia nō loquebantur de vanis & fabulosis, sed de operibus Iesu & morte eius. Hęc ille. Vulgare Romanum est, Fauellare, pro eo quòd dicimus colloqui: Non quòd fabulam dicerent, tametsi nutarēt in fine & spę. Fauella Toscana, dicitur Italicè, *le langage Toscan le plus poly de l'Italie.*

Tu solus peregrinus in Hierusalem, &c. Cùm multi peregrini, & de diuersis partibus venissent in Hierusalem ad diem festum Paschæ, Ioan. 12. Mirum quòd tu solus inter alios peregrinos ignores ea quæ sunt nota aliis omnibus. Vel etiam vt scribit Cicero, libro 2. Epistolarum Familiarium. Epistola 12. obuiæ mihi sint velim tuæ literæ, quæ me erudiant de omni Republica, ne hospes planè veniam. Et oratione 18. pro C. Rabirio: Adeone hospes huiusce vrbis, adeone ignarus ex disciplinę, cōsuetudinísque nostrę, vt hæc nescias, vt peregrinari in aliena ciuitate, non in tua magistratum gerere videâre? Sic Cicero, hospitem ac peregrinum eleganter appellans ignarum eorum quæ in ciuitate geruntur. Hîc, si voles, agere poteris de Peregrinationibus religionis ergò susceptis, Romerias Hispani vocant à peregrinatione ad sancta limina Apostolorum, Romæ. Hi duo discipuli iuerant in Hierusalem ad diem festum, & reuertebantur ad propria in Emaus. Quia Exod. 34. *Tribus temporibus apparebit omne masculinum*: & ad templum Salomonis iubebantur ter in anno conuenire. 2. Par. 8. vt adorarent. Imò venerunt Gētiles in Hierusalem adorare in Pascha Ioan. 12. Et Eunuchus, Act. 8. de Æthiopia venit adorare in Hierusalem. Laudandæ sunt ergo

Cicero.

peregrina

peregrinationes ex deuotione. 2. Reg. 15. dixit Absalon ad Regem Dauid: *Vadam, & reddam vota mea quæ voui Domino in Hebron: Vouens enim vouit seruus tuus, cùm esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Hierusalem, sacrificabo Domino: Dixitque ei Rex Dauid: Vade in pace. Et abiit in Hebron.* Lyranus ibi doctè annotat, quòd locus ille sanctus reputabatur eò quòd quatuor Patriarchæ principales sunt ibi sepulti cùm suis coniugibus. Scilicet Adam & Eua (secundùm vnam opinionem, quàm non sequor) Abrahã & Sara, & Isaac & Rebecca, Iacob & Lya: Et ideò Absalon fingebat illuc ire ex deuotione, sed principaliter intendebat ibidem contra patrem conspirare, quia locus ille distat à Hierusalem per 16. miliaria, secundum Hieronymum, libro de Distantiis locorum: & ideò meliùs poterat ibi fautores suæ conspirationis congregare: Iterum quia Dauid pater eius ibi primò regnauit, vt eodem lib. Reg. habetur, & ideò videbatur locus aptus, vt ibi inciperet regnum eius, Sic sub specie religionis tegebat malitiã & conspirationem parricida Absalon. Hæc ibi Lyranus.

Lyran⁹. *D. Hieronym.*

Peregrini conditiones nunc explicemus. Prima: Ille per rectam viam incedit, non per flexuosam & obliquam, vt perueniat ad patriam. Sic Psal. 118. *Viam mandatorũ tuorum cucurri.* Secunda: ille non retrocedit cùm cœperit peregrinari, Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum & respiciens, retro, &c.* Sic Christus retrorsum non abiit, sed Passione instante ad inimicos processit, Ioan. 18. dicens, *Quẽ quæritis.* Tertia: Ille in terra peregrinationis non diu consistit, non diu consistit, non ibi fixam manendi sedem sibi quærit, Heb. 13. *Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Vnde etiam in quodam poëmate suo Homerus.

Homer⁹.

οὐ γὰρ συνοιχήσοντες ἐνθάδ' ἤλθομεν. hoc est,

Non vt habitemus, huc venimus, siue, quod idem est, fixam hic ac constantem commorandi sedem non habemus. Quarta, ille in terra aliena non contrahit amicitias. Sic D. Iacobus in sua catholica: *Amicitia huius mũdi inimica est Deo.* Quinta: De negotiis ciuium non se ingerit aut immiscet alienis rebus, sed satagit rerum suarum. Hinc Cicero lib. 1. De officiis: Peregrini & incolæ officium est, nihil prçter suum negotium agere, nihil de alio conquirere. miniméque in aliena esse Repub. curiosum. Sexta: Ille sustinet multa incommoda in peregrinatione, proditur à socio, occiditur ab hospi

Iacob. 4. *Cicero.*

ab hoſpite, & ſpoliatur à latronibus. 2. Cor. 11. *In itineribus ſæpe, periculis latronum, periculis in falſis fratribus.* Septima ac poſtrema eſt: Ille baculo vti ſolet ad ſuſtentationem, ad fluminum tranſnadationem, & beſtiarum expulſionem, Gallicè dicimus, *vn bourdon de Pelerin.* Geneſ. 32. *In baculo meo tranſiui Iordanum iſtum.* Pſalm. 22. *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Obſeruabis hoc loco, nos eſſe peregrinos. 1. Pet. 2. *Obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis.* Sic Patriarchæ Heb. 11. *Confitentes quia perigrini & hoſpites ſunt ſuper terram* Pſal. 38. *Ego aduena & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Illi peregrinati ſunt, vt peruenirent ad terram promiſſionis in figura noſtri, & Chriſtus peregrinatus eſt in Ægyptum fugiens Herodis tyrannidem. *Matt. 2.*

Tu ſolus peregrinus. Quàm pauci ſunt, ô bone Ieſu, qui tecum in hac vita peregrinari velint, qui in mundo radices non habeant, qui de terrenis non inquirant, ſed æternis ac cœleſtibus inhient. Vnde Apoſtolus 2. Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna. Non eſt hæc terra maledicta, Geneſ. 3. Patria noſtra, ſed lacrymarum vallis, ſed exilij locus. *Tranſeamus ergo per bona temporalia, vt non amittamus æterna.*

Quæ? Non dixit Chriſtus ſe ea neſcire, aut ad ſuam notitiam non perueniſſe ea de quibus ipſi loquebantur: ſed percontabatur non tanquam ignorans, ſed vt ex eorum reſponſionibus, acciperet ipſe occaſionem medendi eorum infirmitatibus, cóſque erudiendi. Duo hic nobis inſinuantur. Vnum eſt, Dominum non meminiſſe iniquitatum noſtrarum antiquarum. Ideò dicit, *Quæ?* Quaſi ille oblitus eſſet alaparum, ſputorum, clauorũ, & crucis quam ſuſtinuit. Quorum tormẽtorum eius, nos in cauſa ſumus. Sed ſi nos pœniteat peccatorum, *Omnium iniquitatum noſtrarum, ſicut ipſe per Prophetam dicit non recordabitur.* Alterum eſt, quod hæc narratio de hiſtoria ſuę paſſionis, quàm pro nobis ipſe ex maximo amore ſuſtinuit: ſuauiſſima eſt illi, quod vt ſignificaret nunc rogat, *Quæ?* *Ezech. 18. cap.*

De Ieſu Nazareno, Qui fuit vir, &c. Imò qui ſemper eſt. *Antequam Abraham fieret: Ego ſum:* Ioan. 8. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula.* Heb. 13. Nunquam deſiit eſſe Deus, licet quatenus homo mortuus ſit & dicatur.

Potens in opere & ſermone. Nota, ex eo quod prædicatur

ſit potens in opere, hoc eſt præclara & laudabilia præſtet opera: ſequitur quòd potens quoque ſit in ſermone, & fructum faciat copioſum in auditorum animis. *Plus enim mouent exempla quàm verba.*

Quomodo tradiderunt eum principes noſtri &c. Hierem.5. *Ibo ad optimates & loquar eis, Ipſi enim cognouerunt viam Domini. Et ecce hi magis fregerunt iugum, ruperunt vincula, & à Propheta vſque ad ſacerdotem omnes faciunt dolum.* Hinc collige quantum ille damnum inferat, qui author eſt & principium alicuius mali. Procurauerunt autem principes ſacerdotum captionem Chriſti, & perſuaſerunt populis, vt coram Pilato peterent eius crucifixionem, & Barrabæ dimiſſionem. Matth. 27. quòd perinde eſt, ac ſi propriis manibus eum interfeciſſent, quia fuerunt authores & capita tam iniuſtæ necis. Scelus quidem Ieroboam qui vitulos conflauit ad adorandum 3. Reg. 12. lib.1.cap.2. crebrò repetitur in ſacris literis, propterea quòd multis extiterit cauſa perditionis & ruinæ: Ait enim ſacra ſcriptura, Qui peccare fecit Iſraël: Ita planè eorum ſcelus grauiſſimum erit, qui authores ſunt, vt alij Deum offendant.

3. Reg.c. 12.

Nos autem ſperabamus. O Diſcipuli ſperabatis: Ergo iam non ſperatis: Ecce Chriſtus viuit, ſpes mortua eſt in vobis. Quem viderant mortuos ſuſcitaſſe, non credebant reſurrexiſſe, *Sperabamus*, aiunt, Quaſi dicant, Iam euaneſcit ſpes noſtra, quia iam tertia dies eſt hodie, qua prædixit ſe reſurgere, & tamen adhuc non apparuit Diſcipulis, licet tertia dies ſit propè finem ſicut infrà dicitur, *Adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies.* Multi quidē exiſtimabant, quòd temporaliter regnaturus eſſet, eóſque à Romanorum ſeruitute vindicaturus. Vnde Act. 1. Legimus, *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?* Sed per Chriſtum ſic intelligenda erat futura inſtauratio: Quomodo Dauid in ſpiritu prædixerat dicēs: *Ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.* Et Matth. 1. *Ipſe ſaluum faciet populum &c.* Non quòd ab Imperij Romani ſeruitute vindicaturus eſſet ſuos in priſtinam libertatem, qualem ſub Dauide & Salomone habuerunt. Dixit enim Ioan.18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Tacent ingrati quòd ſit filius Dei. Interiùs quoque dubitāt de eius reſurrectione. *Potens in opere,* quia ſingula miracula ſi ritè perpendas, in poteſtate ac maieſtate operatus eſt. *Potens in ſermone,* quia Matt.7. *Erat docens ſicut poteſtatem habens*, & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi

Pſa.129.

Pharisæi *Potens in opere, quia operatus est salutem in medio terræ, & sermone, quia dixit & facta sunt.* Act. 1. *Cœpit Iesus facere & docere. Coram Deo, sine hypocrisi, & coram populo, pro quo mortuus, vt sanctificaret populum*, sicut scribi Apostolus. *Ephes. 5. & Hebræ. 9.* Psal. 75. Psa. 148. Ephe. 5. Hebr. 9.

Illud non prætereundum quod eodem ipso die nondum adhuc decurso, quo pollicitus fuerat Christus se resurrecturum, eodem inquam, iam conquerebantur Discipuli quod Iesum nō viderent resuscitatum: in quo suam inurbanitatem, & minimam confidentiam declarabant. Impatientes moræ erant isti: Cùm tamen dicat Abacuc. 2. *Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet.* Et Isaiæ. 28. *Qui crediderit, non festinet*, hoc est, non labascat, non diffidat vel moueatur ob retardationem, quia licet videatur differre, tamen non deerit suis promissis verax sponsor Christus. Quod alio loco iàm tractauimus. Annō ille, obsecro, inurbanus esset nimiumque importunus ac diffidens, qui ab eo cui commisisset centum aureos nummos ad certum diem restituendos, antequàm exactus & finitus esset dies, eosdem maxima cum importunitate exigeret? Dixerat Christus se tertia die resurrecturum: An non stetit pollicitis? An nimium moratus est? Minimè verò. Non expectarunt donec tertia dies decursa esset, neque spectauerunt quorsum tēderent hæ visiones Angelicæ cæteraque signa. Huc conferre placet quod disertè D. Eusebius Emissenus Homil. 11. de Pascha circa medium ponit: In negotiis gerendis quatuor modis homo cadere causa dicitur, id est, quatuor modis plus petendo, subire periculum pro iuris ratione perhibetur. Quibus quatuor? Id est, Loco, Tempore, Genere, Quantitate: Loco, si alibi fortè sibi debitū solui improbus fœnerator extorserit, quàm vbi causatio designabat: Tempore, si citiùs: Quātitate, si ampliùs petierit: Genere, si alterius rei ac melioris materiæ mercem, quàm scriptura continebat exegerit. Sic ille. Id autem apud Iustinianum Institutionibus lib. 4. tit. 6. §. si quis agens cōperies. *Plus, inquit, quatuor modis petitur: Re*, id est, *quantitate*, vt subiectum ostendit exemplum: Veluti si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti petierit, aut si is, cuius ex parte res est, totam eam, vel maiorem partem suā esse intenderit. *Tempore*, Veluti si quis ante diem vel ante conditionem petierit. Qua enim ratione qui tardiùs soluit, quàm soluere deberet, minus soluere intelligitur; eadem

T 2 ratione

ratione qui præmaturè petit, plus petere videtur. *Loco* plus petitur, Veluti cum quis id quod certo loco sibi dari stipulatus est, alio loco petit &c. Et qui causa plus petit, vt ecce si quis ita à te stipuletur. Hominem Stichum aut decẽ aureos dare spondes? Deinde alterum petat veluti hominem tantùm, aut decem aureos tãtùm. Ideò autem plus petere intelligitur, qui in eo genere stipulationis promissoris est electio, vtrum pecuniam an hominem soluere malit: Qui igitur pecuniam tantùm, vel hominem tantum sibi dari oportere intẽdit, eripit electionem aduersario: & eo modo suam quidem conditionem meliorem facit, aduersarij verò sui deteriorem. Præterea si quis generaliter hominem stipulatus sit, & specialiter Stichum petat, aut generaliter vinum stipulatus sit, & specialiter Campanum petat: aut generaliter Purpuram stipulatus sit, deinde specialiter Tyriam petat, Plus petere intelligitur, hoc est quod plus Genere dixerat Emissenus. Hæc ex Iustiniano. Ex quibus liquidò constat præmaturè hos Discipulos petiisse Christi Resurgẽtis apparitionem. Succurrit hìc quod apud Suetonium de Iulio Cæsare §. 81. legitur. Immolantem aruspex Spurina monuit, vt caueret periculum, quod non vltra Martias idus proferretur. Cæsar posteà Spurinam irridẽs, & vt falsum arguens, quòd sine vlla noxa Idus Martiæ adessent: Quanquam is venisse quidem eas diceret, sed non præteriisse: Introiit curiam, assidentemque, ait, in sequenti cap. idem scriptor conspirati specie officij circumsteterunt: ac tribus & viginti plagis confossus est. Et quia dubius in fide infidelis est, ideò grauiter eos arguit Christus.

Suetonius.

O stulti & tardi corde ad credendum &c. In hac re dissimulare non solet, etiam cum intimis & familiaribus amicis: Marc. vlt. *Recumbentibus vndecim, illis apparuit Iesus, & exprobrauit incredulitatẽ eorum & duritiem cordis.* Moysem quamuis amicissimũ corripuit in emanatione illa aquæ de petra: Nu. 20. *Qui nõ credidistis mihi, vt sanctificaretis me corã filiis Israël, nõ introducetis hos populos in terrã quã dabo eis.*

O tardi corde, Hebr. 5. *cùm deberetis magistri esse propter tempus &c.* Ioan. 14. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* Sic Paulus Galat. 3. *O insensati Galatæ*, c. 5. *Currebatis benè, quis vos impediuit veritatĩ nõ obedire?* Nónne me vidistis mortuos, præsertim Lazarum quatriduanum suscitantem? Quare ergo de mea diffiditis Resurrectione? At dices, idem Christus Matthæi quinto. *Qui dixerit, Fatue,*

reus

reus erit gehennæ ignis. Respondeo: Verum quidem id esse, si conuitij grátia non correctionis zelo protulerit: Christus verò hoc loco corripit tarditatem discipulorum. Meritò stulti appellantur: Siquidem Dominum fuisse perpessum, stultum esse atque indignum iudicabant: cùm idcirco ab hominibus ardentiùs esset amãdus, atque honorandus.

Nónne hæc oportuit pati Christum &c. Multis exantlatis laboribus Christus intrauit in gloriam suam. Vnde ad Hebręos Paulus: *Videmus Iesum per passionẽ mortis gloria & honore coronatũ: vt illius exẽplo doceamur per multas tribulationes nos ingredi oportere in regnũ cœlorum. Actor.14.2.* Tim.3. *Omnes qui piè viuere volunt in Christo, persecutionẽ patiẽtur.* Iacobi primò. *Cùm probatus fuerit accipiet coronã vitæ. Nónne oportuit pati Christũ* Matt.16. *Dixit Discipulis, quia oportet eum multa pati, occidi, & tertia die resurgere.* Marc. octauo, & Luc. nono, idẽ habetur. Venditur Ioseph, deinde exaltatur. Christus Philip. secundo. *Humiliauit semetipsum &c. propter quòd & Deus exaltauit illũ, & dedit ei nomẽ.* Oportet vnumquemque nostrum crucem suam tollere post Christũ, contra delicatos, ac deliciis & voluptatibus immersos. Psalm. 115. *Calicem salutaris accipiã & nomen Domini inuocabo.* Bernardus: Nõ decet sub spinoso capite mẽbrum fieri delicatum. Heb.2. *Decebat authorẽ salutis per passionẽ consummari.* Dauid multas perpessus est calamitates & afflictiones ac persecutiões, sed tandẽ emersit, præualuit, atque regnauit & triumphauit. Sic de Christo Dauidis secundùm carnem filio, æstimare conuenit. Expediebat vt pateretur ac pro nobis omnibus mortem subiret, sicque glorificaretur, & ampliùs exaltaretur nomen eius. Nota ergo quòd passio ostium est gloriæ. Quod licet paradoxon & quasi inopinabile videatur: tamen ex sacra facilè persuadebitur Historia. Nónne sanctorum ac iustorum vita ærumnis & molestiis referta legitur? *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione,* vt dicitur in Apocalypsi. Abel primus iustus à fratre occiditur Gene.4. Patriarchæ multas perpessi sunt calamitates. Ioseph in carcerem coniectus est: Moses multa tulit: fugere Pharaonis tyrannidem coactus est: Elias Propheta ab Achab & Iezabel persecutionẽ passus est: Eliseus à pueris derisus: 4.Reg.2. Isaias sectus est per medium: Hieremias in lacum demissus: Micheas colapho percussus, 3. Reg.22. Naboth iustus ac innocens, lapidibus obrutus. ca. 21. eiusdem libri Zacharius filius Ioiadæ similiter: de quo

Hebr. 2. *Gen. 37. & 41.* *Apoc. 7. cap.* *Gen. 39.* *Exod. 2.* *3. Reg. 19* *Vide Epiph. de obitu prophetar.* *Daniel. 6.*

2.Mach. 7.cap. Matth.23. *A sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ, quem occidistis inter templũ & altare*: Daniel *leonibus deuorandus expositus, semel ac iterũ: Machabæi martyrio coronati,* quorum memoriam sancta mater celebrat Ecclesia. Quid de Apostolis: Nonne omnes, ne vno quidem excepto, *calicem Domini biberunt*, vt canit de illis Ecclesia? Quid martyres commemorem? Quid sanctas virgines quę in sexu etiã fragili victoriam martyrij reportarunt? Sed Exitus acta probat. *Illi autem sunt in pace. Adepti sunt repromissiones,* quantùm pertinet ad animæ gloriam, corporum suorum expectantes reformationem ac glorificationem. Meruit Christus gloriam suæ resurrectionis accelerari, ab omni item lingua magnificari, & ita intrare in gloriam suã. Nos itaque in persecutionibus & aduersitatibus, *aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum*, Hebræo. 12. Nosipsos consolemur dicentes, & in memoriam reuocantes illud Christi: *Si me persequuti sunt, & vos persequentur.* In aduersis cum Iob profiteamur: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus*, hoc est aduersa: In omnibus quæ occurrerint dicamus & illud: *Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen domini benedictum.*

Hebr.11.

Ioan. 15.

Iob. 2. c.

Nonne oportuit pati Christum & intrare in gloriam suam? Verba heroinæ ac fortissimæ viraginis Iudith. c. 8. hìc cõmemorare operæ pretium duxi. *Memores esse oportet quomodò pater noster Abraham tentatus est*, Gene. 12. *& per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam & improperium murmurationis suæ contra Dominũ protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt:* Nume. 21. & 1. Cor. 10. Eadem penè Mathatias Machabęorũ pater: 1. Machab. 2. morti vicinus filiis suis dicebat: *Abraham nõne in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiã? Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est Dominus Aegypti. Phinees pater noster, zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotij æterni.* Iesus, siue Iosue, *dum impleuit verbum factus est Dux in Israël. Caleb dũ testificatur in Ecclesia, accepit hæreditatẽ. Dauid in sua misericordia consecutus est sedẽ regni in sæcula. Elias cũ zelat zelũ legis, receptus est in cœlũ. Ananias, Azarias, & Misaël, credentes liberati sunt de flãma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum*

Gen. 21. Gen. 41. & 40. Iosue.1. Iosue.14 2.Reg.2. 4.Reg,2. Dan.3. Dan.6.

num. Et ita cogitate per generationem & generationem: quia omnes qui ſperant in eum non infirmãtur Sic ille. Rectè profectò ſancta canit Eccleſia. *Omnes ſancti quãta; paſſi ſunt tormenta, vt ſecuri peruenirent ad palmam martyrij. Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit*, 2. Timoth. 2. Cùm peterent duo fratres, collaterales ſedere cum Chriſto in regno: Mat. 20. eos rogauit Chriſtus: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Gallicum eſt Prouerbium: *Nul bien ſans peine.* Scribit Xenophon libro ſecundo de dictis & factis Socratis, Epicharmum ita dixiſſe: *Laboribus omnia Dij nobis vendunt.* Dicit autem & Heſiodus: Virtuti ſudorem præpoſuerunt Dij immortales. Longum enim & arduum iter ad eã: quòd cùm aſperum primò ſit, amœnum poſteà fit, cum ad vltimum quis peruenerit. Nec non ſapiens Prodicus, in illo quod de Hercule edidit opere ſimiliter diſputat de virtute. Ait namque Herculem cùm à puerili ętate ad adoleſcentiam perueniret, cum adoleſcentes iam ſui arbitrij effecti, oſtendunt ſiue per viam virtutis, ſiue vitiorum vitam ſuam ducent, egreſſum in ſolitudinem, conſediſſe cogitationibus agitatum, vtram viarum ſupradictarum præponeret: vbi duas ad eum apparuiſſe accedere mulieres magnas, alteram honeſtam & liberalem viſu, alba veſte veſtitam, alteram ad mollitiem eſſe nutritam, oculos autẽ vagantes habentem: Hæc erat voluptas, quæ alteram, nempe virtutem præuenire volens, cucurrit ad Herculem, ſicque eum alloquuta eſt: Conſidero te ô Hercules dubitantem quam viam eligas. Si itaque me diligas, ad voluptuoſiſſimam facillimámque te ducam viam, & illa quidem quæ delectant omnia guſtabis, laboris expers viuens. Conſiderabis quo pacto molliſſimè dormias, & abſque laboribus delectationibus afficiaris, delitiiſque perfundaris. Hæc cũ audiſſet Hercules: O mulier, inquit, quod nomen eſt tibi? At illa, Mei quidem amici, ait, Fœlicitatem me appellant: qui verò oderunt Prauitatem me nominant. Cúmque hęc dicerentur, altera mulier acceſſit & dixit: Ego quoque ad te venio, Hercules, cùm ſciam te virtutis cupidum: Non decipiam autem te à voluptate exordiendo, ſed qualem rebus Dij contulerint naturam, tibi cum veritate narrabo. Nihil enim eorum, quæ bona atque honeſta ſunt, Dij hominibus ſine labore & ſtudio præſtant: Cùm verò factis datus finis peruenerit, non obliuioni traditi ſine honoribus iacent, ſed memoria hominum commendati, in æternum

Xenoph. & Heſiodus, & Prodicus ſapiens.

num florent. Hæc ô Hercules, inquit, bonorum parentum fili, sudoribus licet exercendo beatissimam fœlicitatem habere. Hactenus ibi. Subscribit & magnus ille Basilius, Homilia de Legendis libris Gentilium, ex eodem Prodico narrans, Quomodò iuueni Herculi secum consulenti ad vtram viarum se conuerteret: an ad virtutem per labores, an voluptates sectaretur: Duæ fœminæ Virtus & Voluptas in diuerso habitu eidem apparuerunt. Imitatus est quoque Siluius Italicus Poëta, de Bello Punico lib. 15. circa exordiũ in suo Scipiõe, hoc ipsum, quod de Hercule narrauit Prodicus. Sic enim eleganter sanè ille de Scipione cecinit deliberante quanam via insisteret.

D. Basil. Magn⁹.

Siluius Ital.

Has lauri residens iuuenis viridante sub vmbra
Aedibus extremis voluebat pectore curas:
Cùm subito assistunt dextra, lauáque per auras
Allapsa (haud parum mortali maior imago)
Hinc Virtus, illinc Virtuti inimica Voluptas.
Altera Achæmenium spirabat vertice odorem, &c.

Id est Persicum,

Quo vti Persæ solent, dicti Achæmenij.

Fronte decor quæsitus acu, lasciuáque crebras
Ancipiti motu iacebant lumina flammas
Alterius dispar habitus, frons hirta, nec vnquam*
Composita mutata coma, stans vultus, & ore,
Incessúsque viro propior, lætique pudoris &c.
Occupat inde prior promissis fisa voluptas:
Quis furor hic non digne puer, consumere bello
Florem æui? &c Moneo certare periclis
Desine, & armisonæ caput obiectare procellæ, &c.
At si me comitère puer, non limite duro
Iam tibi decurret concessi temporis ætas, &c.
Illa ego sum, Anchisen Veneri Simoëntis ad vndas,
Quæ iunxi, generis vobis vnde editus auctor.

** pro hirsuta, horrida, pilosa.*

Nempe Æneas, quem Dardanio Anchisæ alma Venus genuit, ait Virgilius.

Illa ego sum, verti superum quæ sæpè parentem: Hoc est, Iouem patrem Deorum.

Nunc auis in formam, nunc torua in cornua tauri: Scilicet ad rapiendum Ganymedem, & Europam. Et in cygnum transformatus cum Leda concubuit.

Huc aduerte aures: currit mortalibus æuum &c.
Postquàm conticuit, finisque est addita dictis,

Tunc

Tunc Virtus: Quasnam iuuenem florentibus (inquit)
Pellicis in fraudes annis, vitæque tenebras? &c.
Degeneres tenebris animas damnauit auernis.

Videlicet Deus.

At queis æthery seruatur seminis ortus,
Cœli porta patet. Referam quid cuncta domantem.

Amphytrioniadem? &c. id est, Herculem, Amphytrionis reuera filium, quãuis ob rerum gestarum magnitudinem, nonnulli originem eius ad Iouem retulerint: vt Hesiodus.

Quid suspiratos magno in discrimine nautis,
Ladeos referam fratres, † vestrumque Quirinum? † *Castor & Pollux fratres fuerunt filij Iouis & Ledæ.*
Nonnè vides hominum, vt celsos ad sydera vultus
Sustulerit Deus, ac sublimia finxerit ora?
Cùm pecudes volucrúmque genus, formásque ferarum
Segnem, atque obscœnam passim strauisset in aluum, &c.
Quæ postquàm cecinit sacrato pectore virtus
Exemplis lætum vultúque audita probantem.
Conuertit iuuenem. Sic ibi Poëta elegans fusiùs. Idem lib. 13. post media:

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces, &c. *Virgil.*

Hoc ipsum adumbrabat litera Pythagoræ, Y. de qua extant inter opera Virgilij hi versus:

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilémque aditum primùm spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in vertice summo:
Molle ostentat iter via lata, sed vltima meta
Præcipitat captos, voluitque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudémque decúsque parabit, &c. *Matt. 7.*

Nec abludit illud Euangelicum de via lata, quæ ducit ad perditionem, & de arcta spinosáque via ac difficili, quæ tamen ducit ad vitam. Sicque illustratur hoc Christi paradoxum: Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. De quo sit satis.

Incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, &c. Diuus Bernardus præsenti Homilia, de duobus Discipulis quàm eleganter ait: Inestimabilis redundabat in labiis Iesu sermonis elegantia: super mel & fauum dulcescebat eius eloquium. Sic ille. Aliàs dixisse memini ex Luciano tomo primo. Operum, de Hercule Gallico sua eloquentia *D. Bern.* *Lucian.*

homines rapiente: Item de Nestoris facundia, cuius è lingua melle dulcior fluebat oratio, vt cecinit diuinus Poëta. Sed quid hæc ad Christum? qui nedum aures, sed corda tetigit audientium Discipulorum, quemadmodum ipsi fatentur.

Homer⁹.

Nonnè cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur nobis in via & interpretaretur scripturas? Si quæras quidnã eis interpretabatur Dominus? Respondeo quod figuras omnes passionis Christi, sicut de ligno vitę quod figurabat crucẽ Christi. Itẽ de Eua formata ex latere Adæ, quod figurabat Ecclesiã de Christi latere formatã. Item de arca Noë per quã saluatus est mundus, figurante crucẽ quę omnes saluat credentes. Itẽ de oblatione Isaac, qui euasit, & aries immolatus fuit: qui significabat Christũ pati, quantùm ad humanitatẽ, sed diuinitas illæsa permansit. Itẽ de Serpente æneo posito super lignum, in quem respicientes sanabantur, significante crucem Christi, quam aspicientes sanantur à peccatis & morsu Diaboli. Item de Vitula ruffa extra castra pro peccatis in cineres redacta, Cuius cinis valebat ad emundationem carnis, præfigurante Christi extra portam passionem: Cuius sanguis prodest nobis ad peccatorũ remissionem, & satisfactionem pro nobis. Item de agno Paschali, de morte sacerdotis magni, multisque aliis eius generis figuris, quas Christus eis in via interpretabatur. A Pentateucho autem cœpit, per totã scripturam excurrens, & aperiens eis hanc veritatem.

Genes. 2. *Genes. 7. & 22. c.* *Num. 21* *Num. 15.* *Exod.*

Incipiens à Moyse, &c. De aduentu Christi in mundum scripsit Moyses: Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat Messias.* De conceptione eius Isaias capite septimo apud Matthæũ, capite primo. *Ecce virgo concipiet &c.* De loco natiuitatis Michæas capite quinto, apud Matthæum secundo. Sic enim scriptum est per Prophetam: *Et tu Bethleem terra Iuda &c.* De profectione eius in Ægyptum, Oseas capite 11. apud Matthæum secũdo. *Ex Aegypto vocaui filium meum.* De prædicatiõe, Isaias capite 61. apud Lucam capite quarto. *Spiritus Domini super me, Euangelizare pauperibus misit me.* De eius miraculis, idẽ capite 35. apud Matth. 11. *Cæci vident, claudi ambulant, &c.* De ingressu illo permagnifico in Hierusalem Zacharias capite nono apud Matth. 21. *Dicite filiæ Syon, Ecce rex tuus venit tibi, &c.* De traditione Iudæ Psalmographus, Psalm. 40. apud Ioannem capite 13. *Qui manducat mecum panem,*

leuabit contra me calcaneum suum. De fuga Discipulorum tempore passionis, Zacharias 13. capite apud Matthæum 26. *Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis.* De falsis testibus, Dauid psal. 26. *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mẽtita est iniquitas sibi.* De Ludibriis & opprobriis ei illatis Isaias cap. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, faciem meam: non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* De flagellationibus eius Dauid Psalm. 72. *Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis, tota die,* hoc est, interprete D. Antonino, capite sexto, titulo quinto §. 5. Hoc dicens Psalmista in Christi persona vult significare, in magna parte diei illum fuisse flagellatum. Et Isaias c. 53. *Disciplina pacis nostra super eum,* & liuore eius sanati sumus, siue ex Hebraico, vt vertit Paguinus, Castigatio pro pace nostra super eum: hoc est, vt pacem nostram apud patrem conciliaret. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum,* ait Apostolus. De eius immensis doloribus: Hieremias Threnorum. 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* De crucis baiulatione, Isaias capite nono. *Factus est principatus super humerum eius.* De eiusdem crucifixione Psalmographus Psal. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos, &c.* De ignominia inter duos latrones, Isaias cap. 53. apud Marc. 15. *Et cum iniquis reputatus est.* De oratione pro crucifixoribus suis, Isaias vbi supra in fine, *Et pro transgressoribus rogauit* De morte, Daniel capite nono. *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: Et non erit eius populus qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas ac desolatio.* De sepulchro Isaiæ 11. *Erit sepulchrum eius gloriosum.* De spoliatione inferni, Osee. 13. *Ero mors tua, ó mors, morsus tuus ero inferne* De gloriosa eiusdem Resurrectione, psalmo tertio. *Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Sic interpretabatur illis ex lege, psalmis, & Prophetis, quæcunque de ipso erant: Quomodò aliàs, scripturas intellexissent sine Doctore, quas nec Eunuchus Candacis reginæ à semetipso, Actor. 8. intelligere potuit? Puteus *scripturarum alius est.* Ioan. Multa difficilia in illis.

D. Anto.

Ephes. 2.

Ipse finxit se longiùs ire. Fingit autem Christus, non intentione fallendi, absit (alioqui species esset mendacij) sed vt magis inflammaret eorum desiderium, sicut se habuit cum Chananæa, Matth. 15. & ad instructionem, eos aliquandiu suspensos tenuit, donec sese offerret occasio

seipsum

ſeipſum illis manifeſtandi. Sic Marc.6. *Volebat præterire illos,* quod faciebat ad ſuorum probationem. Ita & nunc, ſed feruenter rogandus.

Coëgerunt eum dicentes: Mane nobiſcum, &c. Loth, vt dicitur Geneſ.19. *hoſpitalis erat, & quando hoſpitis vidit duos nẽpe Angelos, qui venerãt Sodomam ſubuerſuri, in habitu viri eos nedum precibus inuitauit, dicens: Obſecro Domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi: Qui dixerunt, In platea manebimus. Compulit illos oppido ſeu valle vt diuerterent ad eum; quod & fecerunt.* Hoc idem eſt quod hic dicitur: *Et coëgerũt eum.* Precibus feruentibus eum retinuerunt: hoſpitales ſe erga eum exhibentes, Hebræo.13. *Per hanc placuerunt veteres, Angelis etiam hoſpitio receptis.* 1. Petr.4. *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione.* Exemplum de Raab, quæ ob hoſpitij meritum, ab excidio ſuæ vrbis ſeruata eſt. Lex quædam fuit Leucanorum pro Hoſpitalitate, quàm aliàs me retuliſſe memini; quæ apud Ælianum de varia Hiſtoria libro quarto, cap. primo extat: Iob dicebat: *Foris non manſit peregrinus.* Sodomitæ ideò perierunt, quòd prętet cætera eſſent quoque inhumani, at inhoſpitales.

Ioſue.6. Aelian⁹. Iob.31.

Mane nobiſcum. D. Bernardus ad hæc verba: Ne diſceſſeris à nobis, ſed adhuc de Ieſu Nazareno, *ſonet vox tua in auribus noſtris:* Loquere quęſumus de gaudio Reſurrectionis. *Inclinata eſt iam dies,* ſed agemus vigilias noctis: Non enim ſufficit dies, vt ſaturetur auris auditu, de dulciſſimo Ieſu: *Mane nobiſcum; quoniam adueſperaſcit.* Cum proſperamus in virtutibus, in die ſumus: Cùm nos obnubilant tribulationum anguſtiæ, incipit nobis adueſperaſcere. Ad te confugimus, *Mane nobiſcum.* Tu refugium, ad te oculi noſtri, Mane nobiſcum, ſine te nihil poſſumus. *Tu turris fortitudinis à facie tribulationis. Mane nobiſcum.* Non confunditur in te confidens. *Inclinata eſt iam dies,* ne extinguatur in nocte lucerna noſtra. Mane nobiſcum. Ne tradas animam confitentem tibi poteſtatibus tenebrarum. *Ad te Domine oculi noſtri, ne pereamus.* Hæc D. Bernardus.

D. Bernard. Cant.2. Pſal. 60. Ioan.6.

Nos ſimiliter qui heri communicauimus, oremus deuotè: *Mane nobiſcum Domine,* qui promiſiſti Ioannis 6. *Qui manducat carnem meam in me manet & ego in eo.* Qui etiam pollicitus es Ioan. 14. *Si quis diligit me, &c. ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ergo Domine ſupplicamus, *Mane nobiſcum.* Qui dixiſti Matthæi vltimo. *Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi,* ne

deſeras nos, *ſed mane nobiſcum Domine,* in æternum.

Mane nobiſcum , &c. Nota quòd non habetur in textu, Domine. Sed apponitur ab Eccleſia ſic: *Mane nobiſcum Domine.* Non vocant ampliùs peregrinum, qui tam doctus eſt egregieque literatus, vt magna cum dexteritate ſacras interpretetur ſcripturas, vt Chriſtum feciſſe memorat Euangeliſta, non poteſt eſſe peregrinus. *Non eſtis hoſpites & aduenæ,* clamat Apoſtolus, *ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei.* Vir eruditus in pretio vtique habebitur. Huic propoſito non incongruè adaptabitur, quod de Socrate ſcribit Cicero, libro quinto Tuſculanarum Quæſtionum? Socrates, ait, cùm rogaretur, cuiatem ſe eſſe diceret? Mūdanum, inquit. Totius enim mundi ſe incolam & ciuem arbitrabatur. Itaque ad omnem rationem Teucri vox accommodari poteſt. Patria eſt, vbicúnque eſt benè. Sic ille. Itē Laërtius libro ſexto, in Diogene Cynico: Interrogatus vnde eſſet? Mundanus ait, Græcè, κοσμοπολίτης, id eſt, ciuis mundi. Quod & Ariſtippi exemplo ampliùs cōfirmatur, prout Vitruuius præfatione 6. libri de Architectura refert hoc modo: Ariſtippus Philoſophus Socraticus naufragio cum eiectus ad Rhodienſium littus animaduertiſſet Geometrica ſchemata deſcripta, exclamauiſſe ad comites ita dicitur: Bene ſperemus, hominum enim veſtigia video: Statímque in oppidum Rhodum contendit, & rectà Gymnaſium deuenit, ibíque de philoſophia diſputans, muneribus eſt donatus, vt non tantùm ſe ornaret, ſed etiam eis, qui vnà fuerant, veſtitum, & cætera quæ opus eſſent ad victum, pręſtaret. Cùm autem eius comites in patriā reuerti voluiſſent, interrogaréntque eum quidnam vellet domum renunciari? tunc ita mandauit dicere: Eiuſmodi poſſeſſiones & viatica liberis oportere parari, quæ etiā è naufragio vnà poſſent enatare. Namque ea vera præſidia ſunt vitæ, quibus neque fortunæ tempeſtas iniqua, neque publicarum rerū mutatio, neque belli vaſtatio poteſt nocere. Theophraſtus hortando doctos potius eſſe quàm pecuniæ confidentes ita ponit: Nota ſedulò, Doctum ex omnibus ſolum, neque in alienis locis peregrinum, ſed in omni ciuitate eſſe ciuem. Hactenus ibi.

Cicero. *Laërti⁹.* *Vitruui⁹.* *Theoph.*

Accepit Ieſus panem, Benedixit ac fregit, &c. En cōſecratio: Eadem enim verba poſuit, quę in narratione myſteriorum cœnæ. Luc. 22. poſuerat: Cenſentque probati Doctores, Chriſtum his duobus Diſcipulis ſuum dediſſe corpus,

ſacrámque dediſſe communionem, ſub altera tãtùm, nempe panis, ſpecie, *Et cognouerunt eum*, ait circa finem huius Euangelij, *in fractione panis* Eo nomine etiam appellauit, Act.2.idem Euangeliſta ac hiſtoriographus: *Erant*, inquit, *perſeuerãtes, in communicatione fractionis panis & orationibus.* Et cap.20. *Vna Sabbati cùm conueniſſemus ad frangendum panem.* Vbi D. Auguſtinus to.2. Epiſt.86.ad Caſulanum: Conuenimus, inquit, die Dominico, fracturi panem, ſicut frangitur in Sacramento Corporis Chriſti, Dixit Sacramenta celebrata. Sic ille. Cui conſentit Beda, in Acta ad hunc locum: in die Dominico qui eſt primus à Sabbato, qùm ad myſteria celebranda congregati eſſemus ait ille 1. Cor.10. *Panem quem frangimus, non e participatio Corporis Domini eſt?* Hinc ratione fractionis pànis ſiue ſpeciei, non rei Sacramenti, *Etenim nulla rei fit ſciſſura, ſigni tãtùm fit fractura, qua nec ſtatus nec ſtatura ſignati minuitur*, ait D. Thomas Aquinas, in Proſa auguſtiſſimi Sacramẽti, ſcripſit.1.Cor.11.idem Apoſtolus: *Hoc eſt corpus meũ* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *quod pro vobis frangitur*, nedum diſtribuitur vobis, ſed etiam pro vobis frangitur, ſcilicet ratione ſpecierum quando fit fractio panis, quoniam ſub illis ſpeciebus realiter ac verè corpus Chriſti exiſtit præſens, ideo frangi dicitur, cùm in Sacramento frangitur, cum ſacrificium perficitur ac celebratur: & quia pro nobis in cruce cruentè immolatus, quãuis non fuerint oſſa eius confracta (ſicut factum eſt latronibus) attamen, Iſaiæ 53. dicitur *attritus eſſe propter ſcelera noſtra.* Sicque ad viuum ob oculos id nobis repræſentatur, dum Corporis Chriſti Sacramentum frangitur. D. Auguſt.to.4. lib.3.de Conſenſu Euangeliſtarum c.25. Cenſet Chriſtũ ſub vna ſpecie dediſſe illis Euchariſtiam. *Oculi eorum tenebantur ne agnoſceretur Ieſus.* Sed à Chriſto facta eſt permiſſio, vſque ad ſacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici. Idem D. Auguſtinus, ſermone 140. de Tempore, to.10. explicans hoc Euangelium ſic ſcribit: Eia fratres, vbi voluit Dominus agnoſci in fractione panis, Securi ſumus, panem frangimus, & Dominum agnoſcimus. Noluit agnoſci niſi ibi, propter nos, qui non eum viſuri eramus in carne, & tamen manducaturi eius carnem. Deinde, Diſcite fideles vbi agnoſcatis, quando manducatis. Norunt enim fideles aliquid, quod meliùs intelligũt in iſta lectione quam illi non nouerunt, De infidelibus intelligit. Vnde patet illũ ſentire

D. Aug. | D. Tho. Aquin. | D. Aug.

communio

communionem tunc datam fuisse. Rursus idem to.2.Epist. 59.ad Paulinum ad quęstionē octauam: Quod ab illis duobus, inquit, in fractione panis est agnitus, Sacramentū esse, quo nos in agnitionem suam congregat, nullus debet ambigere. Sic ille ibi. Ex illa autē, Venerabilis Beda in 1. Cor. 10. ad verba: *Calix benedictionis, &c* &, *Panis quem frangimus*, sic ex Sermo. de verbis Euangelij, excerpsit & transcripsit: Dominus Iesus ab eis, quorum oculi tenebantur ne illum agnoscerent, in fractione panis voluit agnosci. Nouerunt fideles: sciunt quid dicam. Nouerunt Christū in fractione panis. Nō enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit Corpus Christi. Sic Beda Venerabilis. Subscribit & in Lucam, ad hunc locū Theophylactus exclamans: Magnam & indicibilē vim habet caro Domini. Idē asserit Venerabilis Beda in Lucam 24. cap. Et Chrysostomus in opere imperfecto. Homil. 17. Aliud, inquit, est sanctificatio, aliud sanctificatū. Videtur sentire, sāctificationē esse quod dedit Dominus Discipulis, hoc est, sacrā Eucharistiam. Hic de Communione sub altera tantùm specie, locus opportunus sese offert, vt de ea tractemus fusiùs. Obserua primò nullam hìc fieri calicis mentionem, sed fractionis solius panis: Huiusmodi Communio laicis tribuitur: Et qui tantùm sub specie panis cōmunicat, perinde ac si sub vtraque specie sumeret, integrè Christum suscipit, nec ei vllum fit præiudicium, nihil ei deficit, vel deest ad salutis perfectionem ac necessitatem. *Manet enim Christus totus sub vtraque specie*, ait D.Thomas: Sicut anima est tota in toto, & tota in qualibet parte: Sic Christus sub qualibet specie integer perseueret, ac viuus, *non diuisus, integer autem accipitur* Cùm enim Christi corpus sit viuum: Ergo cùm sanguis sit sedes animæ, non est illud exangue, aut sine sanguine, nec sine anima, nec sine diuinitate, quia non est diuisus Christus. Ergo totum Christum recipit, qui alteram tātùm speciem sumit. Atque hæc communio, fundamentum habet ex hoc Euangelico exemplo Christi, consecratum panem supersubstantialem, istis duobus Discipulis porrigentis. Vt autem rationi cōsentanea videatur huiusmodi antiquissima traditio ac consuetudo, multa sanè concurrunt æquitati consonantia quæ hic expendimus. Primò, propter periculū effusionis sanguinis è calice, ne irreuerentia committatur erga sacrum nostræ salutis pretium, hoc est, sanguinem Dominicum, si in terrā decideret, ac funderetur è poculo, quod

Theoph.

Beda.

D.Chry.

D.Tho.

quod non rarò contingere posset, leui quadam impulsione. Secundò, propter abstemios, qui ne odorem quidem vini sustinere possunt: Qui si sub vini specie de necessitate salutis communicandum esse arbitrarentur, & ad vtramque speciem ex Domini mandato astringerentur atque obligarentur, cùm ipsi à vino abhorreant, illudque à natura oderint, redderentur velut perplexi in lege Dei, & ad id quod ipsis alioqui impossibile esset, obligarentur: atque si sub altera tantùm specie communicarent, animæ suæ detrimentum pati viderentur illísque præiudicium fieri. Tertiò, propter vini in quibusdam regionibus defectum. Non enim vinum vbique inueniri potest, maximè pro tanta multitudine populi fidelis sub vtra specie communicaturi (si id necesse foret ad salutem ex Christi præcepto ac ordinatione.) In Septemtrionalibus siquidem ac frigidis regionibus vites si importentur ac plantentur, ad maturitatem competentem non producunt vuas, vt inde vinum conficiatur, provt ipsa docet experientia rerum magistra. Vnde illis in locis pro vino, sicera vel ceruisia aut alio genere potionis, vti solent, vini vsu omnino destituti, aut, certè, rarò vti possunt, quia ibi non crescat. Quartò propter hoc incommodum quod facilè eueniret, nempe quia species vini diutius ad infirmorum communionem in sacrario asseruata, accesseret, & in corruptionem tenderet, vnde fieret insuauis vtentibus ille potus, mouerétque nauseam & vomitum prouocare posset, magnáque irreuerentia committeretur. Non ita contingit in altera specie nempe panis. Adde quòd Sacerdos diligenter sacram illā thecam, seu ciborium, vt loquuntur, vbi hostiæ consecratæ ad viaticum pro infirmis reseruantur religiosè, visitare debet, & curare ne corrumpantur ibi ob incuriam, temporísque longinquitatem & diuturnitatém hostiæ reseruatæ. Quintò & potissimum, Contra hęresim eorum qui dicebāt sub vna specie corpus tantùm, non etiam sanguinem contineri, & sub altera sanguinem tantùm, non etiam corpus: Ergo ad abolendam illam hæresim, rationabiliter constitutum est, & in Ecclesia, vt ita dixerim, ab antiquo practicatum, vt Laici sub altera tantùm communicarent, nihil hæsitantes, quin totum Christum æquè perfectè sub vno percipiant, atque si sub vtráque specie communicarent. *Quoniam non confractus: non diuisus, integer accipiatur.* Nec oportet soluere Iesum 1. Ioan. 4. *Omnis spiritus qui soluit Iesum,*

Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. Soluere Iesum nõ est aliud quàm vel deitatem auferre, vel humanitatem illi detrahere, quod ab hæreticis factum est. Cui etiam affine est illud velle à corpore separare sanguinem, & ab vtróque diuinitatem, & animam viuentem. Nam quandocunque, sub modica etiam particula hostiæ, communionem ad Dominicam mensam quis accipit, totum Christi corpus atque eius sanguinẽ, totúmque ipsum ac integrum Christum viuum, gloriosum ac immortalem, Deum pariter ac hominẽ, absque vlla diuisione vel separatione eum percipere, nullatenus ambigendum est. Quòd si obiicias illud Matth. 26. *Bibite ex eo omnes.* Respondeo Dominum Apostolis iam sacerdotibus institutis, per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. & 1. Corint. vndecimo in cœna illa nouissima, suum porrexisse calicẽ. Non legitur autem Laicis tunc dedisse. Non enim alij commemorantur tunc bibisse, quàm 12. Apostoli, Christi illo tunc commensales, & Euangelistis, Nec mulieres interfuisse illi mysticæ cœnæ, aut alios è plebe, Laicos narrãt sacri Euangelij scriptores: Et Marc. 14. expressè dicitur: *Et biberunt ex illo omnes*, nempe qui tunc aderant præsentes. Igitur illa vniuersitatis nota, Omnes, ad solos duodecim Apostolos restringitur, sicut & ibi: *Bibite ex hoc omnes*, solos Apostolos mensæ assidentes complectitur, non autem Laicos. Et quod Ioan. 6. dicitur: *Nisi manducaueritis carnem & biberitis sanguinem, &c.* non habebitis vitam in vobis: Et similes ibidem loquendi formulæ, intelligi debent, non tam de signis, siue discretis, distinctísque speciebus quàm de signatis, vel rebus contentis sub speciebus. Qui enim sub vnica panis specie communicat, per modum cibi, & manducat carnem atque etiam bibit sanguinem Domini. Reuoca in memoriam quæ de pullis Aquilæ diximus, Concione de Sacramento Eucharistiæ quomodò ipsi, non bibunt, sed solùm lambunt sanguinem, ex libro Iob. quod Laicis benè admodum accommodatur, ex Cornelio Italo, Placentino, nostri ordinis eximio concionatore: Eò tibi recurrendũ erit si opus habeas. Aduerte interim quòd idem qui dixit: *Nisi manducaueritis & nisi biberitis, &c.* ibidẽ quoque concludit: *Qui mãducat hunc panem, viuet in æternum*, nulla de vini specie facta mentione, Manducationis solius, non etiam potionis aut bibitionis, vt ita loquar, meminit ibi Christus. Et hæc dixisse sufficiat.

Il Cornelio Ital.

V *Aperti*

Aperti ſunt oculi eorum vt eum agnoſcerent, in fractione ſcilicet panis. Sic enim Chriſtus frangebat panem ac ſi ſcinderetur cultello, ait noſter Lyranus, atque poſt eum Didacus Stella ad hunc locum ita ſcribit: Quatuor actiones Ieſu circa panem deſcribuntur, *acceptio, benedictio, fractio, & porrectio,* & tamen in ſola fractione eſt agnitus, vt intelligamus fractionem fuiſſe miraculoſam, hoc eſt, quia frangebat panem manibus ſuis: ſicut alij incidunt gladio. Solitum hunc frangendi modum fuiſſe credimus: & propterea Diſcipuli ex conſueto Ieſu modo cognouerunt eum. Nam ſi hic modus frãgendi panem non fuiſſet illi conſuetus ac familiaris, nullum agnitionis teſtimonium afferrent, dicendo quomodò agnitus fuiſſet ab eis in fractione panis. Ad mores formandos accommodabis illud: *In fractione panis agnoſcitur Dominus:* Sic enim Cornelius Cẽturio, Act. 10. faciens opera miſericordiæ, & in pauperes conferens eleemoſynas illuminatus eſt, & venit ad cognitionem, & fidem perfectam Dei ac Chriſti: Hoſpitalitate ergo & miſericordiis pauperum illuminabuntur corda noſtra. Sic aperti ſunt iſtorum oculi, vt Dominum agnoſcerent, qui antea detinebantur, ſicut habet ſacer contextus.

Lyranus & Stella in Lucam.

Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis &c. Pſal. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* & Hierem. 23. *Nunquid non verba mea ſunt, quaſi ignis dicit Dominus, & quaſi malleus cõterens petram?* Sic illi ex Domini colloquio, amplius accendebantur amore ad Chriſtum Obſerua Chriſtum loqui ad cor, homines ad aurem: Ideò dicunt: *Cor noſtrũ ardens erat dum loqueretur nobis in via.* Pſaltes regius. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus &c.* De hoc fuſiùs ſequenti concione: *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.*

Inuenerunt congregatos, dicentes: Surrexit Dominus verè, & apparuit Symoni. Quando autem hæc apparitio fuerit facta Symoni non legitur expreſsè, ſed tunc creditur fuiſſe, quando Petrus cucurrerat ad monumentum, & viderat lintheamina poſita ſeorſim, vt habet Euangeliſta ac Theologus Ioannes.

Reliquum eſt, vt peregrinationis noſtræ in hoc mundo memores ſimus, ad patriam æternam toto cordis deſiderio anhelantes, Chriſto conformemur. Sicut autem ille per multas paſſiones ingreſſus eſt in gloriam ſuam: ſic & per multas tribulationes, ad regnum perueniamus cœleſte. Hic vre, hic ſeca dicebat Diuus pater Auguſtinus, vt in

æternum

æternum parcas. Et ſicut Sanctus Tiburtius tyranno dixit, vt habet Martyrologium Adonis, 3. Idus Auguſti: Applica eculeos, appende Chriſtianos, percute, incende, benè nos accipis. Si exilium minaris, hoc philoſophantibus totus eſt mundus. Si ſupplicium, euadimus mundi carcerem. Si ignes, maiora his incendia in cupiditatibus vincimus: Diſcerne quidquid libet. Sic ille iudici aiebat: Et nos eadem cogitatione atque conſtantia armemur in huius mundi Salo, ac tumultibus, parati pro Chriſto quæcúnque diſcrimina ſubire & perpeti, dicentes illud Ioan. 11. *Eamus & nos & moriamur* (ſi neceſſe eſt) *cum eo, & pro eo.* Ille ſi quidem pro nobis mortuus eſt, *vt ſequamur veſtigia eius*, ait B. Petrus. *Sic oportuit pati Chriſtum* Et nos pariter dedecet fieri delicatos. Alterum eſt quòd nos ſeruare conuenit, nempe lubricam linguam orantes cum Pſalmiſta: *Pone Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis* Et Pſal. 38. *Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Pſa. 140.
Quo loco referre placet ex Caſſiodori Tripartita lib. 8. c. 1. ſequentem hiſtoriam: Pambus cùm ſine literis eſſet, acceſſit ad quendam vt doceretur pſalmum. Qui cùm audiſſet primum verſum 38. Pſalm. nunc commemoratum: *Dixi cuſtodiam, &c.* ſecundum verſum non paſſus eſt audire, dicens: Si potuero opere hoc implere: hic verſus tãtummodò mihi ſufficiet. Cúmque doctor qui tradiderat verſum, culparet cur per ſex mẽſes ad ſe minimè veniſſet: Reſpondit: Quia verſum illum adhuc opere non impleui. Poſteà verò cum multos ſuperuixiſſet annos, à quodam noto rogatus an didiciſſet verſum? Quadraginta & nouẽ, inquit, annis, vix eum implere valui. Sic de eo illic. *Velox ſit homo ad audiendum, tardus autem ad loquendum* Non refrænans linguam ſuam, huius vana eſt religio, Iac. 1. *Si quis in verbo non offendit: hic perfectus eſt vir. Lingua modicum quidẽ membrum eſt: linguam tamen nullus hominum domare poteſt. In ipſa benedicimus Deum, & maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt. Non oportet, fratres mei hæc ita fieri,* Iac. 3. Iurè itaque ac meritò dicit Poëta Moralis. Caſſiodorus. Iacob. 1.

Virtutem primam eſſe puta, compeſcere linguam:
Proximus ille Deo qui ſcit ratione tacere.

Dictum nobis exiſtimemus: *Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem? Si quis loquitur tanquam ſermones Dei,* ait Apoſtolorum coriphæus. Plutarchus autem to. .Opuſculorum libro de Auditione: Naturam aiunt, propterea Cato, vel Auſonius. Plutarchus.

vnicuique noſtrum duas dediſſe aures, vnam duntaxat linguam: quòd pauciora loqui debeamus, quàm audire. Quod non abludit à dicto D. Iacobi: *Sit omnis homo velox &c.* Vt ſupra. Igitur Epheſ. 4. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Et Coloſſ. 4. *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, vt ſciatis, quomodò oporteat vos vnicuique reſpondere.* Præſtaret alioqui tacere. Nam, vt dicit ſapiens, *in multiloquio non deerit peccatum.* Et Poëta.

Cato, vel Auſoni⁹. *Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe loquutum.*

Valerius. *Plutarchus.* Scribit Valerius lib. 7. c. 2. Xenocrates in cœtu vbi erant detractores & maledici, rogatus quare ſolus taceret ſilerétve? Reſpondit, pœnituit me loquutum, tacuiſſe nunquam. Id Simonidi tribuit Plutarchus, tom. 1. Opuſculorum, de tuenda valetudine, ſcribens ita: Dixit Simonides, nunquam ſe ſe pœnituiſſe, quòd tacuiſſet: quòd locutus eſſet, ſæpè. Id facilè perſuaſerit, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ apud Nicephorum lib. 17. cap. 2. & Euagrium lib. 4. cap. 4. *Nicephorus & Euagrius Hiſt. Eccl.* Seueri cuiuſdam exemplum: Ille Antiochiæ thronum epiſcopalem per tyrannidem tenebat, plurimùm in Chalcedonenſem ſynodum inuectus, eámque anathematiſans. Sed eum Imperator fideliſſimus Iuſtinus primus, ſui imperij anno primo, commeritas petulantię pœnas pendere, linguámque eius radicitùs exſcindere iuſſit. Sic ibi vterque conformiter ſcribit. Huc referre etiam poteris quòd poſteriore Machabæorum libro canonico, & ab Eccleſia recepto, capite poſtremo, de Nicanore, blaſphemo ſcribitur: Linguam impij Nicanoris præciſam iuſſit Iudas Machabæus particulatim auibus dari.

In reliquo hoſpitalitatem etiam ſtudeamus in nomine Chriſti ac peregrinis extraneis fratribus exhibere: *ac operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.* Gal. 6. ait Paulus, Meminerimus eius quòd D. Ioannes 3. ſua epiſtola aduerſus Diotrepem quendam ambitioſum ac inhoſpitalem ſcribit dicens: Neque ipſe ſuſcipit fratres, & eos qui ſuſcipiunt prohibet, & de Eccleſia eiicit? Clàriſſime noli imitari malum, ſed quod bonum eſt. Hoc verbo ſatis inſinuans malum eſſe ac inhumanum hoſpites ac aduenas non curare. Qui autem, ſicut dicit Chriſtus, in extremo iudicio, Matth. 25. *hoſpes eram, & collegiſtis me*, hoſpitalem erga peregrinos ſe præſtabit: mercedem plenam, vberémque hoſpitij recipiet, vitam æternam

cum

cum vidua Sareptana & Sunamitide, quæ hoſpitio Elyam ac Eliſeum exceperunt in libris Regum, & cùm Martha ſancta virgine Chriſti hoſpita, ac Zachæo, qui gaudens ſuſcepit Chriſtum in domum ſuam Luc.10.& 19. Ad quam gloriam nos perducat qui per æterna ſæcula viuit & regnat Chriſtus Ieſus, pro nobis paſſus, Qui & reſurrexit atque ſedet à dextris virtutis Dei, cui laus atque imperium ſine fine permanet: Patri inquam & filio ſpirituíque ſancto, Tribus honor vnus. Amen.



FERIA TERTIA POST PASCHA.

De pace, Cum ſtaret Chriſtus in medio Diſcipulorum. Luc. 24.

Stetit Ieſus in medio Diſcipulorũ ſuorum, & ait: Pax vobis, Ego ſum, nolite timere, & oſtendit ei manus, pedes ac latus &c.



VI videbatur olim ſtare in Iudeæ angulo. Pſalm. *Notus in Iudea Deus &c.* ſtetit nunc Pſal.75. in medio Eccleſiæ, vbique terrarum prædicato diſſeminatòque Euangelio ac plantato Chriſtianiſmo. *Chriſtus eſt mediator Dei & hominum*, 1. Timoth. 2. Ideo ſtat in medio, inter diuinas perſonas medius, imò vbique Chriſtus medium tenet. Naſcitur in medio duorum animalium ex traditione 70. apud Prophetam Abacuch. *In medio duorum animalium cognoſceris.* Ille cùm duodecim eſſet annorum repertus eſt in medio Doctorum.

Ipſe etiam dicit Diſcipulis: *Ego in medio veſtrum ſum.* De illo iterum D. Ioannes Baptiſta: *Medius veſtrum ſtetit. Ioan.1.* In transfiguratione, in medio Moyſi & Helyæ glorioſus comparuit, teſtimonium habens à lege & Prophetis.

tis. Ingrediens cùm pompa ſpirituali in ciuitatem ſanctam die palmarum: In medio ſtabat, à fronte & à tergo comitantibus eum turbis, Matth. 21. Crucifixus eſt in medio latronum. Ac denique poſtquàm reſurrexiſſet, ſtetit in medio diſcipulorum. Apparuit etiam in medio ſeptem candelabrorum aureorum Apocalypſis primo Atque ſicut cor eſt in medio, vt viuificet: Sol in medio planetarum vt illuminet: lignum vitæ in medio arborum Paradiſi: In medio quoque conſiſtit virtus. De quo Horatius lib. 1. Epiſtolarum ad Lollium 2. Epiſtola cecinit:

Virtus eſt medium vitiorum, & vtrinque reductum.

Sic Chriſtus ſtetit in medio: ſtetit, inquam, qui iam per mortalitatem paſſionis inclinari nõ potuit: Stetit qui omnem veritatis & iuſtitiæ rectitudinem impleuit: Stetit qui nihil vnquam curuitatis in ſe exibuit: Stetit qui iam de hoſtibus perfectè triumphauit. Nos quidẽ infirmi ſumus, & carni in peccatis: ille autem immortalis ac rectus. Stat quidem in medio Diſcipulorum, vt ſine perſonarum acceptione æqualem curã omnibus impenderet, mediatorémque ſe Dei & hominum eſſe comprobaret.

D. Bern.

In medio. D. Bernardus Sermone 6. de Aſcenſione Domini: Non amat veritas angulos, non ei diuerſoria: (pro Diuerticulis) placent. In medio ſtat, id eſt, diſciplina communi, communi vita, communibus ſtudiis delectatur. Sic ille. Sicut Rex aut Princeps in medio ſui reſidet regni: Sic & Chriſtus in medio Diſcipulorum. Scribit Zonaras tomo. 1. Annalium, quòd Calanus Indorum Gymnoſophiſta, coram Alexandro Magno corium aridum proiecit, & eius extrema per vices calcauit, quòd dum fieret, aliæ partes attollebantur. Cùm autem medium calcaſſet, ac compreſſiſſet, totum corium quietum manſit & immobile. Quo exemplo monebat Alexãdrum, ne in regni extremitatibus ſe contineret: ſed τὰ μέσα, medias partes occuparet, vt & circumiacentia loca in officio continerentur. Salluſtius de bello Iugurtino: Apud Numidas, inquit, eſſe medium ex tribus honori ducitur Chriſtus Matth. 18. *Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum ſum*, ait. Ille ſolo medio delectatur: Extrema quæque odit. Etenim, vt cecinit Poëta libro primo Sermonum, Satyra prima ad calcem.

Zonaras.

Horatiꝰ Poëta.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citráque nequit conſiſtere rectum.

Aurea

Aurea mediocritas ab eodem nominatur, libr.2. Carmin. ode.10. Suffragatur etiam Naso.

Inter vtrumque tene medio tutissimus ibis.

Et Aristoteles in Politicis lib.4.capi.11. Inter omnes cõstat id quod moderatum est ac medium, esse optimum: Ergo quanto magis, ait, aliquid accedit ad medium, tanto melius est: Et quòd longius abest eò deterius est. Hic referre Lipsij moderni scriptoris, sententiam non fuerit abs re. Is libro secundo Electorum capit.2. de medio loco sic disserit: Prudens ille conditor & dispositor Deus, cor in pleroque omni animali medium esse voluit, sine flexu in dextrum aut sinistrum, scilicet vt scaturigo illa sanguinis, spirituum, vitæ, à parte media pertineret, & se diffunderet ad fouendas & irrigandas æquiter omnes partes. In homine tamen paulùm id aliter est, & inclinat vergítque sinistrorsum. Quid ita? Prouido idipsum & magno consilio, quòd ex Aristotele non vltra te celabo. Ait Naturæ ille germanus alumnus: Reperi apud eum libro tertio de Partibus animalium & earum caussis Theodoro Gaza interprete, cap.4. ad hunc modum: Cor cæteris animalibus in medio pectore est, homini tantùm paulò vergit ad læuam, vt eius partis refrigerationem moderetur, & compẽset. Omnium enim animalium maximè homo, refrigeratam habet partem sinistram. Sic Philosophus. Græcè autem hoc modo: Ἐστὶ δ' ἡ καρδία τοῖς μὲν ἄλλοις ζώοις κατὰ μέσον τοῦ στήθους τόπον· τοῖς δ' ἀνθρώποις εἰς τὰ εὐώνυμα μικρὸν παρεγκλίνουσα, πρὸς τὸ ἀντισοῦν τὴν καταψύξιν τῶν ἀριστερῶν. Quòd sic interpretor: Est verò in aliis quidem animantibus ad medium loci pectoris cor situm: hominibus autem ad læuas sinistrasue partes parum inclinatur & inflectitur, ad refrigerationem partium sinistrarum inæqualium, temperandam, compensandámque. Vt aliqua fiat sinistrarum ac dexterarum partium proportio, & temperamentum. Pulcherrimè, verissimè: Nec aliud hic, quàm arcanum prouidentiæ opus: quæ benigno quodam & miseranti respectu cor propius sinistram admouit, vt vitalis ille calor subsidium è propinquo ferre posset, & vegetare malam rigentémque partem. Μάλιστα γὰρ τῶν ἄλλων ζώων ὁ ἄνθρωπος ἔχει κατεψυγμένα τὰ ἀριστερά, vt idem sapiens addit: Hoc est, vt interpretor, Præ cæteris animalibus habet homo maximè sinistras partes rigentes ac frigidas. Potiora sunt omnia dextera Caussa, quia cali-

Ouidius lib.2. Metamorp.

Aristot.

Lipsius.

Aristot.

diora. Pallanti apud Virgilium locus medius conceditur *Virgilius.* his versibus.

——Ipse agmine Pallas.
In medio, chlamide & pictis conspectus in armis.

In suo agmine, vt dux & Imperator, medius describitur & togatus. Ibidem Lipsius prefatum Sallustij locum in Iugurthino emendat obiter, sic legens insita copula: Medius ex tribus Iugurtha, Quòd & apud Numidas, honori ducitur. Nam certè scimus de medio loco obtinuisse etiã Romæ, ne apud Numidas tantùm censeas. Hactenus Lipsius. Ad honorẽ medij loci facit. Quòd *Christus operatus est salutem in medio terræ*, teste psalte regio. Vt velut à centro ad omnia extrema lineæ cognitiones eius peruenirent. Adde quòd Omnis scientia virtualiter cõtinetur in medio: mediũ autẽ demonstrationis definitio est subiecti, ex eodem *Aristot.* Aristotele de demonstratione. *Pax vobis &c.* Pacem nobis nascens nuntiauit per Angelũ, Luc. 2. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*: Moriens legauit, Ioan. 14. *Pacẽ relinquo vobis, pacem meam do vobis*: Resurgens imprecatur, hoc loco, & Ioã. 20. Discipulos hac salutatione salutare voluit, Matthæi 10. *Dicite, Pax huic domui.* Hoc suis in Epistolis accurate sedulóque seruauit Apostolus: *Gratia & pax,* inquit. Et Christus Matt. 5. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Ad hoc venit Christus, vt verbis vtar Zachariæ, Luc. 1. *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Et omne quod est tandiu est quandiu vnum est: Ens enim & vnum conuertuntur secundum Philosophorum placita. Christus Isaiæ 9. *Princeps pacis vocatur.* Ipse enim, vt scribit Apostolus, *est pax nostra qui fecit vtraque vnum.* Veniens euangelizauit pacem his qui lõgè & his qui propè. Mar. 9. *Pacem habete inter vos* dicebat ille suis Ro. 12. *Si fieri potest quod ex vobis est, cũ omnibus hominibus pacẽ habentes.* Et Psalmographus: *In pace factus est locus eius.* 2. *Corint.* 13. *Pacẽ habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Heb. 12. *Pacem sequimini cum omnibus.* Dominus tẽpore pacis vniuersalis sub Octauiano nascitur. Prouerb. 12. *Qui pacis ineunt consilia sequitur eos gaudium.* Non ineptè quidam philosophi dixerunt pacem & amorẽ esse principium omniũ rerũ naturaliũ. Sic enim li. *Aristot.* 1. Metaphysicorũ c. 4. Philoso. scribit, Hesiod. primus, & si quis alius amorẽ vel cupiditatem vt principium in natura rerum posuit, veluti Parmenides. Is enim huius vniuersitatis originem construens, ita loquitur:

Cum

Cunctorum ille Deum primò produxit amorem.

Hesiodus autem hoc modo:

Extitit imprimis Chaos, hinc vastissima tellus, Hesiod.
Exin amor, cunctis decus immortalibus affert.

Quòd in iis quæ sunt causam quandam esse oporteat, quæ res ipsas & moueat, & contineat. Quidam alius concordiam & discordiam vtrámque vtriúsque horum causam inuexit. Si quis enim sequatur sententiámque spectet Empedoclis, non verba quę effutit, is concordiam quidem bonorum, malorum autem discordiam causam inueniet. Hæc ibi. Pax symbolum est Trinitatis diuinæ. Nam tribus constat characteribus, ex quibus, P. patrem designat, A. figuræ triangularis, filium (qui tribus substantiis, corpore, anima rationali, & deitate constat) x. litera duplex, duabus æquiualens consonantibus Spiritum sanctum adumbrat, qui consonat cùm patre & filio estque nexus amborum. D. Aug. D. Augustinus tom. 5. lib. 19. de ciuitate Dei cap. 11. Tantum est, inquit, pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremò possit melius inueniri. Hinc psaltes diuinus: *Qui posuit fines tuos pacem.* Et Hierusalem quæ sursum est, mater nostra, exponitur pacis visio. Rex maximus Artaxerxes Esther c. 13. scribebat: *Optata cunctis mortalibus pace fruerentur.* Cicero. Cicero Philippica 2. & 13. Dulce nomen est pacis, res verò ipsa cùm iucunda tum salutaris. Et Siluius Italicus poëta, lib. 11. subscribit.

Pax optima rerum, Silius Ital.
Quas homini nouisse datum est. Pax vna triumphis
Innumeris potior.

Et Stobæus Sermone 47. citat Xenophontem in Hierone: *εἰρήνη δοκεῖ μέγα ἀγαθὸν ἀνθρώποις εἶναι: πόλεμος δὲ μέγα κακόν.* Stobæus ex Xenophonte. Pax hominibus videtur ingens esse bonum: Bellum verò magnum malum. Quid autem ardentiùs à Deo expetimus & postulamus quam pacem? Quid frequentius canit Ecclesia, quam *Da pacem Domine, in diebus nostris?* Et, *Da nobis illam quàm mundus dare non potest pacem?* Isaiæ 26. *Domine dabis pacem nobis.* Et Luc. 1. *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate & iustitia &c.* Quæ cùm ita sint, exponenda sunt media consequendæ pacis & obtinendæ quæ tria sunt. Primò, Diuina pacificatio. Si enim vis habere pacem cum hominibus, cura imprimis pacem habere cum Deo,

per mandatorum Dei obseruantiam. Vnde Isaiæ 48. *Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset quasi flumen pax tua.* Et Prouerb. 16. *Cùm placuerint Deo viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Et Baruch. 3. *Si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram.* Psal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Et Isaiæ 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & requie opulenta.* Bellum, flagellũ Dei est, quod non appropinquabit tabernaculo hominis iusti. Isa. 45. *Faciens pacem & creans malũ,* hoc est, bellũ flagellũ Dei, nostris exigentibus demeritis aduersus nos à Domino vindice & iusto iudice suscitatũ. Secundò, Iustitia: Isaiæ 32. *Erit opus iustitiæ, pax & securitas.* Psal. 71. *Orietur in diebus eius,* scilicet Messyæ, *iustitia & abũdantia pacis &c.* Psal. 84. *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Vbi D. Augustinus tom. 8. ad huius psalmi verba sic habet: Fac iustitiam & habebis pacem. Si non amaueris iustitiam, pacem non habebis. Rursus idem Pater to. 5. de Ciuitate Dei lib. 4. c. 4. Remota, inquit, iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Legitur quoque in Glossa proœmij Pragmaticæ Sanctionis ad verbum: authorem pacis excoluerũt in pace: Quòd Roberto Regi Frãcorum, filio Capeti, orãti in vrbe Aurelia pro pace sui regni, crucifixus non sine prodigio & miraculo respõdit quòd nõ haberet pacem, in regno suo, donec blasphemias & crimina notoria extirparet. Tertiò, Ambitionis contẽptus, Quandoquidẽ inter superbos semper sunt iurgia, Prou. 13. Hinc Iac. 4. *Vnde bella & lites in vobis? Nónne ex concupiscẽtiis vestris?* Inde illa fundi nostri calamitas, inde bellorũ origo ciuiliũ: inde tumultus ac seditiones Galliam ad internecionem penè deducẽtes, ex ambitione nimirum Principum. Qui piscantur anguillas, aquam perturbant, vt quo plus mota fuerit turbataq; aqua, eò plures in casses retiaque sua cogãt pisces, ad hunc planè modum perturbatis rebus longè plures faciũt quæstus, suásque augent facultates pacis osores. Isaiæ 57. *Impij quasi mare feruens quod quiescere non potest.* Ideò Isaias non semel pronuntiat: *Non est pax impiis*, dicit Dominus. Isaiæ 49. & 57. Meritò itaque monet Apostolus Ephes. 4. *Solliciti seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis* Ecquid bellum (sic ἀντιφραστικῶς dictum, quòd minimè bellum sit, aut certè, vt ait Pompeius Festus Bellum à Belluis dicitur, quia belluarum sit perniciosa dissensio) quid, inquam, boni in se habet, nisi quia bellum ordinatur ad pacem? Nam ex

D. Aug.

Pragmatica Sãctio.

Põpeius. Festus

Aristotele lib. 10. Ethicorum c.7.Bella gerimus ob eã causam,vt in pace viuamus.Et D.Augustinus to.5.li.19. de Ciuitate Dei cap.12. Pacem constat belli esse optabilẽ finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit. Suffragatur & Vegetius ad Valentinianum Augustum, de re militari in Prologo libri tertij:Ergo,inquit, qui desiderat pacem,præparet bellum. Qui victoriam cupit militem imbuat diligenter. Qui secundos optat euentus, dimicet arte non casu.Sic ille. Et Cicero Philippica septima sub finem. Nec ego,ait pacem nolo, sed pacis nomine bellũ obuolutum reformido. Quare si pace frui volumus, bellum gerendum est. Si bellum omittimus pace nunquam fruemur. Hæc Cicero.Sed de pace,satis nunc sit dictũ, sequenti concione quædam etiam adiiciemus. *Aristot.* *D. Aug* *Vegetius.* *Cicero.*

Conturbati existimabant se spiritum videre,&c. Possunt enim fieri apparitiones spirituum humanorũ, sub quadam imagine,post separationẽ à corpore,Dei permissione,vt videre est apud D.Aug.to.4. lib. de cura pro mortuis agẽda. c.11.Refert enim hanc historiã: Pro certo cùm Mediolani essemus,audiuimus quòd cùm debitũ repeteretur, à quodam defuncti patris cautione prolata, quòd filio nesciente à patre iam fuerat persolutum,cõtristari homo grauissimè cœpit atque mirari,quod ei pater moriens nõ dixerit quid deberet,cùm fecisset etiam testamentum : Tunc nimis anxio apparuit idem pater eius in somnis, & vbi esset recautum,quo illa cautio vacuata fuerat,indicauit.Quo inuento iuuenis atque monstrato,non solùm falsi debiti calumniam propulsauit, sed etiam paternũ recepit chirographũ quòd pater non receperat, quando est persoluta pecunia. Hic itaque putatur, animã hominis curã gessisse pro filio, & ad eũ venisse dormientem, vt docens quòd ignorabat à magna eũ molestia liberaret. Sic ibi Aug. Hic obiter quid sit Recautu indicandũ putaui, Ex Verrutij Lexico iuris li. 14.Dictione.Recauta:Recauta,ait,apochę species,Gallicè, *Forme de quittance ou cedule,ou recepissé qu'on dit.* Quò fit vt in Suida mẽdũ esse omni adseueratione adfirmare nõ dubitẽ,apud quẽ ita scriptũ est : ῥικαύγον (vtique enim ῥικαυτον legi conuenit) παρὰ ῥωμαίοις ἀποχῆς εἶδος:Latinè sonat: Recautam,apud Romanos apochæ est species.Hæc in Lexico.D.Augustinus ibidem cap.15. Mitti quoque ad viuos aliquos ex mortuis:sicut è contrario *Paulus ex viuis in Paradisum raptus est*,2.Cor.12.diuina scriptura testatur. Nam

Samuël

1.Reg.28 Samuël Propheta defunctus, viuo Saüli etiam Regi futura prædixit: Quamuis nonnulli non ipſum fuiſſe, qui potuiſſet magicis artibus euocari, ſed aliquem ſpiritũ tam malis operibus congruentem, illius exiſtiment ſimilitudinem figuraſſe: Cum liber Eccleſiaſticus (ca.46.) quem Ieſus filius Sirach ſcripſiſſe traditur, & propter eloquij nonnullam ſimilitudinem Salomonis pronuntiatur, contineat in laude patrum, quòd Samuël etiam mortuus prophetauerit. Hæc ſunt Eccleſiaſt. verba: *Poſt hoc dormiuit, nempe Samuël Propheta Domini, & notum fecit Regi, & oſtẽdit illi finem vitæ ſuæ; & exaltauit vocem eius de terra, in Prophetia delere impietatem gentis.* Græca habent, vt admonet ibi Ienſenius, καὶ μετὰ τὸ ὑπνῶσαι αὐτὸν, προεφήτευσεν. Et poſtquam ipſe dormiuiſſet, prophetauit, referens eam hiſtoriam quæ ſcribitur 1. Reg.28. Exaltauit vocem eius (pro ſuam) de terra, quia ſcilicet de terra aſcẽdebat, ad hoc vt in Prophetia, hoc eſt per prædictionem futurorum deleret, impietatẽ populi Iſraëlitici, quia ſcilicet dixit ei: *Dabit Dominus etiã Iſraël tecum in manus Philiſthiim.* Sic Ienſenius. Subiungit Auguſtinus: ſed ſi huic libro, ex Hebræorum, quia in eo non eſt, canone contradicitur quid de Moyſe dicturi ſumus, qui certè & in Deuteronomio mortuus, & in Euangelio Matt. 17. cum Helia, qui mortuus non eſt legitur apparuiſſe viuentibus? Hactenus Auguſtinus. Subiungam ex Nicephoro lib. 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ca. 42. de Spiridone memorandam hiſtoriam nequaquam ſuperiori abſimilem. Erat, ait, beato illi filia Irene germana tanti patris puella: Apud hanc ex nobis quidam magni pretij geſtamen atque ornamentum depoſuit: Illa vt rem certam tutamque ſequeretur domi quidquid id erat defoſſum, terræ ſeruandum credidit: Nec ita multo poſt, nullo eius rei indicio poſt ſe relicto è vita migrauit. Venit breui qui id depoſuerat, & nunc incuſando, nunc orando moleſtus erat Spiridoni. Vt verò geſtamine tali diu multúmque domui quæſito id nõ inuenit, ſuam ipſius eſſe putauit ſenex calamitatem: hoſpitis, qui tantopere lugeret, capillum conſcinderet, ac ſeſe prorſus conficeret, iacturam. Itaque, Agedum, inquit, ad filiæ ſepulchrũ eamus, eamque interrogemus. Vbi eò ventum, nominatim filiam vocans Spiridon interrogat, Quonam loco geſtamen depoſuerit. Ibi illa ſubito apparens, beato illi rem omnem exactè exponit, & rurſum ſepulchrum ſubit. Spiridon porro ornamentũ, quo illa loco indicauerat, inuẽtum, homini

Corn. Ienſe.

Nicephorus.

homini reddidit, eumque dimittit. Hæc Nicephorus. De reditu & apparitione Spirituum in aliquibus, prout Deus voluerit permiserítve, corporibus, ne dubitaueris: Quádoquidem 2. Mach. 15. Onias & Hieremias iam defuncti Iudę Machabęo apparuerunt. O digna fide visio & apparitio canonicis cõsignata libris, de quorum fide hæsitare impium fuerit. Annon Matth. 27. ὁμοθυμαδὸν concorditérque scribitur, *multos ex his qui resurgente Christo consurrexerant, apparuisse multis in Hierusalem?* Legitur etiam apud Gregoriũ Magnum libro 4. Dialogorum cap. 40. De anima Paschasij Diaconi hoc pacto: Narrari à maioribus audiui, quod Paschasius, huius Apostolicæ sedis Diaconus, eleemosynarius magnus & miræ sanctitatis, pro quodam suo peccato ex ignorantia, cùm esset defunctus Germano Capuano Episcopo, pro salute corporis, consilio medicorum in thermis lauanti visus fuerit, qui prædictum Paschasium Diaconum stantem & obsequentem in caloribus inuenit: Quo viso vehementer extimuit, Quid tantus vir illic faceret? Requisiuit. Qui respõdit: Pro nulla alia causa in hoc loco pœnali deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symnachum sensi: Sed quæso te, pro me Dominum deprecare, atque in hoc cognosces, quòd exauditus sis, si huc rediens me non inueneris: Germanus se in precibus posuit, & post paucos dies rediit: sed iam dictũ Paschasiũ in loco eodem minimè inuenit. Quia non malitiæ, sed ignorantiæ errore peccauerat, purgari post mortẽ à peccato potuit. Hactenus Ecclesiæ Pater D. Gregorius. Sunt qui omnino negent redire posse Spiritus, ex hoc Psal. 77. *Spiritus vadens & non rediens, &c.* Verùm non aduertunt hic non agi de animæ regressu ad corpus, aut ad viuos: verùm de eius lapsu, qui ex ipsa & per ipsam restitui non potest. Nimirũ hoc ipse contextus satis indicat. *Recordatus est Dominus, quia caro sunt Spiritus vadens & non rediens:* vadens scilicet ex se, cadensque in peccatum, nec tamen viribus suis rediẽs resurgensque ad gratiam, atque à lapsu emergens, nisi in humeris reportetur pastoris, & præuentione diuinæ gratiæ, Osee. 13. *Perditio tua ex te tantummodò in me auxilium tuum. Perditus filius Luc. 15. mortuus reuixit gratia illius qui venit quærere & saluum facere quod perierat.* Et apud Ioannem: *Sine me nihil potestis facere.* D. Augustinus tomo octauo in illum locum: Deus, inquit, miserando per suam gratiam ipse lapsos perditosque reuocauit & erexit, quia per seipsos redire non possent.

D. Greg. Papa.

Luc. 19. Ioan. 15.

possent. Ouis se perdere potuit, non redit autem in viribus suis, sed in humeris reportata pastoris. Non potest per seipsum homo redire, nisi gratia reuocatus. Hæc ibi. Vel etiã sic: *Spiritus vadens* per mortem naturalem à corpore separatus, cum spiritus redit ad Deum qui dedit illum: Ecclesiastes capite 12. *& non rediens* ad corpus virtute naturę, sed sola diuina potestate ac voluntate. Siquidem, Resurrectio mortuorum non erit naturalis, sed supra naturam, ab eo qui author est naturæ. Hic ergo sit huius loci sensus, vt nõ neget animæ regressum ad corpus: Alioqui negaretur resurrectio, aut reditum ad viuos: Alioqui illa vniuersalis iudicij negaretur congregatio, & apparitiones spirituum supra commemoratæ, vt falsæ & fictitiæ reprobandæ essent. Quòd nemo prudens & sanæ mentis dixerit. Vel ne quis hic animas cogitet, dum dicitur: *Spiritus vadens & non rediens*, per spiritum ventus intelligatur, sicut de hominis vita scribit Iacobus Apostolus: *Ventus est seu vapor ad modicũ parens*, & deinceps exterminabitur. Iacobus quarto, & Iob. capite septimo. *Memento quia ventus est vita mea, & non reuertetur oculus meus vt videat bona.* Sic enim doctus Genebrardus hunc psalmi versiculum exponit: Caro sunt res infirma, obnoxia peccatis & miseriis. *Spiritus vadens & non redens*, id est, sicut ventus huc illuc discurrens, & in suis reciprocationibus euanescens, vel etiam spatio in auras disparens, neque ad sua principia reuertens. Nam vẽti in medio mundo absumuntur Solis vi, & sui motus attritu, vt disputat in Meteoris Aristoteles. *Spiritus* hìc ventum significat, ne quis cogitet animas. Sic ille. Ergo sic expone: Spiritus, id est, ventus qui abit nec redit: sicque nihil facit contra prædicta hæc obiectio.

Genebrardus.

Aristot.

Quòd si ad spiritus malignos animum conuertamus: Illos quosdam infestare, ac multipharié hominibus illudere solitos, quis negauerit? Scribit D. Augustinus tomo quinto libro 22 de Ciuitate Dei capite octauo. Quòd vir tribunitius Hesperius haberet in territorio Fussalensi fundũ zubedi appellatum, vbi cum afflictione animalium & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorũ vim noxiam perpeti comperisset, rogauit presbyteros, vt aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, Obtulit ibi sacrificium corporis Christi (attende, ὦ μισολειτουργέ, Missæ hostis) orans quantum potuit: vt cessaret illa vexatio, Deo protinus miserante, cessauit. Hucusque

præfatus

præfatus doctor, Addam & Suetonio in Sergio Galba §.18. *Suetoni.*
Ille monile margaritis gemmisque consertũ ad ornãdum fortunam suam Thusculanam ex omni gaza secreuerat. Id repentè quasi angustiore dignius loco, Capitolinæ Veneri dedicauit, ac proxima nocte somniauit speciem fortunæ, querentis fraudatã se dono destinato, minantisque ereptuRam & ipsam quæ dedisset. Quumque exterritus luce prima ad expiandum somniũ, præmissis qui rem diuinã appararent. Thusculũ excucurrisset, nihil inuenit præter tepidã in ara fauillam, atratúmque iuxta senem in catino vitreo thus tenentẽ, & in calice fictili merũ. Hæc ibi. Idẽ in Octauio Augusto. §.6. Quũ possessor villæ nouus, in qua educatus iuxta Velitras fuerat Octauius, seu fortè, seu tentandi causa cubitum se eò contulisset, euenit vt post paucissimas noctis horas exturbatus inde subita vi & incerta, penè semianimis cum strato simul ante fores inueniretur. Paulò supra scripserat: Hûc introire nisi necessariò, & castè, religio est: concepta opinione veteri, quasi temerè adeuntibus horror quidam & metus obiiciatur: sed & mox confirmata est ex præmemorato euẽtu. Apud nos hæc infestatio nominari solet, *vn Rabbas*. De phantasmate seu spectro apparente, Ex Plinio, Concione de Naui diffusè diximus, quæ hoc loco accommodari etiã poterunt. Adiungã & illud, quod Appianus Alexãdrinus de bellis ciuil. li. 4. ad calcẽ, memoriæ tradidit. Quòd cùm traiecturus esset Brutus cũ exercitu in Europã ex Asia, noctu lucubrãtẽ ad deficientẽ lucernã vidisse astare sibi spectrum inusitata facie, & intrepidè percontatũ. Quisnam hominũ Deorumve esset? Spectrum Respondisse? tuus sum, Brute, malus genius: Philippis me videbis iterum. Aiunt apparuisse ei, pridie quàm postremò pugnatum est. Hactenus Appianus. In Philippicis campis initum est certamẽ, ibique periit Brutus. Verũ de his satis. *Appian. Alexãd.*

Redire ergo possunt Spiritus humani, sed Deo id rarò indulgente. Colligitur enim ex hoc Euãgelij loco, eã tunc inter Iudæos opinionem versari, Defunctorum spiritus in terris quãdóque ambulare, atque viuis apparere. Nec quidem dubium est, opinionem Discipulis fuisse, de spirituum reditu, cum Iudæi eos qui discessissent ad viuos quãdóque licet rariùs, Deo permittente, reuerti putarẽt, quod ex apparitionibus Mosis in trãsfiguratione, & illorum qui cum Christo consurrexerant, Matth. 27. ac etiam Hieremiæ & Oniæ in Machabæorum historia, facilè deprehenditur.

Cogitatio

Cogitationes aſcendunt. Aſcendunt, inquam, quia de inferioribus erumpunt. Si enim de ſuperius eſſent, deſcenderent, *quia omne donum perfectum deſcendit à patre luminum.* Iac. 1. *Superbia verò qui te oderunt aſcendit ſemper,* ait Pſalmographus. Et Prouerbio Gallico dicimus, *Mauuaiſe herbe croiſt touſiours.*

Pſal. 73.

Videte manus meas & pedes meos &c. Videte manus quæ leproſos mundauerunt, cæcos illuminarunt, lauerunt pedes veſtros, & prædam tulerunt à forti: Hæ ſunt quæ clauis confixæ ſunt. Videte pedes qui ſuper fluctus maris ambularunt. Matth. 14. aſpidem & baſiliſcum, mortem & Sathanam conculcarunt, hos lachrymis Maria lauit, terſit, vnxit. Videte quàm variis plagis ſalutem veſtram comparauerim: *Non corruptibilibus auro & argento, ſed proprio ſanguine meo vos redemerim.*

1. Petr. 1.

Palpate & videte &c. Videte cicatrices & ſtigmata nec me reſurrexiſſe dubitetis, Et qui aſpexerint viuent, Num. 21. de æneo ſerpente, in figura Chriſti crucifixi, dictum eſt. Videte in ſignis vulnerum inſcriptam dilectionem quam erga veſtram habeo ſalutem, Iſaiæ 49. *Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Sed meritò hìc quæritur, Qui Chriſtus cicatricis retinuerit? Reſponſio in promptu eſt. Et verò præcipua cauſa, vt cum effectu & efficacia pro nobis interpellet apud patrem. Cicatrices demonſtrando. Referunt Cicero lib. 2. de Oratore, & 7. in Verrem actione, & Quintilianus lib. 2. cap. 15. Quòd M. Aquilium defendens M. Antonius cum ſciſſi veſte cicatrices quas is pro patria pectore aduerſo ſuſcepiſſet, oſtendit. Non orationis habuit fiduciam ſed oculis populi Romani vim attulit: Quem ille aſpectu maximè motum in hoc vt abſolueret reum creditum eſt. Scribit enim Horatius, in Arte Poëtica:

Cicer. & Quintil.

Horatius Poëta.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, &c.

Ioſephus.

Nec prætereundum eſt, quod apud Ioſephũ lib. 1. de Bello Iudaïco ca. 8. memoriæ proditum eſt, Quòd accuſatus Antipater apud Cæſarem, veſte proiecta multitudinem vulnerum demonſtrabat, & qua fide Cæſarẽ coluiſſet verbis non eſſe opus dicebat: Nam corpus etiam ſe tacente, clamare? Mirari autem Antigoni audaciam qui eum accuſare conaretur. Idipſum verò ab Egeſippo lib. 1. de Excidio Hieruſalem c. 15. ſic refertur. Antipater non verborũ referens vicem, ſuam ſcidit veſtem, & nudus veſtimentorum, plenus

Egeſipp⁹

plenus vulnerum, offerens oculis circunstantium, spectatę indicia virtutis: Has ego, inquit, cicatrices tibi Cæsar, voluntatis æternæ obsides tribuo: Hæc ego fidei meæ depono pignora, & inscriptos cordis apices gero. Hostes interrogentur, pro quo vulnera illa susceperim: Quid in me aliud nisi fidem quam tibi deferrem persequebantur: Pulchrè conuenit huic negotio, quod Theophylactus in Epistolam ad Hebræos c.5. ad verba: *Tu es sacerdos in æternum*, ab Apostolo allata, doctissimè adnotat. Vnà cum corpore pro nobis apud Deum patrem Christus sacerdos intercedit, hoc est, Quas pro nobis pertulit afflictiones proponit etiam sine voce, Reipsa nimirum loquens: Pro natura humana filius tuus ego sustinui hæc, Miserere igitur horum, pro quibus ego pati & mori sustinui. Hæc ille. Et Gregorius Nazianzenus Oratione 4. de Theologia, vltra media, sic scribit: Aduocatum habemus Iesum, non vt nostra causa, sese ad patris pedes aduoluentem, seruilíque modo abiiciẽtem, Procul sit ista seruilis sanè suspicio, spiritúque indigna: Neque enim patris ex hoc exposcere, aut filij pati, nec de Deo hoc cogitare pium atque æquum est: Sed, vt paulò ante, ibidem dicitur, supplex est nũc quoque, vt homo, pro mea salute, quoniam cum eo corpore est quod assumpsit, quoad humanitatis assumptæ facultate atque potentia Deum effecerit. Sic ille. *Nimirum introuit in cœlum, tanquam Pontifex in Sancta Sanctorum per proprium sanguinem, vt appareat vultui Dei pro nobis*, quemadmodum disertis verbis scripsit, ad Hebræos Paulus. Ibi sui corporis ostensione intercedit, interpellat siue postulat pro nobis. Atque in eius gratiam, & propter eiusdem cicatrices donatur nobis à Deo patre venia & indulgentia. Quod simili quodam persuadetur exemplo, ex Æliano variæ historiæ lib.5.c.19. Vbi dicitur, Quòd Æschylus Tragœdus in quodam dramate impietatis dãnatus erat. Cúmque Atheniẽses iam parati essent eum lapidibus obruere, Amynias, iunior frater detecta veste cubitum ostẽdit manu vacuum. Fuerat autem vnus ex his qui fortissimè pugnarant in Salamine, vbi manum amisit, & primum ex omnibus Atheniensibus, fortitudinis præmium consecutus est. Vbi verò iudices hominis animum, & miserationem intellexerunt, repetentes facinorum eius memoriã, Æschylum absoluerunt. Huc vsque Ælianus. Sic cicatrices vel nobis vel aliis patrocinantur. Nequaquã dissimile est quod apud Eusebiũ

Theoph.

D. Greg. Nazianzenus.

Heb. 9.

Ælian'.

Eusebi'.

Hist. Ecclesiast. Ruffino interprete, lib. 5. c. 28. legitur, quomodò Natalis quidam confessor, qui pro Christo multa passus fuerat Martyr, tamẽ fraude hæreticorum deceptus, primatus amore, & turpis lucri deuictus illecebra, cum tãdem ab Angelis, per noctem verberatus, abiurans hęresim ad Ecclesiam rediret, publicam in cinere & cilicio agebat pœnitentiam, ante pedes Zepherini Papæ, cum lachrymis deprecans, vt indulgentiam sibi à Christo imploraret: Ostendebatque liuores corporis, & cicatrices quas pro nominis ipsius confessione susceperat. Hinc autem persuasi fideles, eum in communionem receperunt. Hucusque procedit narratio. Simile quiddã apud Oliuerium de la Marche scriptorem Gallicum legitur, quod in epitomem redactum, verbis ipsius authoris referre placuit, vt maior fides habeatur. Sic ergo ille, *en l'introduction de ses memoyres chap. premier: Le Roy Alphonse fils d'Alphõse le premier Roy Chrestiẽ de Portugal (qui descõfist cinq Roys Sarrazins) receut sur son corps pour la foy en diuerses batailles & rencontres des Sarrazins diuerses blesseures. Le Pape se troubla contre luy, pour quelque imposition de tribut, & fut ce Roy si trauaillé des verges de l'Eglise qu'il fut contraint aller en personne à Rome. Il y vint & cõparut vestu d'vne lõgue robbe sur sa chemisse, sans chausses ny pourpoint, en soy humiliant cõme fils de l'Eglise: Remonstra que souuent contre les Sarrazins il auoit aduãturé sa personne, dont il vouloit mõstrer les enseignes certaines sur son corps: Et ostant sa robbe mõstra son corps au Pape & aux Cardinaux à nud, sur lequel y auoit nombre merueilleux de playes: dõt y en auoit cinq si pres d'estre mortelles, que ce fut plus miracle que raison naturelle, que de la moidre il eschappa sans mort receuoir. Or voyãts ce noble tesmoignage furent les susdits desplaisans du trauail donné à ce trescatolique Roy, le firent reuestir, le recõnurent bon fils de l'Eglise, & en memoyre de ses bienfaicts luy fut ordonné de mettre en chascun des cinq escussons d'azur (qui sont les armes de Portugal) cinq besans d'argent. Et telles sont les armes maintenant: Vn escu d'argent, garny de cinq escussons d'azurs chasque escusson derechef paré de cinq besans d'argent. Iusques icy Oliuier de la Marche.* Ad hunc planè modum Christus, pro nobis agnus ipse sine macula & innocens, quinque cicatrices ac lethalia vulnera in cruce sustinuit, & patri etiãnum ea repræsentãs, efficaciter pro nobis intercedit, & veniam impetrat patrem placans, nobísque eum reconciliãs. Sunt ergo Christi stigmata, *Primò*, Venerãda nostræ causæ

Oliuerius de la Marche.

patrocinia: *Secũdò*, Sunt & Resurrectionis Christi certa indubitatáque testimonia: *Tertiò*, Atque nostri erga illum amoris æterna incitamenta: *Quartò*, Et denique horroris impiorum perpetua incendia. Apocal.1. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Et Ioan.19. ex Propheta: *Videbunt in quem transfixerunt.* Zach. 12. *Aſpicient ad me quem confixerunt.* Non ergo ex impotentia curandi cicatrices ſeruauit, ſed vt perpetuũ victoriæ ſuæ circumferat triumphum. Docetque quòd pax quam eis imprecatus eſt, ſyncera eſt & non ficta, quandoquidem eam comprobauit tam heroicis operibus quæ pro eis præſtitit, manus & pedes illis oſtendens. Chriſtus manus oſtendit perforatas, ſignificans ſuam erga nos liberalitatem.

Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet ſicut me videtis habere, &c.

Venerabilis Beda lib.6.ca.97. in Lucam hæc interpretatur verba hoc pacto: Chriſtus dũ palpanda Diſcipulis oſſa, carnémque prę monſtrat, apertè ſtatũ veræ Reſurrectionis quæ in ſe facta eſt, & in nobis eſt futura, ſignificat. Quia non ſicut Eutychius Cõſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopus ſcripſit, corpus noſtrum in illa reſurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aëréque ſubtilius. In illa enim Reſurrectionis gloria erit corpus noſtrum ſubtile quidem per effectum ſpiritalis potentiæ, ſed palpabile per veritatem naturæ. Neque huic aſſertioni putetur Apoſtoli ſermo repugnare: *Quia caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt:* Hoc enim loco Apoſtolus, carnis & ſanguinis nomine nõ ſubſtantiam veri corporis, ſed corruptionem mortalitatis ſignificat. Sicut ipſe conſequenter expoſuit dicens: Neque corruptio incorruptelam poſſidebit: Aliter namque caro in Scriptura ſacra iuxta naturã, aliter iuxta culpam, aliter iuxta corruptionem mortalitatis quæ ex culpa cõtigit, appellatur. Iuxta naturam quidem, cum dictum eſt: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Et verbũ caro factum eſt, &c.* Iuxta culpam verò cum dicitur: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* Iuxta corruptibilitatem autem, cum ſcriptũ eſt: *Et recordatus eſt quia caro ſunt*, id eſt, fragiles & moribũdi. Hoc enim ſe carnis nomine deſignaſſe manifeſtat ipſe Pſalmiſta, qui protinus addit: *Spiritus vadens & non rediens. Regnũ itaque Dei caro non poſſidebit*, id eſt, caro iuxta culpam vel mortalitatem: Et tamẽ caro poſſidebit regnum Dei, id eſt, caro iuxta naturam.

Beda. 1 C 15 *Geneſ.2. Ioan.1. Gal. 6. Pſal.77.*

Quam & Dominus post Resurrectionem videndam pal-
Iob. c. 9. pādamque Discipulis exhibuit. Et de qua beatus Iob, cùm gloriam Resurrectionis describeret, ait: *Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum.* Sic ille. Quod
D. Greg. Papa. autem dicit D. Gregorius Homil. 26. in Octaua Paschæ: Corrumpi necesse est quod palpatur, & palpari non potest, quod non corrumpitur. Respondeo, id verum esse in corporibus non gloriosis, non autem de corporibus gloriosis. Idem Gregorius lib. 14. moralis expositionis in Iob, ca. 19. Commentariorum autem ipsius c. 31. Cum eidem Euticio (de quo supra) in Constantinopolitana vrbe positus hoc Euāgelico veritatis testimoniū, Luc. 24. *Palpate & videte, &c.* protulissem, ait: Idcirco Dominus hoc fecit, vt dubitationē resurrectionis suæ de Discipulorū cordibus amoueret. Cui, inquam, Mira est res valdè quam astruis, vt inde nobis dubietas surgat, vnde Discipulorum corda à dubietate sanata sunt. Tunc mihi obiecit dicēs: 1. Cor. 15. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Cui inquam: in sacro eloquio aliter Caro dicitur iuxta naturam (vt supra Beda, haud dubiè ex Gregorij hoc loco retulit) aliter iuxta culpam, *vt non permanebit in hominibus istis spiritus meus, quia caro sunt*, Genes. 6. Et Discipulis Paulus dicebat, Rom. 8. *Vos in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Neque enim in carne non erant, quibus Epistolas transmittebat, sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, iam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus dicit: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, carnem vult secundùm culpam intelligi, non carnem secundùm naturam. In illa ergo cælestis regni gloria, caro secūdùm naturam erit, sed secundùm passionum desideria non erit: quia deuicto mortis aculeo in æterna incorruptione regnabit. Sequitur c. 32. ibi. Quibus dictis idem Euticius cōsentire se protinus Respondit. Sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegabat, &c. Tunc piæ memoriæ Tiberius Constantinus Imperator secretò me & illum suscipiens: quid inter nos discordiæ versaretur agnouit, & vtriusque partis allegationem pensans, eundem librum quem de Resurrectione scripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberauit vt flammis cremari debuisset. A quo vt egressi sumus, me ægritudo valida, eundem verò Euticium ægritudo & mors protinus est sequuta. Dum tamen adhuc viueret, & ego

validissimis febribus ægrotarem, quicunque noti mei ad eum salutationis gratia pergebant, vt eorũ relatione cognoui, ante eorũ oculos pellem manus suæ tenebat dicẽs: Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus. Quod, sicut ipsi fatebantur, omninò priùs negare consueuerat. Et c.33. Ibidẽ: Rursum circundabor pelle mea, &c. Ecce resurrectionem, Ecce carnem! Ecce pellem apertis fatetur Iob vocibus. Si post resurrectionem corpus palpabile non erit, profectò alius surgit quàm moritur, quod dictu nefas est credere, quia ego morior & ali⁹ resurgat. *Quẽ visurus sum ego ipse, & nõ alius, &c.* ait Iob. Si post resurrectionẽ corpus palpabile non erit, sed inuisibilis corporis subtilitas caro vocabitur: quamuis substãtia carnis non sit, profectò alius est qui moritur, & alius qui resurgit. Sed beatus Iob dicit: *Ego ipse & non alius, &c.* Fatemur carnem nostrã post resurrectionẽ futuram & eandem & diuersam. Eandẽ per naturam diuersam per gloriã, eandẽ per veritatẽ, diuersamque per potentiã. Erit itaque spiritalis, quia & incorruptibilis: Erit palpabilis, quia nõ amittet essentiã veracis naturę. *Reposita est hac spes mea, &c.* inquit Iob. Nihil nos habere certi⁹ credim⁹ quàm hoc ꝙ in sinu tenem⁹. Hacten⁹ D. Greg.

Habetis aliquid quod manducetur? Obtulerunt ei partẽ piscis assi, & fauum mellis. Conuescens describitur Christus Act. 1. vt per veritatem comestionis & certitudinẽ veritas quoque patesceret carnis. Si cibos ipse attulisset, de illis sicut & de resurrectione dubitassent. Obserua ex Venerabili Beda ad hunc locum, quòd mãducauit Christus potestate, non necessitate. Aliter enim absorbet aquam terra sitiens, aliter Solis radius candens. Illa, indigentia, iste potentia. Nullum certius argumentum hominis viui, quàm cibum capere: *Ideò puellæ suscitatæ iussit Christus dari cibum*, vt dicit Euangelista. Recurre ad Euãgelium de filio viduæ, ac Lazaro suscitato &c. Nota quòd duplex est manducatio: Vna quidem indigentiæ, quæ cibum sumptum sibi incorporat, & ex eo accipit cõfortationem: Alia autem est puræ potestatis, & nullius infirmitatis demonstratiua, & hæc cibum sumit, sed digerendo non sibi eum incorporat sed potestate, consumit, & in pristinam cõuertit materiã, sicut radius Solis consumit aquam. Et hac potestate Christus manducauit post resurrectionẽ: Hæc autem mãducandi potestas non est nisi in veris & viuis corporibus, & nõ in phantasiis seu illusionibus Necromanticorum. Vnde ab ista tãquam

Beda. *Luca 7.* *Ioan. 11.*

firmiſſimo ſuæ reſurrectionis argumẽto ſumit inſtructionis occaſionem Chriſtus.

Et ſumens reliquias dedit illis. Quæ remanſerãt ex eo quod ipſe comederat, vt ex illis ſentirent, quòd verum cibum comederat: Ergo quia corpus Chriſti poſt reſurrectionem verum, viuum, ac animatum fuit, vera quoque fuit eiuſdẽ comeſtio.

Partem piſcis aſſi, &c. Chriſtus ipſe ſignificatur in paſſione, *Cuius corpus ſanctiſſimum in ara crucis torridum cruore eius roſeo, guſtando viuimus Deo.* Mel fuit Chriſtus in reſurrectione. Virgilius Georgicorum lib. 4.

Virgili⁹.

Protinus aërij mellis cœleſtia dona.
Exſequar.

Quia reſurrectio Chriſti fuit ad immortalitatem, & cœleſtem conuerſationem non ad mortalitatem & paſſibilitatem. Ideò melli ritè comparatur. Piſcis myſticè intelligitur Chriſtus, vt ſcribit Optatus, lib. 3 contra Parmenianum: Græcè ἰχθὺς, continet latinè, *Ieſus Chriſtus Dei filius ſaluator.* Cui ſubſcribit D. Auguſtinus tomo 5. libro 18. de Ciuit. Dei. capit. 23. Acroſtychis Sibyllæ Erithreæ, Ἰησοῦς χριστὸς θεῶ ὑὸς σωτήρ. Si primas literas iungas erit ἰχθὺς, id eſt, piſcis, in quo nomine myſticè intelligitur Chriſtus. Qui ex Tertulliano vetuſto Scriptore id hauſiſſe vidẽtur. Scribit enim ille circa principium libri de Baptiſmo, Nos piſciculi ſecundum ἰχθὺν noſtrum Ieſum Chriſtum in aqua naſcamur. Nec aliter quàm in aqua permanendo ſalui ſumus. Sic ibi.

Optatus. D. Aug. Tertul.

Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos cũ adhuc eſſem vobiſcum, &c. Id eſt, cùm adhuc eſſem in carne mortali, in qua eſtis & vos. Tunc enim in eadem carne ſuſcitatus erat, ſed cum illis in eadem mortalitate non erat. Hæc Beda, loco ſupra commemorato. Et cum illis quidem, ſubdit, poſteaquam reſurrexit fuit quadraginta diebus (vt legitur. Act. 1.) exhibitione corporalis præſentiæ, ſed non cum illis fuit conſortio infirmitatis humanæ. Hactenus Beda.

Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas, &c. Verus interpres Scripturæ eſt ipſe Deus. Vnde in Apocalypſi: *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, aperire librum & ſoluere ſignacula eius, &c.* Apoc. 5. Habet clauem ſcientiæ, liber aũt ſignat⁹ eſt, Act. 16. de Lydia purpuraria, cuius Domin⁹ cor aperuit. Pſa. 118. *Reuela oculos meos, & cõſiderabo mirabilia de lege tua.*

Sic oportebat pati Chriſtum & reſurgere à mortuis, &c. Nõ

dc

de necessitate ineuitabilitatis, sed de necessitate conueniẽtię intelligi debet: Quamuis, vt D. asserit Augustinus, alius modus nostræ liberationis esset possibilis: tamen nullus modus nostræ miseriæ sanandæ erat conuenientior.

Prædicari in nomine eius pœnitentiam, &c. Ergo nedum fides requiritur, sed etiam pœnitentia. Priùs pœnitentia postea peccatorum remissio: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Lucæ 3. & Act. 3. *Pœnitemini & conuertimini vt deleantur peccata vestra.* Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Licet igitur Christus pro omnibus nobis satisfecerit, tamen illa satisfactio applicari debet nobis per fidem & sacramenta, atque in adultis per mãdatorum diuinorum obseruationem. Matth. 28. *Docete omnes gentes, fides autem acquiritur ex auditu, Auditus est per verbum Dei.* Rom. 10. *Baptizãtes in nomine & docentes seruare omnia quæ mandaui vobis.* Vides tria illa connexa! Act. 10. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Luc. 3. & Act. 3 Act. 2. Rom. 10. Act. 10.

Obseruatione dignissimum est, Christum ex scripturis, lege nimirum seu Pẽtaleucho Moysi, Prophetis, & Psalmis se probare verum Messyam in lege promissum, se item à mortuis verè resurrexisse, nec hac in re vllo modo dubitãdũ esse. Est igitur verus Messyas, quem non suscipientes Iudæi, quibus speciali quodam modo missus erat, nullam excusationem legitimam prætexere possunt. Ideò Christus ipsis Ioan. 5. dicebat: *Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: Si alius venerit in nomine suo* (Antichristũ, filium perditionis, qui venturus est, & Iudæos seducturus, intelligit,) *illum accipietis. Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: De me enim ille scripsit. Finis legis Christus testimonium habẽs à lege & Prophetis,* ait Apostolus de quo sermone de Trãsfiguratione fusiùs egimus. Sed quia plures fuerunt Antichristi præcursores apud Iudæos qui se Christũ ac Messyam mentiti sunt: non abs re fuerit hoc loco ex sacris ac Ecclesiasticis historiis aliquos Pseudochristos connumerare, deinde dicendi finem faciemus. Duo quidam scelerati, Actorum c. 5. à Gamaliele nominantur: Ante hos dies, inquit, extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorũ, qui occisus est, & omnes qui credebant ei dissipati sunt & redacti ad nihilũ. In quẽ locum noster Lyranus hoc adiicit scholiõ, Ille dicebat se esse aliquem, id est, magnũ Pro- Ioan. 5.

phetam, qui, vt dicit Iosephus, magicis artibus multos de Hierusalem decepit, duxitque eos ad ripas vsq; Iordanis, se præbiturum eis transitum per arentem alueum, vt quondam temporibus Iosue, repromittens. Sic autem Ruffino interprete, Iosephus lib. 20. Antiquitatum Iudaicarum ca.
Ioseph⁹. 4. narrat: Dum Fadus Iudæam prouinciam gubernaret, quidam vir magnus, nomine Theodas, populo multa suasit, vt sumentes substantias suas, sequerentur eum ad Iordanem fluuium: semetipsum asserens esse Prophetam, & præcepto fluuium diuidere, vt eis facilè transitum præberet. Hæc ergo dicens, seduxit quidem multos: non tamen permisit eos Fadus ad experimentum suæ insipientiæ peruenire, sed repentè cohortem misit equestrium super eos: quæ inopinabiliter irruens, multos quidem peremit, plurimos autem viuos cepit: ipsumq; Theodam comprehendẽtes, capitis sectione multauerunt. Sic Iosephus. Sequitur in Actis Apostolicis vbi supra: Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se, & ipse periit, & omnes quotquot cõsenserũt ei dispersi sunt. Is Iudas Galilæus, de quo meminit etiam Iosephus c. 5. lib. 20. Antiquit. Iud. populum à Romanorum potestate subducere nitebatur cum suis filiis sub Cyrenio Iudææ præside, sicut prædiximus, Nempe lib. 18. antiq. cap. 1. Nota quòd cùm Cyrenius seu Cyrinus Syriæ præses instante Christi natiuitate censum exigeret à Iudęis populum seduxit vetans tributa persoluere, proferens ex lege quòd soli Deo seruiendum esset: Et hic quoque cum suis factiosis infeliciter periit. Dies professionis intelligit generalis illius descriptionis de qua Luc. 2. quæ facta est, Anno quarto Augusti. Quod verò ait Lucas, post hunc extitit Iudas Galilæus, non est arbitrandum Iudæ Galilæi factionem, sequutam esse factionem Theudæ, quia Iudas Galilæus mouit seditionem sub annum quartum Augusti, & occisus est posteà. Theudas verò sub Claudio Imperatore, à Fado procuratore à Claudio misso, interfect⁹ est, multis postea annis vt supradictũ est. Post Augustum enim Cæsarem Tiberius imperauit. Cui successit Caius Caligula, deinde Claudius. Cuius hic meminimus. Itaque Lucas cum dicit: Post hunc, id est, vltra vel præter hunc Theudã seditiosum, fuit Iudas Galilæus alter seditiosus. Est ergo sensus iste, quem Doctor Gagneius ad hunc locũ posuit. Sed quãuis hæc de Theoda mago (qui Fado Iudæã procurẽte interfectus est,
& ipsius

& ipsius Theodæ caput desectum Hierosolymam deportatum est (expositio, ex Euseb. Hist. Eccles. lib. 2. c. 11. interprete Ruffino sumpta sit, & communiter teneatur, non tamen caret dubitandi rationibus, magnique momenti & ponderis argumẽtis. Nam vel hæc de Theuda, post Agrippæ mortẽ à Gamaliele dicta sunt, vel de alio Theoda accipienda sunt. Post mortem autem Agrippæ hæc gesta non esse declarat totius historiæ series: Cum infra Act. 12. sub Herodis nomine mors illius horrenda commemoretur. Post verò Agrippæ mortem Fadus qui hunc Theudam sustulit, Iudęæ prętuit: Anno scilicet Claudij circiter quarto. Deinde cum alterum subiiciatur exẽplum Iudæ illius, qui fuit tempore Descriptionis, id est, cum nasceretur Dominus, qua ratione Gamaliel in tam paucis exemplis, temporum seriem confunderet? Cur Iudã diceret post illũ Theudam extitisse, qui tamen tot annis prior fuerit, nempe plus minus quadraginta. Post hunc, non potest accipi pro, præterea in contextu, quin violenta sit expositio. Relinquitur ergo quòd Theudas hic Gamalielis, alius sit à Theuda Iosephi sicque hallucinatus esset in historia Eusebius, cùm ad hunc locum applicat quæ Iosephus de quodam mago Theuda commemorat, locis supra citatis ex vtroque scriptore. Adde quòd Origenes lib. 1. contra Celsum vltra medium, sic de Theuda scribit: Antequã Dominus Iesus nasceretur fuisse apud Iudæos Theudam quendam sic dictũ, qui se magnum aliquem & supra hominem esse iactitaret: Hoc mortuo, hi quos antea circumuenisset, passim dispersi sunt. Post hunc, vbi nasci visus est Iesus, & orbis terrarum describeretur, prodiit Iudas alter quidã, & Galilęus, qui ad se ex Iudaico populo permultos conciuit: quippe qui & sapiens haberetur, & nouarum rerum inuentor. Vides quomodò hunc faciens Christi tempore antiquiorem à Iosephi Theuda distinguit Origenes? Et ita sanè videtur iure optimo censendum Iudicium lectori & doctioribus relinquo. Habuit autem Iudas Galilæus sequaces, de quibus intelligendum illud Luc. 13. de Galilæis quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Nihil autem, ait ibidem Gagneius, scriptum aliud reperio, nisi de his qui Iudæ Galilæo adhæserunt, qui sollicitabant ad defectionem populos, Censum nihil aliud quàm manifestam seruitutis professionem esse dictitantes, & vniuersam gẽtem, ad tuẽdã libertatem adhortantes. In quibus accusati sunt, tan-

quam qui à Cæsare defecissent,& Galilæam seditione aduersus ipsum repleuissent. Cùm ergo quodam tẽpore congregati sacrificarent,misit ad eos Pilatus milites,quorum sanguinem sacrificiis eorum miscuerunt. Tertius fuit quidam Ægyptius,de quo Act.21.Tribunus Paulo dixit:*Nonne tu es Aegyptius ille qui ante hos dies tumultum concitasti,& eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum?* Huius mentio fit apud Iosephum lib.20.Antiquit.Iud.c.12. & lib.2.de Bello Iudaico,cap.similiter duodecimo ex Ruffini tralatione: Hoc in tempore venit aliquis ex Ægypto ad Hierosolymam,dicens se esse Prophetã : & populari multitudini persuasit, vti cum eo ad montem,qui dicitur Oliuarum conscenderent,velle se dicens eis exinde monstrare,quia eo viuente Hierosolymorum muri corruerẽt: Vnde ingressum eis esse faciendum promittebat. Fœlix autem dum hæc audisset, iussit militibus vt arma sumerent. Quo facto ab Hierosolymis irruit super eos, & quadringentos quidem eorum gladiis interemit, ducentos verò viuos cepit: Ipse autem Ægyptius fuga lapsus disparuit. Rursus itaque latrones populum contra Romanorũ prælia concitabant,suadentes ne eis subiacere deberent, & sibi resistentium vicos incendebant,atq; diripiebant. Sic de Ægyptio illo Pseudopropheta & Mago, vt eũ vocat Iosephus.Duo præterà fuerunt Pseudochristi Barcozba nominati,ac æquiuoci:de quibus fusè satis apud Galatinũ, lib. 4.c.21. Iudæi, inquit, cum viderent tempus aduentus veri Messyæ in scripturis designatum iam præteriisse,duos sibi, vnum post alterum falsos assumpsere Messyas.Nam paulò post Christi passionem,surrexit quidã Iudæus, cui nomen erat Barcozba, quod mendacij vel falsitatis filius exponitur. Hic ergo pro Messya se ingerens, à Iudæis susceptus est,vt legitur in libro Sanhedrim.cap. Helec. fuitque cum Herodis Agrippæ regno. Quare verbum illud Dominicũ Ioan.5.tunc impletum est:*Ego veni in nomine patris,&c.*Venit igitur in nomine suo Barcozba mendacij filius, & ab eis receptus est. Neque signum ab ipso falso Messya fieri vllum quæsierunt,quemadmodum à Christo,& quæsierãt & viderant. Barcozbam autem putauerunt esse Messyam, quem recipientes à Romano defecerunt imperio. Quapropter Vespasianus cùm filio Tito contra eos missus est, & tribus annis cùm dimidio eos Romani ipsi principes obsidione durissima afflixerunt. Cúmq; obsiderentur, tunc

Act. 21.

Galatinus ex Thalm.

tunc primùm à Bencozba siue Barcozba,qui annis 30.cum dimidio regnauit (vt dicunt Thalmudistæ) liberationis suæ signum fieri petierunt. Videntes tandem quòd miraculum nullum ad eorũ liberationem facere poterat, eum neci tradiderunt.De cuius morte in libro Sanhedrim in c. Helec.scribitur. Hæc Thalmud. Anno autẽ ab vrbis Hierosolymæ excidio 48.cùm dimidio,Iudęi ciuitatẽ nomine Bitter sibi metropolim fecerũt : Ibique alium falsum Messiam sibi præfecerunt,qui & Bencozba vel Barcozba vocabatur:Quapropter cum Iudæi aduersus Romanum imperium cùm eo rebellassent, Adrianus Cæsar eos cum falso Messia acriter obsedit in ipsa ciuitate Bitter. Tertiò denique obsidionis anno mense 6. Adrianus ciuitatem cepit, cùm maxima Iudęorum strage,vbi & ipse quoque Barcozba occisus est,vt in libro Escha rabbethi vocato, latissimè dicitur,vbi inter cætera legitur, quòd allatũ est caput eius falsi Messię,coram Adriano : dixitque Adrianus:Quis hũc occidit? Ait miles quidam : Ego eum occidi : Dixitque & Adrianus : Vade & adfert ad me eius truncum. Iuit ille, & serpentem collo eius inuolutum inuenit. Quo allato ait Adrianus:Nisi Deus suus hũc occidisset, quis aliquid contra eũ potuisset?Sic apud Galatinum.Iustinus Martyr Oratione ad Antonium Pium, huius postremi meminisse videtur,sic scribens:Proximo Iudaïco bello Barcochebas, defectionis Iudæorum dux & princeps solos Christianos, ad grauia supplicia, nisi Christum abnegarent, & maledictis incessrent,protrahere iussit.Sic ille. *Iustinus Martyr.*

Sextum refert in Tripartita Cassiodorus li. 12.c.9. Anno Domini 441.Multi,inquit,Iudæorũ in Creta Christiani facti sunt,propter huiusmodi cladẽ.Quidã seductor Iudæus, finxit seipsum esse Moysem & cœlitus destinatũ vt Iudæos illã insulã habitantes per mare deduceret,ipsum se esse dicens,qui olim filios Israël per rubrũ mare saluasset, suadebátq; Iudæis vt crederent,monens vt omnia relinquerent, cùm vtique deducti per siccũ mare ad repromissionis gaudia peruenirẽtur. Cúmq; venisset dies quàm designauerat seductor ille Iudæus:eo præcedẽte sequebãtur omnes cùm coniugibus & paruulis,seduxitque eos ad quandã rupẽ decliuius incumbentẽ,iussitque vt seipsos euoluerent ac pręcipitarent. Hoc igitur faciebant priores : & cùm venirent ad rupes,repentẽ moriebantur,tam dilacerati acutis rupibus,quàm in aqua necati. Plures tamen, Deo prouidente, *Cassiod.*

per vi

per viros Christianos piscatores atque negotiatores superuenientes, erepti seruatíque sunt. Tum alij eorum stultitiam sentientes, alios ne seipsos iactu interficerent, tenuerunt: nuntiantes eorum mortem qui primò ceciderãt. Qui etiam cognoscentes seductionem culpabant se, eò quod facilè credidissent. Quumque voluissent illum perimere seductorem, comprehẽdere nequiuerunt: Repẽtè namque disparuit, dedítque suspicionem, quòd Demon esset erroneus, humana figura circumamictus. Ex hac itaque calamitate multi tunc Cretensium Iudæorum ad Christianam conuersi sunt fidem. Sic ibi.

Beniamini Itinerarium. Septimum descriptum comperies in Itinerario Beniamini Tudelensis, ante 400. annos factus est ex Hebraico Latinus libellus, Benedictio Aria montano interprete. Ibi fol. 82. & 83. ac consequenter sic leges: Duodecimus nunc annus agitur; ex quo vir quidam nomine Dauid Elroi, id est, videns, ex vrbe Gliamaria surrexit, qui euaserat doctissimus in lege Mosis, & in doctrinalibus libris, & in Ismaëlitica lingua; atque in magorum & incantatorum libris. Hic agitur aduersus Persarum Regem arma mouit, & collectis Iudæis qui in montibus habitabant, statuebat bello gentibus omnibus illato Hierosolymam vsque petere. Id autem vt Iudæis persuaderet, mendacibus signis vsus est, affirmans à Deo se se esse missum Hierosolymam expugnandi, atque ipsos ex gentium iugo soluendi causa: adeo vt apud multos ex Iudæis fidem sibi conciliarit, & nomen obtinuerit Messyæ ipsorum. Eius rei fama audita, Persarũ Rex ipsum ad colloquium vocauit, quem ille intrepidus omnino adiit, & rogatus an ipse Iudæorum Rex esset? Cõstanter ita esse respondit, atque ex templo à Rege comprehendi & in carcerem intrudi iussus est. Quo qui regia sententia includuntur, per totam vitam continentur in Dabasthan vrbe, Gozen flumini maximo proxima. Post triduum verò principum & ministrorum concilio per Regem coacto: Repentè Dauid ille existens affuit, è carcere sua sponte nullo homine conscio solutus: quem cùm Rex vidisset, admiratus rogauit? Quisnam te huc adduxit, aut è carcere liberauit? Cui ille respondens: Sapientia, inquit, mea, & industria mea. Nihil enim ipse vel te, vel seruos tuos metuo. Tum vero vociferatus Rex, Apprehendite, inquit, hominem. Cui principes atque ministri responderunt, illius vocem audiri quidem ab omnibus, speciem verò à nemine

prorsus

prorſus conſpici. Ille autem aduerſus Regem ait: En ego viam meam facio, & præcedere cœpit ſubſequentem ſe Regem: Proceres verò atque miniſtri omnes Regē ſequebantur. Cum autem ad fluminis ripam deuentū eſſet: Dauid, extenſo quòd geſtabat ſudario ſuper aquas inſiliens traiecit, atque eodem tempore ab hominibus eſt conſpectus, traiectionis ſpectaculum admirātibus, quem exiguis lintribus inſequi & capere fruſtra tentatum eſt. Ille verò eadem die, dierum decem via confecta in Elghamariam in interpretabilis nominis virtute (nempe Iehouach) perueniens, quæ ſibi accidiſſent Iudæis narrauit. At verò Perſarum Rex, Iſmaëlitarum Calipham ſummum, huius rei certiorem fecit, orauítque vt Dauidē Elroi per ſummum captiuitatis caput, & Synedriorum proceres, ab huiuſmodi auſis auertendum curaret, aliâs niſi huic rei caueretur, Iudæis omnibus in Perſiæ regno degētibus publicum exitium comminatus. Igitur captiuitatis caput, atque Synedriorum primores literas ad Dauid conſcripſerunt. Scias volumus liberationis noſtræ tempus nōdum veniſſe: Ideò iniungimus tibi abſtinere omninò ab iſtiuſmodi conſiliis, auſis & conatibus: Sin minus, ab omni Iſraël eiectus eſto. A multis itaque Dauid Elroi monitus eſt, fruſtra tamen, quippe eam, quam inſtituerat, viam peſſimam deſerere noluit, donec Rex quidam Turcarum, Zinaldin dictus, qui Perſarum Regi paret, decies mille aureis nummis Dauidis Elroi ſocero miſſis, huic malo finem, occiſo clam genero, imponere perſuaſit: quòd ille cùm ſe facturum recepiſſet, Dauidem domi ſuæ in lecto cubantem gladio confodit: atque cōſiliorum & calliditatis illius vanæ hîc exitus fuit. Sic ibi. Poſtremus omnium venturus eſt in perſona, ille Antichriſtus, de quo tot oracula ac vaticinia & Prophetiæ in vtróque teſtamento, præſertim verò apud Paulum, & in Ioannis Apocalypſi, qui ſeducet nedum gentes, ſed vel maximè Iudæos, & illum pro Meſſya ſunt ſuſcepturi. Poſt tot Pſeudochriſtos, 1. Theudam, 2. Iudam Galilæum, 3. Ægyptium magnum. 4. 5. Barcozbam vtrumquē. 6. Iudęum Cretenſem. 7. & Dauidem Elroi ſeu videntem. O perfidiam & inſaniam Iudaicam! Verùm Meſſyam abiecerunt, inſuper crucifixerunt, qui teſtimonium habet à lege & Prophetis atque pſalmis, & ſurrexit à mortuis, ſedétque in gloria patris, & iſtos mendaces ac ſeductores, falſos Meſſyas libenter admiſerūt, etiā ſine certis miraculis, vel indubitatis

testimoniis: Admissuri quoque circa finem filium perditionis. Non sine iusto Dei iudicio, vt credant mendacio, qui veritatem impugnarunt,& rebelles lumini fuerunt. In tenebras igitur perpetuas, nisi seriò resipuerint, detrudentur. Veri autem Christiani, qui in Christum Dei filium, vt oportet, crediderint, ad vitam deducentur æternam, quàm nobis concedat qui sine fine viuit & regnat, Amen.



DOMINICA QVASIMODO, SIVE IN OCTAVA PASCHAE.

De ingressu Christi, ad Discipulos ianuis clausis. Ioan. 20.

Cùm sero esset die illo vna Sabbathorum, & fores essent clausæ propter metum Iudæorum, stetit Iesus in medio eorum, (Thoma absente,) & dixit eis, Pax vobis.

D. Tho. Aquinas & Lyranus.



X B. Thoma, à quo Lyranus noster desumpsit, exordiri libet, ac quàm verùm sit illud Psalmo 9. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, perpendere. Multis siquidē argumentis Christus suæ resurrectionis veritatem, certitudinémque firmauit, ac stabiliuit, vt suprà nominati Doctores efficaciter deducunt. D. Thomas quidem 3. parte, quæstio. 55. articulo 6. in corpore quęstionis: & Lyranus in Acta, cap. 1. conformiter scribunt: Christum sufficientibus argumentis demonstrasse suam resurrectionem veram ac gloriosam fuisse. Vno modo ex parte corporis: Ostendens primò quidem, quòd esset corpus verum & solidum, non phantasticum vel aërium, quia palpabile præbuit, *Palpate*, ait, *& videte*, Luc. 24. & Thomæ se contrectandū exhibuit: Ioan. 20. Secundò, ostendit quòd esset corpus humanum, demonstrando eis veram effigiem,

quàm oculis intuerentur. *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum:* Luc.24. Et hodierno Euangelio, ostendit eis manus & latus.

Tertiò, ostendit eis quòd esset numero idem corpus, quod prius habuerat, monstrando eis vulnerum cicatrices, de quibus supra. Alio modò ex animæ parte iterato corpori vnitæ, Per opera triplicis vitæ: Primò quidem per opus nutritiuæ in hoc quòd cum discipulis mãducauit & bibit, *Luc.24. Act 1.* & rursus c.10. asserente Petro, *Testibus præordinatis à Deo, nobis, qui mãducauimus & bibimus cum illo postquàm resurrexit à mortuis:* Secundò, per opera vitæ sensitiuę in hoc quod discipulis ad interrogata respondebat, & præsentes salutabat, in quo ostendebat se & videre & audire. Tertiò, per opera intellectiuæ ac ratiocinantis facultatis, in hoc quod de scripturis cũ eis disserebat. Et ne quid deesset, ad perfectionem manifestationis, ostẽdit se habere diuinam naturam, Per miraculum quod fecit in piscibus capiẽdis ad mare Tyberiadis, Ioan.21. Per hoc item quod eis videntibus ascendit in cœlum, propria nempe virtute sicut psal.20. dicitur: *Exaltare Domine, in virtute tua:* Ioan.3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descẽdit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Tertiò in hoc quòd cogitationes discipulorum secretas detexit: (quod solius Dei est, Psalmista assertore, *Scrutans corda & renes Deus*) *Et illuminauit corda eorum, aperiens eis sensum vt intelligerent scripturas, Luc.24.* ibidẽ, *Cur cogitationes ascendunt in corda vestra?* Ac denique gloriam suæ resurrectionis per hoc monstrauit, quòd ad Discipulos hodiè ianuis clausis intrauit. Et quia pertinet ad conditionem corporis gloriosi, videri, & non videri, pro arbitrio, subitò cùm voluit ab oculis eorum euanuit. Luc. 24. Habebat enim Christi corpus à resurrectione sua quatuor dotes, ad nutum animæ, de quibus 1.Cor.15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione,* per dotem impassibilitatis: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria:* habens dotem claritatis: *Seminatur in infirmitate,* nẽpe de difficili mobile quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, *Surget in virtute:* secundum voluntatem animę mobile per dotem agilitatis. *Seminatur corpus animale,* id est, crassum, cũ alio corpore non glorioso esse non potens: *at surget spirituale,* id est, potens esse cum alio corpore non glorioso, sicut suo modo spiritus simul est cum corpore per dotẽ subtilitatis. Tales verò dotes insũt corpori glorioso, ex gloria animę in

Lyranus. corpus redundante. Hęc ibi Lyranus noster. Nunc quidem corpora nostra corruptioni perpessionique obnoxia sunt, obscura, nec diaphana siue pellucida, & tanquam vitrum aut crystallus transparentia, haud facilè mobilia, sed defatigabilia, & denique crassa, locúmque occupantia, certísque limitibus circumscripta, adeo vt penetrare muros, ac fores clausas nequeant. Tunc autem in resurrectionis glo-*Sapiēt.3.* ria, erunt impassibilia, clara, agilia, atque subtilia: Quæ sunt quatuor dotes corporis gloriosi de quibus Sapient. 3. *Fulgebunt iusti & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, &c.* In fulgore claritas, in igne (qui est elementum valde actiuum) impassibilitas, in scintilla, subtilitas, in discursu agilitas designatur. Consonat quod pollicetur Christus, *Matt.13.* Matth. 13. *Iusti fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum.* Est autem in Sole ratione radiorum claritas, ratione lucis & caloris subtilitas penetrans corpora diaphana, quinimò *3. Edræ cap.4.* suo influxu penetrans vsque ad terræ viscera. Inest etiam Soli nimia agilitas & velocitas, 3. Esd. 4. *Velox cursus Solis conuertit in gyro cœlum in locũ suum in vna die*, ait Zorobabel. Psal. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam &c.* Impassibilitas eius in hoc monstratur, quod ab aliis nihil patitur aut inquinatur, etiamsi immunda attigerit, vt aliàs me dixisse memini. Nunc textum ipsum expendamus.

Cùm sero esset die illo. Nota, sero, ex Gene. 8. Ad vesperam reuersa est columba ad Noë portans ramum oliuæ. Quod *Prudentius.* Prudentius poëta Christianus in Enchiridio Veteris & Noui Testamenti hoc expressit disticho:

Nuncia diluuij iam decrescentis ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis oliuæ.

Deinde, subdit:

Illa datæ reuehit noua gaudia pacis.

Quid autem per Columbã, nisi Christus Dominus designatur? qui cum diluculo, in aurora surrexisset, ad vesperam congregatis decem Apostolis apparuit, pacémque eis obtulit, per oliuam adumbratam, vt Concione de Ramis palmarum attigimus. Et quidem aptissimè per columbam *Tertull. & Sedulius.* Christus exprimitur. Scribit enim Tertullianus lib. de Baptismo. Columbam esse animal simplicitatis & innocẽtiæ, quod etiã corporaliter ipso felle careat. Subscribit. Seduli⁹ libr. 2. Carminum agens de Christi baptismo ac columba.

Mansuetúmque decet, multúmque incedere mitem
Per volucrem quæ felle caret.

Hinc

Hinc Christus Matth.10. suos admonet: *Estote simplices sicut columbæ*, Christus etiam pacem nunciat, quia Rom.5. *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Christũ*. Vespere Loth recepit Angelos hospitio, *Genes.19.* Post Solis occubitum Iacob vidit scalam cœlos tangentem, *Gene.28.* Quæ facillimè præsenti accommodari poterunt negotio.

Die illo vna sabbathorum, id est, ipso die Dominico, qui post sabbatum sequitur, & vocatur in scripturis vna sabbathi in Actis, & in Apocalyp. capite primo eius fit mentio, In spiritu in Dominica die, &c.

Fores essent clausæ &c. Refert Plutarchus to.1. Vitarum, in Numa, Quòd Iani templum aperiri bello, & claudi pace composita solemne esset: Hic post compositam pacem Christus ianuis clausis ad suos ingrediens, dixit salutãdo: *Pax vobis.* D. Augustinus tom.9. in Ioannem & tom.10. in sermonibus: Moli corporis, inquit, vbi diuinitas erat ostia clausa non ob iterunt. Ille quippe non apertis ostiis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inuiolata permansit. Idem sentit D. Gregorius præsenti Homilia. Hic locus de Ianuis clausis sacramentarios hæreticos valdè vrget. Probat enim aduersus eos non esse necessariã quantitatem accidentariam ad Christi corporis in Eucharistia præsentiam: siquidem vbi quantitas illa erat, cum ingrederetur foribus clausis? Num per fenestras ingressus est? Absit. *Qui enim non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, non pastor est, sed fur & latro*, ait bonus pastor Christus, *Ioan.10.* Adde quòd si, pro, quia, Christus clauso sepulcho resurrexerit, vt supra, Die Paschæ deduximus, potuit ergo à simili clausis ostiis ad suos ingredi. Obserua hæc tria inter se comparari miracula ex æquo: Primùm, natiuitas Christi ex virgine illibata, clauso virginis vtero: Secundum, Resurrectio Christi, clauso sepulchro & obsignato: Tertiùm, Ingressus eiusdem ad Discipulos cùm fores essent clausæ, Duo postrema contigerunt in corpore glorioso, primùm autem in corpore adhuc passibili & mortali. D. Gregorius Nazianzenus in Tragœdia Christi patientis, versus finem, hæc tria complexus est his versibus.

Plutarchus. *D. Aug.* *D. Greg. Pap.* *Gregor. Naziañ.*

Stat ecce Dominus has fores intra: Nouum hoc
Dignúmque verè maximo miraculo
Et quomodo autem foribus occlusis adest?
Quin fortè & idem sic sepulchro condito
Clausóque surgens exiit, velut antea

Virginis ab aluo prodiit matris suæ.
Infracta seruans claustra quàm castissima,

Sic ô Theologos. Quod autem dicit, Quin fortè & idem &c. non dubitando dixit, sed Poëtarum more ad explendam sententiam, & ad ornatum posuit, ne quis hallucinetur. De his tribus apud alios etiam leges. Vnde Petrus Chrys. serm. 84. Si conceptum, ait, partúmque virginitas excusare suo nescit creatori, si ingressum egressúmque clausa ianua creatori suo, non potest denegare, quemadmodum lapis monumenti quamuis magnus, quamuis Iudaïca malitia signatus, resurgenti poterat obsistere saluatori? Sic ille. Eusebius Emissenus Homil. 9. de Pascha: *Venit Iesus ianuis clausis*, inquit Euangelista, Quid mirum si Dominus ad Discipulos glorificatum corpus claustris stupentibus intromisit, qui illæso materni pudoris signaculo, ianuã mundi huius intrauit, cuius ortum natura nesciuit? Non dubites si potentiam exercere videas triumphantem, quem tam stupenda perspicis egisse nascentem. Quid hic respondebunt Iudæi, sepulto Domino discedentes, & signantes lapidem cum custodibus? Quomodò eum obserata domus, excludere potuit, quem includere mortis porta non potuit? Quid mirum si substantiam corporis nostri per clausa ostia transmisit, cui etiam penetralia supernorum & solis Angelis familiare secretum patêre consueuit? Sic ibi. Vides itaque contra Caluinum in hunc Ioannis locum, per clausas ianuas obseratásque fores Dominum ad Discipulos fuisse ingressum. Habet enim expressè præfatus Emissenus per clausa ostia substantiam nostri corporis transmisisse, qui scilicet penetrauit cœlos, Iesum filium Dei Hebr. 4. Idem Homil. 10. de Pascha.

D. Petr⁹ Chrysologus. *Emissenus.* *Contr. Calui. in Ioan. 20.*

Cum fores essent clausæ venit Iesus &c. Per obserata itaque ostia sacrum Dominici hominis corpus in lapsum, & exposita terrena consuetudinis fragilitate, clausis ianuis influxit defecata & glorificata substantia. Quæ verba animaduersione & illustratione indigent. Dominicum hominem Christum appellat. Et D. Aug. aliquando vnigenitum Dei dixit, non solùm intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico de cœlo venisse. Sed non video, ait idem, tomo primo, libro primo Retractationum ca. 19. sub finem, vtrum rectè dicatur homo Dominic⁹, *qui est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, cum sit vtique Dominus: Dominicus autẽ homo quis in eius sancta familia

D. Aug.

potest

potest dici. Et hoc quidem vt dicerem apud quosdam legi tractatores Catholicos diuinorum eloquiorum. Sed vbicũque hoc dixi, dixisse me nollem. Posteà quippe vidi non esse dicendum, quamuis nonnulla possit ratione defendi. Sic ibi D. Augustinus emendat suã & aliorum sententiam. Benè ergo admonet Petrus Lombardus, Magister Sententiarũ vulgò dictus, lib. 3. Distinct. 7. ad calcem: Quòd licet dicatur homo Deus, non tamen cõgruè dicitur, homo Dominicus. Cæterum quod dixit Eusebius, Exposita terrena fragilitate, expone id est, abiecta siue deposita fragilitate & passibilitate. Nam exponere quandóque significat abiicere. Vnde infantes abiecti, expositi dicuntur. Subiicit statim vbi supra Eusebius: Nihil nouum est in virtutibus Christi. Hic est ille qui inter ipsa adorandæ natiuitatis sacra primordia, ad nos inuiolato maternæ integritatis signaculo natura stupente processit: hic est ille, qui ex inferis remeans, carcerẽ noctis æternæ nullo apperiente transgressus, consequenter de monumento, hoc est de corruptionis loco, incorruptum corpus eduxit, & ad superna remeauit. Ait itaque sermo diuinus: *Venit Iesus ianuis clausis.* Sic Emissenus ibi. Scribit Guitmundus Archiepiscopus Auersanus Benedictinus, lib. 3. de Sacramẽto contra Berẽgarium: Quid mirum inquiens, si patrum historias Berengarius & sui despiciant: qui Euangelio etiam contradicunt, dicẽtes. Nullatenus debere credi quod ibi legitur, intrasse ad Discipulos Dominũ Iesum ianuis clausis? Sic ille. Idem sentiunt cum Berengario omnes fermè Sacramentarij. D. August. tom. 10. serm. 159. de Tempore: Miraculum est, ait, quòd Domin⁹ noster in carne vera intrauerit ad Discipulos per ostia clausa. Requiris à me forsitan rationem, & argumentum requiris. Itane verò, inquies, intrare quisquam limen in corpore potuit? Redde mihi, inquit, rationem. O homo, si rationẽ à me poscis non erit mirabile. Exemplum quæritur, non erit singulare. Credis nempe Dominũ super aquas maris firmis gressibus ambulasse? Credis vbique. Dicis igitur mihi: si per ostia clausa Christus intrauit, vbi est corporis pondus? Recedant paulisper modus & põdus. Ille hęc fecit, cui nihil impossibile est. Christus qui carnem suã potuit de sepulchro producere, nõ potuit clausis ianuis ad discipulos introire? Quando audis miraculum, serua fidem, non inquirat animus rationem. Hinc est quòd & Thomas discipul⁹ titubauit nec credidit, sed cũ Dominus

Magister Sententiarum.

Guitmũdus.

D. Aug.

 posteà

posteà confirmauit. Hactenus Augustinus. Audis miraculum, quum Christus ianuis clausis intrauit, quod & ipse sacer contextus patefacit, sub finem, vbi dicitur: *Multa & alia signa fecit Iesus*. Computatur ergo inter miracula alia tunc facta, etiam illud quòd clausis ostiis Christus de repente astitit. Non ergo à quoquam patefactus est ei aditus, vt somniant & delirant sacramentarij. Consequenter sermo. 160. idem D. Augustinus: Audistis Christum post resurrectionem suam clausis ostiis introisse ad discipulos suos. Magnum miraculum, sed mirari desinis, si Deum cogitaueris. Mirum enim esset, si solus homo hoc fecisset. Refert ad omnipotẽtiam, non ad phantasiam. Ostiis clausis intrauit. Respondeo tibi, vt scias quia vera caro fuerat, cicatrices tangendo monstrauit, tangendo, id est, ad tangendum. Deinde ille viuens per clausas ianuas intrauit, qui nascendo integritatem matris non violauit.

Rursus tomo secundo Epistola tertia, Volusiano scribit, D. Augustinus: Ipsa virtus, inquiens, per inuiolatæ matris virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ posteà per clausa ostia, membra iuuenis introduxit. Hîc si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus, tota ratio facti est potentia facientis. Sic ille. Nimius essem, si omnium hac de re sententiam Patrum Ecclesiæ antiquorum

Feuard. recensere vellem. Qui plura volet Feuardentium nostrum in Dialogis suis Gallicis euoluat ad Dialog. 6. contra errorem 6. Quod Christus cum suo corpore glorioso ad Apostolos foribus obseratis intrauerit.

Duo item eximij Doctores & Reuerendi Episcopi Vigor & de Sainctes, in collatione, (conferentiam vulgò dicunt) contra duos Caluini Ministros, Gallicè impressa fusissimè agunt & efficaciter conuincunt ex contextu, Patribus antiquis, & rationibus vrgentibus, Christum per clausas ianuas penetrasse, venisseque ianuis clausis ad Discipulos (sic enim habet sacer cõtextus) nedum stetisse seu comparuisse coram illis in medio. A folio 52. Actorũ prælibatæ Collatiõis Parisiẽsis, Anno 1566. & deinceps, vsque ad fol. 58. Rursus à fol. 80. art. 12. consequenter vsque ad fol. 88. & fol. 110. colliguntur absurda quæ ex negatione huius articuli resultant. De quibus breuiter excerpamus quæ visa fuerint huic loco magis necessaria. Ex Patribus producitur

Conferẽce contre les Ministr.

tur

tur Iustinus Martyr in quæstio. à Gentibus, Christianis *Iustinus Martyr.*
propositis, Perionio interprete, siue quicunque alius fuerit ex Catholicis & antiquis Doctoribus illius operis scriptor & Author. Is inquam quæstione 117. proponit sic: si crassum corpus occlusis foribus, impeditum habet transitum; quomodo post resurrectionem ad Discipulos occlusis foribus Dominus introiuit? Si verò vera est scriptura, quæ clausas fores fuisse dicit perspicuum est, non corpus intrasse sed spiritum. Explicatio, siue Responsio: Vt Dominus non corporis in spiritum mutatione in mari ambulauit, sed diuina vi sua, mare quod ambulando traiici non potest, peruium fecit, non solùm corpori suo, sed etiam Petri: sic diuina sua vi & ex monumento exiit, cum saxum in monumento positum esset, & ad Discipulos ingressus est occlusis foribus. Non enim eius resurrectionis causa saxum ablatum est, sed vt iis qui cernebant Resurrectio ostenderetur. Illud quoque intelligere debemus, ea quæ naturæ vim superāt, cum in natura diuina vi fiunt, non posse ratione naturæ exhiberi. Itaque exterritis ob talem introitum Discipulis, permisit vt sui corporis partes & loca, quæ passionem pertulerant, tractarent: quod non corporis in spiritum mutatione ad eos intrasset, sed non corpore, quod crassis partibus constabat, diuina sua vi quæ effectrix esset eorum quæ vim naturæ superant. Sic ille vetustus auctor Cui, adiicio quod Nicephorus lib. *Nicephorus.*
1. Ecclesia. Historiæ cap. 52. sub finem scriptum reliquit: Certum, inquit, est & persuasum omnibus qui rectè sapere volunt, Dominum non solùm cum corpore surrexisse, sed etiam cum corpore tenui ac leui: nec ampliùs mortali & corruptibili & crasso, vt anteà, sed prorsus incorruptibili & immortali, atque, (vt semel dicam) spirituali magis ac diuiniore, ita vt & clausas fores naturaliter pertransierit: quāuis mirifica ratione cōspectus sit Apostolis & latus fissurásque clauorū cōtrectari siuerit cibumque ceperit, non quòd esuriret, sed quòd fidē resurrectionis faceret, & phātasmatis opinionem aboleret: ineffabilique quodā modo præter naturā alimento à diuinitatis igne consumpto. Sic ibi. Producitur etiam ab iisdem Doctoribus. D. Hilarius *Hilarius*
libro tertio de Trinitate vltra mediū, qui ait: Quæro abs te facti rationē quisquis eris cœlestiū rerū scrutator expone, Per quas dom⁹ clausæ partes sese corpore⁹ Christus ad Discipulos intulerit? Diligenter enim Euangelista expressit

pressit dicens: *Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio Discipulorum.* An constructa parietum penetrans, & solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? Stetit nãque corporeus, non simulatus aut fallax. Sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingressum, & cum eo clausam domũ intelligentiæ tuæ visus introeat. Integra sunt omnia, & obserata: sed ecce assistit medius, cui per virtutẽ suam vniuersa sunt peruia. Inuisibilibus calũniaris ego à te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tanquã lapsu insensibili ligna & lapides admittunt: Corpus Domini à sese non deficit, vt sese resumat & nihilo, & vnde qui assistit in medio est: Cedit ad hæc & sensus & sermo, & extra rationem humanam, est ratio facti, &c. Dicamus factum nõ fuisse, quia intelligentiam facti non apprehẽdimus, & cessante sensu nostro, facti ipsius cesset effectus (hæc dicta sunt ad hominem, & veluti per concessionem, ἀγωνιστικῶς, non δογματικῶς, id est, per modum disputationis non resolutionis. Nã subsequitur) sed mendacium nostrũ facti ipsius fides vincit. Assistit Dominus clausa domo in medio discipulorũ. Noli negare quod steterit, quia per intelligentiæ infirmitatem, consistentis non consequaris introitum. Hactenus

D. Chrysostom. Hilarius. Profertur similiter D. Chrysostomus tomo 5. Homil. 2. in Symbolum Apostolorum circa mediũ, Quomodo introiuit Christus ianuis clausis ad Discipulos suos, super mare ambulauit, Imperauit vento & tempestati, & facta est tranquillitas magna: quia ergo ista super nos sunt, & rationem de talibus miraculis reddere non valemus, fide teneamus. Hæc ibi. Citant & quod apud Matt. 19. Christus dixisse legitur: *Facilius est camelum per foramen acus introire, quàm diuitem ingredi in regnum cœlorum.* Id autem facile Deo est, nedum possibile: quia quæ impossibilia sunt apud homines, apud Deum possibilia sunt.

Ex his certum est duo corpora fuisse simul, & posse esse: Quæ excerpsisse, & velut in fasciculum hoc loco congessisse suffecerit. Iam cùm verè ad Discipulos ingressus sit, non seruata quãtitatis accidentariæ proportione, quid est, ait Beauxamys ad præsentem locum, quod Sacramentarij obiectent non esse sub tantilla panis specie propor-

Beauxamys. tionem localem ad corpus Christi? En, inquiunt illi, quam parua species panis, quomodò tam vastum corpus sub illa esse possit? Obiicere etiam licebit, quomodò omnibus

clau

clausis & obseratis tam vastum corpus ad Apostolos ingredi potuit? Hic sanè, vt nulla quãtitatis localis ratio habenda, ita neque in sacrosancta Eucharistia. Non seruata locali circumscriptione verũ corpus, haudquaquam phantasma, ad Discipulos venerat: Cur ergo in Eucharistia localem circumscriptionem ad statuendam Christi præsentiam requiruut sacramentarij? Cùm, vt Scholastici omnes profitentur. In sacramento sit corpus Christi quantũ quidẽ, sed non sub modo quãtitatiuo, per loci occupationem ac circumscriptionem, ex proportione speciei cõtinentis, ad ipsum corpus realiter contentum: quia tantum est sub fragmento, quantum toto tegatur, vt canit Ecclesia, & iterum, *Manet tamen Christus totus sub vtraque specie.* Et apud omnes catholicos receptum est, quòd Christi corpus est totũ in toto, & totũ in qualibet parte totitus siue speciei. *D. Tho. & Scholast. Doctores.*

Dixit eis, Pax vobis &c. Obserua, Ter præsenti Euangelio pacis mentionem fieri, vt significetur Triplicẽ esse pacem. Internã, Externam, & Supernã. Sic.1.Par. 12. *Spiritus Domini induit Amasai principem inter triginta & ait, Tui sumus, ô Dauid, & tecũ fili Isai: Pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis, te enim adiuuat Deus tuus.* Et Poëta Christianus Prudentius in Psychomachia, Concordiæ & Discordiæ describens pugnam, cecinit: *1. Para. c.12.* *Prudentius Poëta.*

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum
Pax belli exacti pretium est, pretiúmque pericli.

Ter dicitur Pax vt supra. Ibidem statim subiungitur:

Sydera pace vigent, consistunt terrea pace
Nil placitum sine pace Deo, non munus ad aram
Cùm cupias offerre probat, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro. Deinde
Quisque litare Deo, mactatis vult holocaustis,
Offerat imprimis pacem, Nulla hostia Christo
Dulcior.

Est autẽ bellum quoddam bonum, & pax quædam mala. Vnde illud Venerabilis Bedæ ad Christi verba, *non veni pacem mittere sed gladium*: Venit, inquit, bellũ bonũ, vt rumperetur pax mala. Hinc Ezechias in suo Cãtico: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Et Sap.14. de Idololatris dicitur: *In magno viuẽtes inscientia bello, tot & tã magna mala pacẽ appellãt,* Pax malorũ pessima. Cicero Philippica septima. Pacẽ, ait, cũ M. Antonio esse nolo: Cur pacẽ nolo? Quia turpis est, quia periculosa, quia esse non põt. Talis est cũ Hę- *Beda.* *Cicero.*

 reti

reticis, Psa. 27. *Qui loquuntur pacem cũ proximo suo, mala autẽ in cordibus eorũ.* Hier. 9. *In ore suo pace cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias*, Similes Ioab, qui cum diceret: *Salue mi frater Amasa, tenuit manu dextera mentum Amasa, quasi osculans eũ, & percussit eũ in latere, & effudit intestina ei⁹ in terrã.* 2. Reg. 20. Similes item Iudę proditori, qui osculo Christũ dolosè prodidit. Eiusmodi pax est mũdi huius insidiis plena. Hęreticis quoq; nulla fides adhibenda est, sub pacis prætextu, adeò verum est illud Etruscum adagium: *Non ti fidar & non sarai ingannato.* Hoc est, dictu ne eis credas cõfidásve, & non decipieris vel incurres periculũ.

Hier. 9.

2. Reg. c. 20.

Quandiu in mixto elementa sunt pacifica, tandiu durat: Proportione huiusmodi, & pace cessante, ipsum corrumpitur. Ex temperamento ac concordia quatuor humorum recta valetudo & incolumitas conflatur. Ex discordia verò ac inæqualitate mille enascuntur ægritudines, atque morbi. In quo etiam suauis musicæ ratio consistit, nisi in concordia & harmonia vocum? Refert Plinius Hist. Nat. lib. 36. capite 17. Lapidem è Scyro insula integrũ fluctuari, eundem comminutum mergi. Ita enim tradunt. Sic ille, In quo lapide, natura ipsa concordiæ bonum, & discordiæ declarat exitium. Integer siquidem, quamuis magnus enatat, at verò diuisus in profundum demergitur: Sic nos concordes & pacifici permanemus: Diuisi verò & discordes, mergimur ac perimus: quia, vnio fortis, diuisio debilis. Ioan. 13. In hoc cognoscent omnes quòd Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Pax igitur thessera est ac symbolum Christianorũ. *Pax vobis.* Quod magis etiam præsenti Euangelio innotescit, ex hoc quòd Thomas meritò priuatur communi fratrum suorum gratia, in eo quòd Dominum rediuiuum non sine ingenti gaudio viderit, eo quòd tanquam vagus & erraticus miles ab vnitatis vexillo discesserat, singularitatem quandam à cæterorum consortio segregatus, consectari præeligens, quàm cum decem reliquis permanere in domo, ad quam venit Iesus ianuis clausis, ipsa resurrectionis die, ipso absente, & dixit eis, *Pax vobis & gauisi sunt discipuli viso Domino*, quem ex cicatricibus facilè agnouerunt. Sicut Vlysses rediens, agnitus fuit à nutrice Euryclea, vt extat apud Homerum Odyss. T. siue libro nono, dum vetula lauaret pedes eius, statim cognouit cicatricem quam aliquando aper inflixerat, in venatione: Sic ex cicatricibus,

Plinius.

Homerus.

bus, cùm ostendit Dominus manus & pedes, nullo negotio Apostoli magistrum suscitatum agnoscere potuerunt. Cur verò Christus cicatrices reseruauerit, Iam diximus.

Sicut misit me pater, & ego mitto vos, Accipite Spiritum sanctum, &c. Hoc est eadem charitate, eadem authoritate, & ad eiusdem muneris functionem & dignitatem qua me pater misit, vos ego mitto: atque ita honoris & officij mei participes facio. Qua enim pater charitate me misit, *qui sic dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, Ioan. 3.* eadem ego vos ad mundi salutem mitto. Quam iterum mihi pater authoritatem & potestatem contulit, Dæmones videlicet pellendi, morbos sanandi, & mortuos ad vitam reuocandi, quodque maius est, peccata remittendi, eandem ego vobis trado. *Quorum enim remiseritis peccata &c.* Quod item munus & officium mihi pater demandauit, idem ego vobis iniungo. Ille me Sacerdotem, Pontificem creauit, & Apostolum ac legatum ad gentes me misit: Ego vos item sacerdos, sacerdotes, Pontifex Pontifices creo, ac Apostolos & legatos pro me in mundum mitto: vt verè dicere possitis. 2. Cor. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Hæc omnia important præfata verba, *Sicut misit me pater &c.* Sic Granatensis Concione prima Dominicæ in albis. *Granatensis.*

Mitto vos. Rom. 10. *Quomodò prædicabunt nisi mittantur?* hinc Apostoli. id est, missi dicuntur. Non oportet se ingerere vel intrudere, quemadmodum faciunt hæretici: *Currebant,* ait per Hieremiam c. 23. Dominus, *& ego non mittebam eos.* Heb. 5. *Nemo assumit sibi honorē, sed qui vocatur, &c.* Porrò, sicut dictio similitudinis non omnino identitatem potestatis cum Christo in Discipulis sonat, Nec enim est seruus maior vel æqualis Domino suo, sed videtur id dicere: Qua potestate pater me misit, eadem etiam vos mitto, ac similitudinē muneris in Christo & Apostolis exprimit. Venit Christus vt peccatores vocaret ad pœnitentiam: Venit vt faciat voluntatem patris qui misit eum, Ioan. 6. & Mat. 9. Christus Apostolos similiter misit, nimirū vt vocēt peccatores ad pœnitentiā, vt in agendis non suam, sed eius qui eos misit voluntatē obseruent. *Vos mitto, &c.* Meos vicarios vos constituo. Luc. 10. *Qui vos audit, me audit,* Misit me pater non vt mihi ministretur, sed vt aliis ministrem, etiā vsq; ad sanguinis effusionem: Sic qui maior est vestrū, fit vester minister. Luc. 10. *Mitto vos sicut oues & agnos in* *Luc. 10.*

medio luporum. Missus erat à patre vt doceret veritatem: sic & isti, vt dissolueret opera Diaboli 1. Ioan. 3. Sic subiungitur. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Vt peccatores Deo recõciliaret, & Apostol. 2. Cor. 5. clamat: *Reconciliamini Deo. Et ego mitto vos.* Ex quo elicitur, ait Franciscus Turrianus, de Hierarchicis ordinationibus lib. 1. ca. 1. potestatem hierarchicè ordinãdi ministros Ecclesiæ, in Episcopis Apostolorum successoribus esse. Nam si euidens est necessarium secundum verbum Dei, permanere semper nobiscum vsque ad consummationem seculi successores Apostolorũ, Psal. quadragesimo quarto. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Et Matth. vltimo, pollicetur toti Ecclesiæ Christus in persona Apostolorum: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi:* Igitur necesse est fieri hoc per successores: alioqui quomodò impleretur illud: *Sicut misit me pater & ego mitto vos*, si Apostolica potestas extincta & intermortua est? Igitur tales successores habent quoque potestatem τȣ̃ χειροτονεῖν, id est, ordinandi & mittendi, siue manus imponendi aliis. Dicam apertius: Si Dominus Iesus missus est à Deo patre cum potestate mittẽdi Apostolos ad opera hierarchica, & sicut missus est ipse, sic mittit Apostolos: mittit ergo illos cum potestate mittendi etiã alios ad opera hierarchica, qui sunt eorũ successòres. Non igitur Laici mittere alios possunt ad aliquid hierarchicum, cuiusmodi est ministeriũ verbi Dei, & Sacramentorũ. Apostolis enim nõ laicis dictũ est à Christo: *Sicut misit me pater, &c.* Quid mõstri similius, quã caudas pro capitib. habere? (cauda enim est populus sicut Clemens ait) Quid verò amẽtius dici aut cogitari potest, quàm politiam sæcularem & Ecclesiasticam in vnum confundere. Sic Turrianus eleganter sanè.

Franc. Turrian.

Insufflauit dicens: Accipite Spiritum sanctum, &c. Rectè admodum scribit Apostolus 2. Corin. 3. *Quid idoneos nos fecit ministros noui Testamenti non littera sed spiritu.* Deus enim, ait in eum locum D. Thomas, cuilibet rei dat ea, per quæ possit consequi perfectionem suæ naturæ. Vnde quia Deus constituit ministros noui Testamenti, dedit & eis idoneitatem ad hoc officium exercendum, nisi sit impedimentum ex parte recipientium. Sic ibi. Ergo, Quos Deus ad muneris alicuius functionem elegit, ea in illos dona confert, quibus illud plenissimè exequi & administrare possint. Sicut ergo cum septuaginta senes olim ad populi sui regimen elegisset (ne solus Moyses tanto onere

D. Tho.

grauaretur) eodem illos ſpiritu quo Moyſem afflauit: Exodo 18. Maximè autem Nume. 11. Sic etiam cùm Diſcipulos ſuos ad Apoſtolici muneris dignitatem cooptaſſet, ſpiritus ſui participes effecit: vt diuino ſpiritu informati, diuina opera perficerent, & in diuinos viros euaderent, ſicut Saüli dicitur: 1. Reg. 10. *Inſiliet in te ſpiritus Domini, & prophetabis cum Prophetis, & mutaberis in virum aliũ* Hæc item Domini inſufflatio, nouam humanæ dignitatis acceſſionem, mira ratione deſignat. Olim quippe, cùm Dominus è limo terrę corpus hominis formaſſet, inſufflauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, quo factus eſt homo in animam viuẽtem. Geneſ. 2. Modò verò iterum in eundem inſufflauit, ad communicandam ſpiritualem poteſtatem & iuriſdictionem delegatam ad peccatorum remiſſionem. Inſufflauit etiam ſpiritum à ſe procedere ſignificans veluti expreſſiùs dixit in Euangelio: *ille me clarificabit quia de meo accipiet* Ioan. 16. quod de proceſſione Spiritusſancti à filio, Dydimus author antiquus interprete D. Hieronymo, doctè interpretatur. 1. Reg. 10 Ioan. 16. Didym⁹.

Non ſine ceremoniis Apoſtolos inſtituit habẽtes poteſtatem ſupra corpus Chriſti myſticum, quibus in cœna dederat poteſtatẽ ſupra corpus ſuum verum. Cum ſacris initiantur ordinibus Eccleſiaſtici, non ſine cõgruis inſtituuntur ceremoniis: Quandoquidẽ Leuitici etiam Sacerdotes non ſine quadã ſolemnitate cõſecrarentur. Exod. 29. Lauabantur aqua, poſtea de ſanguine arietis ponebatur ſuper extremum auriculæ dexteræ Aaron & filiorũ eius, & ſuper pollices manus eorum ac pedis dextri, deinde aſpergebãtur ſanguine, & oleo vnctiõis: Atque Aarõ veſtéſque eius, filij eius ac veſtimenta eorũ aſpergebantur. Sic autẽ, vt ita dicam, inaugurabantur ac dedicabantur. Cur ergo rideant Hęretici ceremonias ſacras, quibus Epiſcopi in conferẽdis ordinibus, exemplo Chriſti Domini, & Apoſtolorum eius, vtũtur, vt manuũ impoſitione ac inſufflatiõe, & ſimilibus?

Accipite ſpiritum ſanctum, &c. Nunc quidem in terra poſt reſurrectionem Apoſtolis, Sanctum dedit ſpiritum, ad peccatorum ſcilicet remiſſionem. Poſtmodum è cœlo in die Pentecoſtes, in copioſam chariſmatum effuſionem ac donorum diſtributionem, illis Spiritum miſit Paracletum in linguis igneis, in terra dedit vt doceremur diligere proximũ, è cœlo verò vt excitaremur ad diligendũ Deum. Non leuiter pertranſeundum eſt, quòd Spiritusſanctus

visibiliter quidem siue sub quadruplici signo sensibili datus legitur in Euangelio, nimirum in specie columbæ in Christi baptismo, Matth.3. In specie nubis lucidæ, in eiusdem transfiguratione c.17. In specie flatus post Resurrectionem Apostolis communicatus est hoc loco. Et denique post Christi ascensionem in specie ignis & linguæ, in Pentecoste Act.2. non sine conuenienti mysterio, nempe signo exteriori, effectui inuisibili proportionato. Columba gemitum pro cantu habet, felle caret, & in foraminibus petræ manet. Sic Spiritussanctus facit nos pro peccatis ge-
Exo.8. mere Rom. 8. *Postulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Isaiæ 38. *Meditabor vt columba. c.59.* Quasi columbæ meditantes gememus. Sine amaritudinis felle vult nos esse, vt
Matt. 10 simus simplices sicut columbæ. Matth.10. Et vt in Christi quinque vulneribus siue foraminibus illius petræ, de qua 1.Cor.10. *Petra autem erat Christus,* nidificemus. Cantic.2. *Columba mea, in foraminibus petræ,* quia deuotus Christianus in meditanda Christi passione debet esse assiduus, ad eam etiam tanquam ad tutissimam asylum confugere debet. Et quoniam in baptismo spiritualis regenerationis negotium agitur, igitur fœcundæ auis (cuiusmodi est columba) typum assumpsit. De columba Noë in diluuio supradictum est, Nubes à terra eleuatur, refrigerium pręstat, & pluuiam generat. Ad hunc modum Spiritussanctus à
D.Greg. Papa. terra nos eleuat, per contemptum terrenorum. Nam gustato spiritu desipit omnis caro ait D.Gregorius. Refrigerium quoque præstat contra incendia vitiorum. Ideóque vocatur Aqua, Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de Spiritu sancto.* & cap.4. *Qui biberit ex aqua quam ego dedero ei, &c.* Postremò generat pluuiam lachrymarum, psalte dicente: *Flabit spiritus eius & fluent aquæ.* In Transfiguratione Christus doctor & magister pronunciatur à patre Matth.17. *ipsum audite, &c.* Idcirco Spiritussanctus tunc nubis roscidæ figuram habuit, vt Euangelicæ doctrinæ pluuiam, Ecclesiam fœcundaturam
Ioel 2. significaret. Ioel.1. Dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum, si-
Genes. 1. cut in principio Genes. 1. *Ferebatur Spiritus Domini super aquas,* ab exordio creationis.

Flatus lenis est calidus, & ad respirandum necessarius, alioqui homo statim interiret. Spiritussanctus velox est ad se communicandum: Nescit tarda molimina Spiritussancti gratia

gratia ſcribit D.Ambroſius. Quod ſequentibus patet exẽplis. Scribit enim D.Gregorius, Theologus dictus, Oratione in ſanctam Pentecoſtem, ex quo deſumpſit Gregorius Magnus, Homil.30. ad hunc modum: Implet Spiritusſanctus puerum citharœdum, & pſalmiſtam facit, implet abſtinentem puerum, & iudicem ſenum facit, implet paſtorem armentarium (Amos) & Prophetam facit. Implet piſcatorem & principem Apoſtolorũ facit. Implet perſecutorem, & doctorem gentium facit, implet publicanum, & Euãgeliſtam facit. Sic illi. Calefacit & inflammat corda interius: inde Auſtro, vento vtique calido confertur. Cant.4. *Surge Aquilo, & veni Auſter ac perfla hortum meum fluéntque aromata illius.* Eadem ratione per auram tenuem adumbratur 3.Reg.19. *Poſt ignẽ & commotionẽ, venit ſibilus auræ tenuis,* & ibi Dominus. Neceſſarius quoque ad ſpiritualem vitã eſt Spiritus ſanctus, Ioan.6. *Spiritus eſt qui viuificat, &c.* Sine Spirituſancto in momento deficeremus. Hinc Pſalmographus. *Auferes ſpiritum eorum & deficient.* Poſt reſurrectionem quia remittendi peccata facultas præbebatur, quod ſine gratiæ inſpiratione non fit, in flatus ſpecie ac typo, à Chriſto, Apoſtolis inſufflando Spiritus ſanctus datus eſt.

D.Amb.

D.Greg. Nazianzen.

D.Greg. Papa.

Ignis calefacit, illuminat, & purgat. Hæc tria etiam pręſtat Spiritusſanctus. Calidos nos reddit. Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus ſatis Deut.4. *Deus noſter ignis conſumens eſt,* ait Moyſes. Conſumens ſcilicet peccata & veterem vitam. Luc.12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Illuminat corda fidelium, Eccleſiaſtici 2. *Qui timetis Dominum diligite illum & illuminabũtur corda veſtra.* Purgat denique Spiritus ſanctus, Pſalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Hinc precantes, illi dicimus: *Laua quod eſt ſordidum.* In linguis verò datur, quia prædicãtibus neceſſarius eſt. *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto,* 1. Cor.12. In linguis autẽ igneis miſſus eſt & collatus, vt verba ignea proferrent, vtque legem igneam ſiue amoris prędicarent. Deut.33. In dextera eius ignea lex, & vt Spiritum ſanctum (qui ignis eſt) per Apoſtolos loqui homines cognoſcerent: *Non enim eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis,* dicebat Chriſtus Apoſtolus Pſalm. 118. *Ignitum eloquium tuum,* & Prouerb.30. *Omnis ſermo Dei ignitus,* & apud Hieremiam ſanctificatum Prophetam: *Nónne verba mea quaſi ignis?* Quia ergo Apoſtoli prædicatores

Deut.4.

Eccl.2.

Deut.33

orbis

orbis destinabantur, vt eloquentiæ gratia eis collata, exteriori signo patefieret, in forma ignitæ linguæ congruenter in Pentecoste apparuit, quod sic in Hymno explicatur.

Hymnus D. Hilario attributus.

Ignis vibrante lumine
Linguæ figuram detulit,
Verbis vt essent proflui,
Et charitate feruidi.

Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Nō ait, Quorum prædicaueritis peccata esse remissa, vel declaraueritis, sed, Quorum potestate vicaria peccata remiseritis. Et copulatiuè, Quorum retinueritis, id est, non remiseritis, propter impœnitentiam peccatoris. Ex quo patet obligatorium esse præceptum, vt confiteamur sacerdoti. Concilium œcumenicum Tridentinum, Sessione 14. ca. 1. Dominus Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflauit in Discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis fuisse successoribus communicatam, vniuersorum patrum consensus semper intellexit. Et Nouatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes magna ratione Ecclesia Catholica tanquam Hæreticos explosit atque condemnauit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum, sancta hæc synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Euangelium annúciandi, contra huiusmodi Sacramenti institutionem falsò detorquent. Sic c. 1. habet doctrina catholica de Pœnitentiæ Sacramento. Anno Domi. 1551. Trident. ses. 14. Eadem Sessione can. 3. Si quis dixerit, verba illa Domini Saluatoris: *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, &c.* Non esse intelligenda, de potestate remittendi, & retinendi peccata, in Sacramento pœnitētiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem, contra institutionē huius Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Euangeliū: Anathema sit. Hæc concilium. Quoniā autē sacrosancta nobis maximique ponderis debet esse Conciliorum generaliū auctoritas, eiusdē Tridentini Concilij. Decretum de Cōfessione

Conciliū Tridentinum.

quod

quod c.5. præfatæ sessionis extat proponere æquũ videtur. Sic autem habet. Ex institutione Sacramenti pœnitentiæ iam explicata, vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutã etiã esse à Domino integrã peccatorũ confessionẽ, & omnibus post baptismũ lapsis iure diuino necessariam existere. Quia Dominus noster è terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquã præsides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quò pro potestate clauiũ remissionis, aut retentionis peccatorũ sententiã pronũtient. Cõstat enim, sacerdotes iudiciũ hoc incognita causa, exercere nõ potuisse, neque æquitatẽ quidẽ illos, in pœnis iniũgendis seruare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Hactenus Concilium. Rursus ibi cap.6. de absolutione dicitur, quod non est solùm nudũ ministerium vel annunciandi Euãgeliũ, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso sacerdote, velut à iudice, sententia pronunciatur. Paulò supra habetur eodem capite. Docet quoque sancta Synodus, Sacerdotes qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere, eósque prauè sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Hucúsque Cõcilij Decreta. Nihil doctius, nihil clarius, nihil denique cõtra Hæreticos fortius solidiúsque dici potuit. Quia verò Nouatianorum mentionem fecit Cõcilium, operæ pretium est, de iis quædam adnotare. Negabãt illi potestatem sacerdotalem ad remittenda peccata. Socrates Hist. Eccle. lib.1.c.7. Lapsos in persecutione ad pœnitentiam quidem cohortandos docebant, Non à sacerdotibus sed à Deo, qui authoritatem habet peccata remittendi, remissionis spem expectandam dogmatizabant, Consentit Sozomenus, lib. 1.c.21. Non in sacerdotum, sed in Dei solius situm esse potestate, ignoscere, asserebant Nouatiani. *Socrat. hist. & Sozome.*

Respondet item Concilium tacitæ obiectioni quæ posset fieri. Cùm enim præmittitur. *Accipite Spiritum sanctum*, deinde subiungitur: *Quorum remiseritis, & cætera* obiiceret non immeritò quispiam, Ergo peccata non dimittit qui Spiritum sanctum non habet? Ergo manebit sub dubio absolutionis beneficium. Cùm nemo certò ac euidenter scire possit, an sacerdos absolutionis minister

Spiritum

Spiritum ſanctum habeat. Reſponſio: Non attenditur ſanctitas miniſtri perſonalis, ſed ſanctitas ordinis, propter characterem ſacramentalem qui eſt à Spiritu ſancto. Sacerdos enim qui peccato mortali tenetur, per virtutem Spiritus ſancti in ordinatione collatam, vt ait Concilium, functionem remittendi peccata exercet, & id ſufficit. Sed de iuriſdictione ſacerdotali, ac confeſſione Sacramentali Dominica in Palmis etiam diximus. Si vis, explicare hoc loco poteris, quomodò Deus, Chriſtus, & Sacerdos, differenter peccata remittunt. Deus quidem effectiuè: *Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorũ non recordabor.* Iſaiæ 43. & in Euangelio: *Quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus?* Luc. 5. Chriſtus meritoriè, Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Et Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Sacerdos autem miniſterialiter. Ioã. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, &c.*

Iſaia 43. *Apoc. 1.* *Ioan. 1.*

Thomas non erat cum eis quando venit Ieſus, &c. Hîc iam quæritur nec abs re, An non propterea iſte Apoſtolus abſens, habuerit eandem cum præſentibus tunc, poteſtatem? Cùm non legatur Chriſtus octaua die iterùm veniens eo præſente, illi particulariter dixiſſe, *Accipe* Thoma *Spiritũ ſanctum, & ſicut miſit me pater &c.* Reſponſio, ex Cyrillo in Ioannem ad hunc locum: A ſimili, Numero. 11. de 70. viris ſcribitur quod remanſerant in caſtris duo, Heldad & Medad, Nam ipſi deſcripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum, ſed prophetabant in caſtris. Sic quia D. Thomas de ſacro duodenario erat numero Apoſtolorum, & quia deſcriptus erat in libro vitæ & cathalogo duodecim Apoſtolorum, hac gratia non caruit, & communi collegarum poteſtate vicaria. Eandem ergo ſortitus eſt cùm cæteris, gradus Apoſtolici iuriſdictionem & delegatam poteſtatem. Sed præſtat D. Cyrilli verba ſubijcere ad robur & pondus reſolutionis. Dicimus, inquit, virtutem Spiritus, ex intentione dantis Chriſti, in omnes Diſcipulos pertrãſiſſe. Non enim quibuſdam ſed omnibus Diſcipulis dedit. Quare liberalitate dantis, non ſolùm præſentes, ſed etiam abſentes Apoſtoli Spiritum ſanctum acceperũt. Quod autem non violentia ſed tuta, veráque iſta ratio ſit, authoritate Sanctæ Scripturæ monſtrabimus Numer. 11. iuſſit Deus quondam Moyſi ſeptuaginta ſeniores Iudæorum eligere. Cùm vero duo de ſeptuaginta ſeniorum numero in Synagoga remanſiſſent, ac Spiritus omnibus illis 70. immiſſus fuiſſet:

D. Cyril. Alexãd. *Num. 11.* *Num. 11.*

Cùm verò duo de ſeptuaginta ſeniorum numero in Synagoga remanſiſſent, ac Spiritus omnibus illis 70. immiſſus fuiſſet: prophetabant quidem qui erant cum Moſe, prophetabant autem etiam illi duo qui aberant. Ioſue verò myſterij virtutem ignorans, ac ſecundum Dathan & Abiron facere illos putans rogabat Moſem, vt Heldad & Medad à prophetando vetaret. Tunc diuinus ille vir operationem Spiritus intelligens, reſpondit: Quid æmularis pro me? Quis tribuat vt omnis populus prophetet & det eis Dominus Spiritum ſuum? Vides, quomodo rationem Ioſue Moſes reiecit. Vtinam enim, inquit vniuerſo populo Spiritus daretur. Quòd tempore ſuo futurum tamen eſt, quando Chriſtus, vt in primitiis eorum qui ſuſcepturi ſunt, diſcipulis ſufflans dicet: *Accipite Spiritum ſanctum.* Non ergo, licet adfuerit Thomas, à participatione Spiritus decidit, quum de numero eſſet eorum, quibus dignitate Apoſtolatus decoratis Spiritus debebatur. Hucúſque Cyrillus libro 12. in Ioannem cap. 56.

Non erat cum eis. Nec domi erat Eſau, cùm Iacob ſuſcepit benedictionem, in Geneſi. & Dina filia Iacob, foris euagata ſtupratur. D. Bernardus, Sermone 6. de Aſcenſione Domini. Falleris Thoma Sancte, falleris, ſi videre Dominum ſperas ab Apoſtolorum collegio ſeparatus: In arca Noë manendum, extra quàm omnes diluuio perierunt. *Extra Eccleſiam non eſt ſalus.* In medio Eccleſiæ comparet Chriſtus. Meminiſſe debuit Sanctus Thomas, huius Pythagorici ſymboli apud Suidam, item apud Laërtium, lib. 8. in Pythagora, ἐκτὸς λεωφόρου μὴ βαδίζειν. Hoc eſt. Extra publicam viam non eundum. Non igitur communionem collegium deſerere debuit Apoſtolorum, ſi cupiebat Domini frui aſpectu & præſentia.

D. Bern.

Suidas & Laërtius.

Poſt dies octo iterum venit Ieſus. Diem octauum Dominicum diem eſſe neceſſe eſt. Nam vna Sabbatorum cæteris apparuit, id eſt, die Dominico. Iure igitur, ait Cyrillus lib. 12. cap. 58. in Ioannem, ſanctæ congregationes die octauo in Eccleſiis fiunt. D. Ignatius Epiſtola 3. ad Magneſianos: Dominicam diem omnis amans Chriſti feſtum celebret, diem reſurrectionis, regalem, omnium dierum ſupremum, quem expectans Propheta dicebat, in finem pro octaua: (Titulus eſt ſeu epigraphe pſalmi vndecimi) in quo & vita noſtra exorta eſt, & mortis in Chriſto victoria facta eſt: quem filij perditionis negant, inimici Saluatoris,

D. Cyrillus. D. Ignatius.

quorum Deus venter est: Sic vir ille Apostolicus ac Christi martyr. *Venit Iesus ianuis clausis, &c.* Cyrillus vbi suprà. Miraculosè rursus clausis foribus Discipulis apparet. Miraculum igitur confitetur, contra Sacramentarios. cap. 53. eiusdem libri fusiùs dixerat: Clausis foribus repente Dominus omnipotentia sua, natura rerum superata, ingressus ad Discipulos est. Nullus igitur quærat, quomodo clausis ianuis corpus Domini penetrauit, quum intelligat non de homine nudo, vt modò nos sumus, sed de omnipotente filio Dei, hæc ab Euangelista conscribi. Nam cùm Deus verus sit, rerum naturæ non subiacet, quod in cæteris quoque miraculis patuit. Omnem enim mentem ac rationem excedunt, quæ fecit. Deinde subdit. Quòd si hanc operationem Christi percipere nequeas, cur potius ingenij humani imbecillitatem non accusas? Hæc Cyrillus.

Hebr.11. *Rom.8.* *Nisi videro non credam &c.* Hoc non est credere sed experiri. Heb.11. *Fides est substantia rerum sperandarum.* Ro.8. *Spes quæ videtur non est spes, Nam quod videt quis: quid sperat?* Fides est credere quod non vides. In Thoma delineantur illi qui omnia per sensum probare volunt, aliâs non credituri. Isaiæ 7. *Nisi credideritis non intelligetis.* Et Matt.16. *Neque caro, neque sanguis reuelabit tibi.* Videtur quòd maior quasi fuerit fides Scribarum & Pharisæorum, Annę & Caïphæ, quàm Thomæ, cùm omnes illi crediderint militibus custodibus sepulchri, & dederint pecuniam illis, vt dicerent Discipulos furatos fuisse, illis dormientibus, corpus in sepulchro, quod certè non fecissent nisi persuasum habuissent quòd illi milites dicebant de resurrectione Domini. Iste autem noluit tot Discipulis affirmantibus fidem adhibere tot probatæ fidei testibus. Non tamen reliquit Dominus suum in errore diutius detineri Apostolum, sicut nec Petrum postquàm negauerat deseruit, sed statim ad lachrymas & pœnitentiam conuertit: Sic & nunc Thomam instruit: Non enim deserit Dominus in finem.

Infer digitum tuum huc &c. Qua in re se Dominus cum Discipulo gessisse videtur, atque ij, qui pretiosam aliquam mercem auctioni expositam vehementer adamantes, vbi illam, mercator iusto pretio vendere recusat, illi contrà nimio eius amore capti, non modò iustum, sed superabundans etiam pretium pro ea soluunt. Sic igitur iustum erat, vt tot testibus Dominicam resurrectionem astruentibus Thomas fidem adhiberet: Sed quia hoc facere noluit, eius

dilectione

dilectione permotus Saluator, quod ille argumentum ad credendum popofcerat, mifericorditer dedit. Sic igitur Dominus cùm Thoma agere vifus eft: Iuftius quidem erat, vt tu Thoma, quòd ego volebam, voluiffes: fed quoniam adeò tardus ac difficilis ad credendum es, ego tibi morem geram, vt quòd tu voluifti velim. *Infer ergo digitum tuum huc, &c.* O miram Seruatoris noftri clementiam & lenitatem! Cùm enim creaturæ munus effet, vt fe fe creatori fuo accommodaret, atque fubmitteret: nunc immenfa Domini benignitate factum eft, vt vice verfa creator omnium creaturæ fuæ obfequentem exhiberet. Hactenus Ludouicus Granatenfis Cōcione 3. Dominicę in Albis. *Ludouic⁹ Apoc. 2. Granatenfis.*

Infer digitum &c Oftēdit fe noffe abfentia, & fcire quàm pertinaciter loquutus fit, D. Thomas.

Mitte manum tuam in latus meum &c. Ne dixeris, Chriftus pro me mortuus eft: Sufficit, hoc credere. Manum admoue operi, antiquum prouerbium. Opera ergo funt neceffaria, nec fola fufficit credulitas aut *fides fine operibus*, fed feclufis operibus *mortua eft*. Iac. 2. *Iac. 2.*

Noli effe incredulus &c. Num. 20. *Audite rebelles & increduli.* Incredulitas & rebellio coniunguntur. Apocal. 2. *Efto fidelis vfque ad mortem.* Heb. 11. *Sine fide impoffibile eft placere Deo.* Ioan. 3. & Mar. vltimo, *Qui non credit condemnabitur & iam iudicatus eft.* *Nu. 20. Apoc. 2. Heb. 11.*

Dominus meus & Deus meus &c. Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 59. Paratiffimus fuit, inquit, ad confeffionem, qui paulò ante tardior videbatur &c. Sed dicet quifpiā: Nonne fufficiebat Thomæ ad cognofcendum Chriftum ftatura corporis & faciei lineamenta? Ambiguum hoc certè fuiffet. Putare namque potuerunt Apoftoli fpiritum quendam imaginem fibi Saluatoris affumpfiffe, & ad hoc miraculofus per claufas fores ingreffus facilè inducebat. Terreftre namque corpus Latiorem fecundum fuam naturam viam defiderat. Neceffariò ergo Dominus nofter Iefus Chriftus latus nudauit & vulnera, liuoréfque carnis oftendit: vt Difcipulos confirmaret. Oftendit ideò turbatis & exterritis Apoftolis manus, pedes, & latus. Luc. 24. Vt eos certiores de fua redderet refurrectione. Sic ille. *Luc. 24.*

Dominus meus & Deus meus. Dominus, quia mortem vicerat, *qui mortem noftram moriendo deftruxit:* Et Deus, qui oculta fciret & fecreta cordis. Iob vltimo cap. Nulla te atet cogitatio: *Meus*, in quo confido, à quo omnia bona

 fpero.

ſpero. Tu es Dominus, ego ſum ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ. Tu Deus meus, ego creatura tua. Apertiſſima omnium hæc fuit confeſſio de diuinitate & humanitate. Petrus quidem Matth 16. confeſſus fuerat: *Tu es Christus filius Dei viui:* ſed iſta adhuc apertior luculentiorque videtur D. Thomæ fidei profeſſio. *α, καὶ ω. Principium & finis Christus*, propter vtramque vnitam naturam in vna hypoſtaſi rectè vocatur, diuinam ac æternam, & humanam in tempore aſſumptam naturam.

D. Greg. Papa. *Quia vidiſti me, credidiſti, &c.* Notabis ex D. Gregorio Apoſtolum Thomam aliud vidiſſe, aliud credidiſſe. Videbat quidem hominem, Deum verò quem nemo oculis corporis videre poteſt in ſua eſſentia, apertè & palàm confeſſus eſt. Videns externas ſpecies Sacramenti Catholicus verùm corpus Chriſti verè realitérque præſentem credit ac proteſtatur, & adorans exclamat, *ô res mirabilis!* Tu es Dominus meus & Deus meus. Eccleſia quidem viſibilis eſt, vt fuſiùs Concione de fraterna correctione ex iis verbis: *Dic Eccleſiæ:* Matth. 18. diximus. Articulus tamen fidei ex ſymbolo Apoſtolorũ habet: *Credo Eccleſiã Catholicã* Creditur. Spiritu ſancto rectore (qui eſt ei⁹ motor interior ac inuiſibilis) gubernari ac dirigi. Hîc inſeram Catechiſmi, ex Decreto Concilij Tridentini ad Parachos, in expoſitione huius articuli: *Credo Eccleſiam, &c.* ſententiam. Inquirit, Quanam ratione nos credere Eccleſiam, ad articulos fidei pertineat? Nam & ſi quiuis ratione, & ſenſibus percipiat Eccleſiam, id eſt, conuentum hominum in terris eſſe, neque ad eam rem animo concipiendam fide opus eſſe videatur, cùm nec Iudæi, nec Turcæ quidem de eo dubitent, tamen illa myſteria, quæ in ſancta Dei Eccleſia continentur, virtúſque & efficacia ſacramẽtorum in Eccleſia mens fide tantummodò illuſtrata, non vllis rationibus conuicta, intelligere poteſt. Ergo iure optimo confitemur nos Eccleſiæ ortum, munera, & dignitatem non humana ratione cognoſcere, ſed fidei oculis intueri. Neque enim homines huius Eccleſiæ auctores fuerunt, ſed Deus ipſe immortalis, qui eam ſuper firmiſſimam petram ædificauit teſte Propheta, Pſal. 86. *Ipſe fundauit eam altiſſimus.* Quam ob cauſam hæreditas Dei, & Dei populus appellatur. Nec poteſtas, quam accepit, humana eſt, ſed diuino munere tributa. Quare, quemadmodum naturæ viribus comparari non poteſt: ita etiam fide ſolum intelligimus in Eccleſia

Catechiſmus ex Concilij Tridẽtini Decreto.

claues

claues regni cœlorum esse, eíque potestatem peccata remittendi, excommunicãdi, verúmque Christi Corpus consecrandi traditam: Deinde ciues, qui in ea morantur, non habere hîc ciuitatem permanentem, sed futuram inquirere. Sic ibi. Rursus vbi agitur de Ordinis Sacramento, habetur disertis verbis, Quòd potestas tum corpus & sanguinẽ Domini nostri conficiendi & offerendi, tum peccata remittendi, quæ Sacerdotibus collata est, humanam rationem atque intelligentiam superat, nedum ei aliquid par & simile in terris inueniri queat. Sic Catechismus prædictus.

Quia vidisti me, &c. D. Augustinus tom. 9. tractatu 121. in Ioannem: Videbat, ait, tangebátque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat neque tangebat: Sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud iam remota dubitatione credebat. Obserua, *Quia vidisti me, credidisti.* Non ait, Tetigisti me, sed vidisti me: quoniam generalis quodammodò sensus est visus: Nam & per alios quatuor sensus nominari solet, velut cum dicimus: Audi & vide quàm benè sonet: Olfac & vide quàm benè oleat: Gusta & vide quàm benè sapiat: Tange & vide quam benè caleat: vbique sonuit vide, cum visus propriè non negetur ad oculos pertinere. Vnde etiam hîc ipse Dominus: *Infer*, inquit, *digitum tuum huc, & vide manus meas*, quid aliud ait, quam Tange & vide? Nec tamen ille oculos habebat in digito. Ergo siue intuendo, siue etiam tangendo, *quia vidisti me*, inquit, *credidisti*. Quamuis dici possit, *Non ausum fuisse Discipulum tangere*, cùm se offerret ille tangendum: Non enim scriptum est, Et tetigit Thomas. Sed siue aspiciendo tãtùm, siue etiam tangendo viderit & crediderit: illud quod sequitur, magis Gentium fidem prędicat atque commendat. D. Aug.

Beati qui non viderunt & crediderunt. Hactenus ex professo D. August. quasi problematicè loquutus, potiúsquam assertiuè quantum ad tactum pertinet D. Thomæ an solùm viderit, an etiam tetigerit cicatrices Christi resurgentis? Ex textu siquidem non conuincitur tetigisse, licet satis accommodè intelligi possit, vt idem probat in videndi verbo, etiam tactus, tanquam in genere species. Verùm communiter tenetur, quod ad maiorem certitudinem, quasi suis oculis non satis fidens, sed etiam tactum adhibens, & viderit Thomas atque tetigerit. Ex quo confirmatus, omni dubitationis remoto superatoque impedimento & obstaculo, exclamauit.

Cor.Iãs. *Dominus meus & Deus meus.* Scribit Cornel. Iansenius Concordiæ Euangelicæ cap.147. Credi, inquit, potest Thomam etsi à domino admonitum, vt id faceret, quod desiderauerat, à contrectando tamen ipsum & loca vulnerum abstinuisse, quòd agnita Domini facies & vox ei satisfacerent: & præ reuerentia non auderet illum tangere, quia Dominus posteà tantum dicit: *quia vidisti me credidisti*: nec dicit: Quia vidisti & tetigisti. Certè in hac sententia est Euthymius scriptor Græcus ad hæc verba: Ne sis incredulus, sed fidelis. Et dixit Thomas, *Dominus meus, &c.* Videns in manibus eius vestigium clauorum, & latus ipsius apertum, continuò credidit, non expectans dum contrectasset. Sic Euthymius. Confitetur Dominum & Deum, ex potentia in resurgendo, & ingressu per ianuas clausas declarata: & ex cognitione item occultorum. Hanc autem eius confessionem Dominus non reprehendit, nec reiecit, sed amplexus est ac laudauit. Vnde certum est argumentũ Iesum Deum esse. Hæc Iansenius.

Euthymius.

Beati qui non viderunt & crediderunt. Beatitudine fidei, qui non vident & credunt, beati dicuntur: quoniam fides alioqui non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum, vt D. ait Gregorius. Tacitè vocationem Gẽtium prædicit: Qui enim credunt, tametsi non viderint, æquè saluandi sunt atque hi qui viderunt.

D.Greg. Pap.

Multa & alia signa fecit Iesus, &c. Nec omnia scripta sũt in particulari & expresè siue explicitè. Hic locus est de Verbo Dei τῷ ἀγράφῳ, id est non scripto, contra Hæreticorum nostri temporis dogma. Nihil credendum quod non sit scriptum. In quo refellendo bona pars Panopliæ Euangelicæ Lindani insumitur ad quam recurrere poterũt qui plura desiderauerint. D. August. tom. 7. libr. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 23. Sunt, inquit, multa, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur. Idem tom. 3. li. 7. de trinitate cap. 4. Nec tres personas alicubi scripturã commemorare inuenimus. Licuit loquendi & disputandi necessitate tres personas dicere, non quia scriptura dicit, sed quia scriptura non contradicit. Sic ille.

Lindanus.
D. Aug.

Hæc autem scripta sunt, vt credatis quoniam Dominus, &c. Christus est & Messias, contra errorem Iudæorum, qui alium à Iesu vero Messia expectant, fallóque sibi pollicentur: Filius Dei contra Arrianos, Chernitũ quoque & Ebionem

nem afferentes Christum ante Mariam non fuisse. In quos scripsit Ioannes ὁ θεόλογος, *In principio erat verbũ &c.* Ioan. 1. ὁ λόγος, personam filij exprimit patri coæternam & consubstantialem. Vtque credentes vitam habeatis in nomine eius, *quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus,* Act. 4. *in quo oporteat nos saluos fieri.* Quæ tria fidei præcipua capita, in sua complexus est confessione D. Thomas cui accõmodari potest illud, Psalm. 115. *Credidi propter quod locutus sum.* Et Rom. 10. *Ore confessio fit ad salutem.* Dominum vocat propter Christi maiestatem, Deum, propter consubstãtialitatem, sicut in Symbolo Catholica canit Ecclesia: *Deũ de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero & cætera. Consubstantialem patri, &c.* Suum autem dicit, in quem credit, ac sperat in eius nomine se vitam habiturum. Dominum agnoscit propter resurrectionis potentiam: Deũ, propter cordis perscrutationem, dicente Psalmographo: *Ipse nouit abscondita cordis,* καρδιογνώστης Deus, qui intuetur cor. Suum, propter spem ac confidentiam in eum. Quid apertius de Christi maiestate ac diuinitate dici potuit? *Hæc est mutatio dexteræ excelsi,* quòd adeò cõtumax & incredul⁹ Apostolus, tam disertis verbis suam profiteatur fidem qui antea nec Petro affirmanti, nec duobus Discipulis idem confirmantibus, nec reliquis Apostolis idem citra vllam hæsitationem afferentibus, fidem habere voluit, sed incredulitate sua persistens, *Nisi,* ait, *videro, & mittam manum meam non credam.* Quasi dicat: Tantum abest vt vestro testimonio fidem habeam, vt ne ipsis quidẽ oculis meis habiturus sim, nisi tactus iudicio, de Dominici corporis resurrectione certior fiam. Quid ais Thoma? An non diuina lege præscriptum est, vt duorum vel trium testimonio stet omne verbum? Cur tam multis testibus fide dignis adhibitis, obfirmato animo reluctaris? *Noli esse incredulus, sed fidelis,* ait Christus Satis supérque tractatum est hoc argumentum fidem sine operibus ad salutem haudquaquam sufficere. Cùm ergo dicitur: *Beati qui nõ viderunt & crediderũt,* Ergo, Credere satis erit. Respondeo, ita credendum, sicque D. Apostolus credidit, vt non solùm vera fide, sed etiam obedientia Christi imperium ac dominium agnoscamus. Vera autem obedientia non in verbis, sed in operibus sita est. An non meministi ex duobus filiis, Matt. 21. (quos Saluator Iudæis in exemplum proponit, quorum alter obedientiam patri pollicitus, nihil præstitit. Alter obedientiã

Act. 4.

verbis quidem detrectans, iussa patris impleuit) priorem à Domino inobedientem, posteriorem verò obedientem
Matt. 7. appellatum. Mat. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatē patris mei.*
Mala. 1. Malach. 1. *Si ego pater, vbi est honor meus? Si Dominus ego sũ, vbi est timor meus, dicit Dominus exercituum?* Adorandus est
Ioan. 4. Deus in spiritu & veritate. Ioan. 4. nempe veritate facti &
D. Greg. executione operis. Probatio enim dilectionis, ait Magnus
Papa. Gregorius, exhibitio est operis. De Scribis ac Pharisæis di-
Mat. 23. cit Christus: Matt. 23. *Dicunt & non faciunt.* Bene in huiusmodi quadrat, quod iam citatum est ex Mat. 21. *Quid vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios: & accedens ad primum, dixit, Fili, Vade hodie operare in vinea mea. Ille autem respondens, ait. Nolo. postea autem pœnitentia motus abiit: Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait, Eo domine. Et non iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicũt ei primus.* Reliquum est, vt nedum sola & nuda fide, nudísque verbis Deum ac Dominum nostrum Iesum confiteamur, sed per opera idipsum comprobemus, vt secundum pactum eius vitam quandóque consequamur æter-
Mat. 19. nam eius merito qui dixit: Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,* & qui pro nobis mortem perpessus, verè, sicut dixit, resurrexit, quemque D. Thomas discertè agnouit & confessus est: Cum quo habentes eundem spiritum fidei nos quoque veraciter dicimus: *Dominus meus, & Deus meus, in nomine tuo saluum me fac,* qui es Iesus Saluator mundi,
Amen.

✠

Finis Concionum 50. in 5. Decades distributarum quinta Iunij 1586. die corporis Christi.



INDEX



INDEX

INSIGNIORVM RERVM AC VERBORVM, QVÆ HOC SECVNDO TOMO SACRARVM

Decadum continentur, Index locupletissimus.



Christus

F

Adam.

L

M

N.

Sacer

FINIS.



INDEX CONCIONVM

SEV HOMILIARVM, QVAE HOC secundo tomo continentur, quoto quodque Euangelium folio inuenias designans.

Fe

Feria 6. post Dominic. in Paſſ. Euang. Collegerunt Pontifices concilium aduerſus Ieſum, & dicebant, &c. decad. 4. fol. 405.

Sabbato poſt Dominic. in Paſſ. Euang. Ante ſex dies Paſchæ, venit Ieſus Bethaniam. Ioan. 12. dec. 4. fol. 424.

Dominica in Ramis Euang. Cum appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis, &c. ite in caſtellum, & inuenietis aſinam, dec. 5. fol. 449.

Feria 2. De ablutione pedum Euang. Ante diem feſtum Paſchæ, Sciens Ieſus quia venit hora eius. decad. 5. fol. 472.

Feria 3. Homilia prima, De auguſtiſsimi Sacramenti inſtitutione, ex 4. Euang. & Paulo. dec. 5. fol. 495.

Feria 4. Homilia ſecunda, De ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, ac Miſſæ ſacrificio. decad. 5. fol. 513.

Feria 5. vacat, aut ſermo ſit de ablutione, vel textus paßionis anticipetur, aut denique de Sacramento habeatur ſermo.

In die Veneris ſancta. Euang. monoteſſaron, ex 4. Euang. contextum, De Paßione Chriſti. ho. 1. dec. 5. fol. 529. 540.

Sabbato ſancto Euangelium. Homilia ſecunda de Chriſti paßione. decade 5. & poſtrema. folio 581.

In die Paſchæ Euang. Maria Magdalene & Iacobi



LVGDVNI,

EX TYPOGRAPHIA PETRI
ROLANDI, ANNO
M. D. XCI.